Letter

6
2-c
9

6
3 MD
6

6-2-9

BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA


JOHANNIS BUXTORFI, FILII,
S. Theol. D. & Profeſſ.

TRACTATUS
DE PUNCTORUM
VOCALIUM, ET ACCENTUUM, IN LIBRIS VETERIS TESTAMENTI HEbraicis,

ORIGINE, ANTIQUITATE, & Authoritate:

Oppoſitus

ARCANO PUNCTATIONIS REVELATO, LUDOVICI CAPPELLI.



BASILEÆ,
Sumptibus Hæredum LUDOVICI KÖNIG.
Typis Martini Wagneri, Anno M. DC. XLIIX.

VIRIS REVERENDIS, CLARISSIMIS, CELEBERRIMIS,

D. ANDREÆ RIVETO, SS. TH. DOCTORI, & in florentiſſima Lugduno-Batavâ Academiâ Profeſſori Honorario, Theologo magno, Seni venerando.

D. THEODORO ZWINGERO, SS. TH. Doctori, & in Inclyta Baſileenſi Academia Profeſſori, Eccleſiæq; Baſileenſis Antiſtiti, Affini conjunctiſſimo.

D. FRIDERICO SPANHEMIO, SS. TH. Doctori, & ejuſdem in Academia Lugduno-Batavâ Profeſſori, Eccleſiæque Gallicæ Paſtori:

AMICIS HONORANDIS,

JOHANNES BUXTORFIUS, Fil. S. P. D.

EN Vobis, Viri Clariſſimi, Tractatum de re Parva ſatis Magnum, utinam verò vel ſic, Veſtræ & aliorum expectationi, ex voto reſpondentem! Continet enim Diſputationem *De Puncto*, cui Magnitudinis nomen adimunt Mathematicorum filii; *De Puncto*, inquam; quia Vocales Hebræorum omnes unicum eſſe Punctum, variè vel

ſitum, vel compoſitum & multiplicatum, ſecretiores ipſorum Doctores tradunt. Quæritur autem, *Quiſnam primus iſtas Vocalium Punctorum notas, non ſolùm invenerit & excogitârit; ſed & Libris Sacris adſcripſerit?* Quæſtio prima frōte & ipſa parva, parviq́; momenti; maximopere tamen *controverſa* & *momentoſa* ab aliquot annis, ob diverſa doctorum judicia, reddita. *Controverſam* fecit eam, quantum ego hactenus indagare potui, tam inter Hebræos, quàm inter Chriſtianos, unus & ſolus ELIAS LEVITA, celeberrimus & doctiſſimus ille ſuperioris ſæculi Grammaticus Hebræus, qui, dū curioſiùs in hanc rem inquiſivit, & novam planè, ac inter Hebræos, quod ego ſciam, inauditam antea ſententiam de ea tulit, magnarum multarumque diſputationum Author extitit. Statuit nimirum ille, *Sapientes quoſdam Tiberienſes, circa Annum Chriſti quingenteſimum, Punctorum & Accentuum figuras, primos inveniſſe, Librisq́; Sacris addidiſſe:* divortium hîc faciens ab omnibus ſuis contribulibus, qui ante ipſum ſcripſerunt. Hujus enim ſententiæ nec unicum teſtem, Eliâ antiquiorem, repertum iri, ego firmiter perſuaſum habeo. Imò ne quidem diſputatum, aut vel leviter hac de re velitatum, inter Hebræos ante Eliam fuiſſe, quiſpiam, ut opinor, ex ipſorum libris probabit & demonſtrabit: ſed omnes, Punctorum originem vel ad Moſen & reliquos Scriptores ipſos, vel ad Eſram, citra tamen ullam contentionem, retulerunt, huncq́; vel primum illorum authorem, vel ſaltem reſtauratorem fecerunt. Qui Eſram à Punctatione excludat, ego vidi neminem, præter Eliam ipſum. Unde novitate & ſingularitate iſtâ nihil aliud apud ſuos obtinuit, quàm ut ſingularis relictus, ſuamq́; ſententiam ſibi habere, juſſus fuerit. Ut manus ejus in hac re fuit contra omnes:

Ita

Ita viciſsim manus omnium fuerunt contra ipſum, nec quiſquam hactenus mihi viſus, qui ſe ipſi adjungere voluerit, aut quem ipſe ſaltem hæſitabundum reddere potuerit. Quod verò ad Chriſtianos attinet, poſteaquam ejus Libri à Sebaſtiano Munſtero eſſent in Latinam Linguam verſi, & inter eos Præfatio quoq; illa libri Maſóreth Hammaſóreth, in qua Quęſtionem hanc ex profeſſo tractavit; maximum ſtatim nactus eſt applauſum, & ab eo tempore quamplurimi maximique Viri manibus pedibusque in ipſius ſententiam diſceſſerunt, proque ea, tanquam pro aris & focis, dimicarunt. Cauſas hujus facilitatis duas potiſſimùm deprehendo. *Primò* etenim, quoad eos, qui antea jam Textus Hebraici puritatem & ſynceritatē ſuſpectam habuerunt, ſuſpectamque eam apud alios quoque reddere, & de corruptione convincere, omnibus modis ſategerunt, illis nimis ex voto nova hæc cecidit ſententia. Cùm enim audiverunt, adeò recentem hanc eſſe artem, & à tam novitiis Judæis Textum Sacrum eſſe punctatum, jam nullâ ulteriori probatione opus eſſe exiſtimarunt ad evincendum, Fontes Hebraicos à Judæis eſſe corruptos, utpote quorum non ſolum contactum, ſed & halitum, imò & aſpectum, perinde ac baſiliſcorum, venenatum credunt. *Altera* cauſa, ſi liberè loqui licet, eſt, quòd pauci fuerunt, qui profundius in Hebręorum ſcriptis de his inquirere; & accuratiùs hanc Eliæ ſententiam examinare, atque ad veritatis trutinam rationes ejus appendere; curæ pretium eſſe duxerunt; ſed, vel ejus authoritate, quæ tum ſumma erat, permoti; vel ſententiæ novitate illecti, ac delectati; vel certè argumentorum ejus gravitate preſſi, fidem potiùs ei habere, atque adeò ſuccumbere, quàm reſiſtere, & cum labore eluctari maluerunt. *Momentoſa* porrò facta eſt

controverſia, non apud Judæos, ſed inter ſolos Chriſtianos, qui periculoſum ex hac ſententia conſectarium elicuerunt; *Cùm inventum hoc ſit mere humanum, &, à recentioribus quibuſdam Judæis, Libris Sacris additum, neminem ad hodiernorum librorum Sacrorum Hebraicorum lectionem & punctationem ita adſtrictum eſſe debere, quin, ſi commodior ſe ſenſus offerat ex punctatione alia, liberè aliam lectionem eligere & ſequi poſſit; & quæ ſunt ſimilia.* Et ſic hactenus, à centum & quod excurrit annis, multæ graveſque de hac quæſtione inter Viros doctos fuerunt controverſiæ, aliis Punctorum Novitatem & incertitudinem, aliis eorundem Antiquitatem & authentiam defendentibus, aliis etiam ſententiam ſuam prudenti cordatoque conſilio, tanquam de re nondum ſatis liquidâ & perſpectâ, ſuſpendentibus.

Inter eos, qui Pro Punctorum antiquitate & authoritate ſteterunt & pugnarunt, fuit quoque beatiſſimæ memoriæ Pater meus, ita tamen, ut, quæcunque hac de re ſcripſit, & in medium produxit, doctorum virorum judicio potiùs ſubmittere, quàm definitivam ſententiam proferre voluerit. Hoc animo propoſita fuère ab ipſo, quæ primæ Editioni Theſauri Grammatici de hac quæſtione inſeruerat. Unde in poſterioribus editionibus illa iterùm expunxit; non quòd ſententiam ſuam mutaverit, ſed quia neceſſarium & utile judicabat, atque etiam in animo habebat, pleniùs & abſolutiùs totam illam rem pertractare. Hac etiam mente, partem iſtius quæſtionis ventilavit in Tiberiade, ſeu Commentario Maſorethico, ubi & quaſdam ſuas rationes, contra Maſorethas Tiberienſes Punctorum Authores, propoſuit, & contrarias Eliæ rationes, quantum inſtituti ejus ratio tum ferebat, diſcuſſit. Summa: ſemper eò in hac quæſtione inclinavit, ut integri Textus Hebrai-

Hebraici, qualis hodiè extat, lectionem & authoritatem ſtatueret authenticam, & ad Eſram ſaltem, ejusq; collegas de Synagoga magna, referret. Ad hanc autem ſententiam eligendam & præferendam, non nudus & inanis ſiniſter've, de Veritatis Hebraicæ periclitatione, ſed juſtus & dignus induxit metus, unà cum aliis graviſſimis rationibus. Vidit nimirum, Hebræos veteres omnes aliò tendere, & aliud ſentire; recentiores univerſos unanimi voce & ſtylo ſe Eliæ opponere: vidit, teſtimonia ab illo adducta eſſe falſa & detorta, nec tantum in rationibus ejus ineſſe pondus, quantum vulgò exiſtimabatur: vidit, peſſimas & periculoſiſſimas ex nova iſta ſententia ſequi & necti conſequentias, quæ Veritatis Hebraicæ authoritatem imminuerent, nimis magnæ hominum luxuriantium licentiæ eam obnoxiam redderent, atque indeſinentibus litibus & controverſiis cauſam præberent. Hinc permotus fuit, ut & publicè in ſuis ſcriptis, & privatis ad Amicos literis, ſubinde hanc ſententiam in ſuum patrocinium ſuſceperit, atque inde eam ſibi quaſi propriam ac peculiarem fecerit, ac vindicaverit.

Et certè, quantum iis effecerit apud multos, quæ in Tiberiade de hac quæſtione ſcripſit, promptum eſſet multorum doctorum virorum literis oſtendere, qui non ſolùm pro eo labore gratias ipſi egerunt, ſed & de ſolida deciſione ſunt gratulati, ſuumque aſſenſum magno cum applauſu teſtati.

Ex iis verò, qui pertinaciter Eliæ ſententiæ adhæſerunt, nec ullis rationibus ab ea divelli potuerunt, princeps fuit *Vir Clariſſimus, D. Ludovicus Cappellus, Academiæ Salmurienſis Profeſſor.* Hic non ita diu poſt editam Tiberiadem, quæ prodiit Anno 1620. duplex Patri meo ſcriptum tranſmittit; Unum continebat Argumenta

controverſia, non apud Judæos, ſed inter ſolos Chriſtianos, qui periculoſum ex hac ſententia conſectarium elicuerunt; *Cùm inventum hoc ſit merè humanum, & à recentioribus quibuſdam Judæis, Libris Sacris additum, neminem ad hodiernorum librorum Sacrorum Hebraicorum lectionem & punctationem ita adſtrictum eſſe debere, quin, ſi commodior ſe ſenſus offerat ex punctatione alia, liberè aliam lectionem eligere & ſequi poſſit; & quæ ſunt ſimilia.* Et ſic hactenus, à centum & quod excurrit annis, multæ graveſque de hac quæſtione inter Viros doctos fuerunt controverſiæ, aliis Punctorum Novitatem & incertitudinem, aliis eorundem Antiquitatem & authentiam defendentibus, aliis etiam ſententiam ſuam prudenti cordatoque conſilio, tanquam de re nondum ſatis liquidâ & perſpectâ, ſuſpendentibus.

Inter eos, qui Pro Punctorum antiquitate & authoritate ſteterunt & pugnarunt, fuit quoque beatiſſimæ memoriæ Pater meus, ita tamen, ut, quæcunque hac de re ſcripſit, & in medium produxit, doctorum virorum judicio potiùs ſubmittere, quàm definitivam ſententiam proferre voluerit. Hoc animo propoſita fuère ab ipſo, quæ primæ Editioni Theſauri Grammatici de hac quæſtione inſeruerat. Unde in poſterioribus editionibus illa iterùm expunxit; non quòd ſententiam ſuam mutaverit, ſed quia neceſſarium & utile judicabat, atque etiam in animo habebat, pleniùs & abſolutiùs totam illam rem pertractare. Hac etiam mente, partem iſtius quæſtionis ventilavit in Tiberiade, ſeu Commentario Maſorethico, ubi & quaſdam ſuas rationes, contra Maſorethas Tiberienſes Punctorum Authores, propoſuit, & contrarias Eliæ rationes, quantum inſtituti ejus ratio tum ferebat, diſcuſſit. Summa: ſemper eò in hac quæſtione inclinavit, ut integri Textus

Hebrai-

Hebraici, qualis hodiè extat, lectionem & authoritatem ſtatueret authenticam, & ad Eſram ſaltem, ejusq; collegas de Synagoga magna, referret. Ad hanc autem ſententiam eligendam & præferendam, non nudus & inanis ſiniſter've, de Veritatis Hebraicæ periclitatione, ſed juſtus & dignus induxit metus, unà cum aliis graviſſimis rationibus. Vidit nimirum, Hebræos veteres omnes aliò tendere, & aliud ſentire; recentiores univerſos unanimi voce & ſtylo ſe Eliæ opponere: vidit, teſtimonia ab illo adducta eſſe falſa & detorta, nec tantum in rationibus ejus ineſſe pondus, quantum vulgò exiſtimabatur: vidit, peſſimas & periculoſiſſimas ex nova iſta ſententia ſequi & necti conſequentias, quæ Veritatis Hebraicæ authoritatem imminuerent, nimis magnæ hominum luxuriantium licentiæ eam obnoxiam redderent, atque indeſinentibus litibus & controverſiis cauſam præberent. Hinc permotus fuit, ut & publicè in ſuis ſcriptis, & privatis ad Amicos literis, ſubinde hanc ſententiam in ſuum patrocinium ſuſceperit, atque inde eam ſibi quaſi propriam ac peculiarem fecerit, ac vindicaverit.

Et certè, quantum iis effecerit apud multos, quæ in Tiberiade de hac quæſtione ſcripſit, promptum eſſet multorum doctorum virorum literis oſtendere, qui non ſolùm pro eo labore gratias ipſi egerunt, ſed & de ſolida deciſione ſunt gratulati, ſuumque aſſenſum magno cum applauſu teſtati.

Ex iis verò, qui pertinaciter Eliæ ſententiæ adhæſerunt, nec ullis rationibus ab ea divelli potuerunt, princeps fuit *Vir Clariſsimus, D. Ludovicus Cappellus, Academiæ Salmurienſis Profeſſor.* Hic non ita diu poſt editam Tiberiadem, quæ prodiit Anno 1620. duplex Patri meo ſcriptum tranſmittit; Unum continebat Argu-

menta

menta pro Novitate Punctorum, quæ partim ex Elia deſumpſerat, partim propriâ induſtriâ, pro ſuæ ſententiæ defenſione, excogitaverat & invenerat: Alterum habebat Ἀνασκευὴν ſeu Refutationem Argumentorum pro Punctorum Antiquitate, quæ ex aliis paſſim collegerat; veluti ex prima editione Theſauri Grammatici, ex Cevallerio, Polano, præſertim verò Tiberiade; petens, ut iis perlectis, ſuam ei ſuper iis ſententiam perſcribere, &, ſi ea minùs firma deprehendat, liberè id aperire, & errores commonſtrare; ſin ea probet, calculum ſuum adjicere, non gravetur. Poſt plurium menſium ſpatium, remiſſis ſcriptis, reſpondit ei Pater meus, ſed generaliter & ſummatim; quòd plenum reſponſum, librum, non epiſtolam poſtulaſſet: ſuam animi ſententiam ſuper iſta quæſtione primùm profeſſus, tùm D. Cappelli ſtudium, eruditionem & induſtriam, in hoc Argumento examinando, collaudans; ſimul tamen non obſcurè ſignificans, nondum omnia ita eſſe plana, ut in prolatis ipſius Reſponſionibus poſſit conquieſcere, ſed multa ſupereſſe, maturiorem conſiderationem, & meliorem explicationem requirentia: neque etiam ſatis adhuc ex animo ſuo evulſas eſſe peſſimas & periculoſas, ex Punctorum novitate, pullulantes conſequentias. Itaq; ſe putare, non expedire publicè hac ratione quæſtionem iſtam, ſubtiliùs & profundiùs, vel voce vel editis libris tractare: innuens etiam, otio meliore nacto, in animo ſibi eſſe, hanc materiam pleniſſimè perſequi, & notata atq; cogitata ſua in chartam conjicere. D. Cappellus, ubi ſcripta ſua recepit, ſine morâ denuò illa incudi reddit, perpolit, corrigit, auget, exornat, & Leydam mittit, ad laudatiſſimæ memoriæ Virum D. Thomam Erpenium, Linguarum Orientalium lumen &

columen longiore vitâ digniſſimum, ejusque judicio ac poteſtati fœtum hunc ſuum; num in lucem producendus, an verò tenebris æternis damnandus ſit; abſolutè committit. D. Erpenius, cujus animus jam iſtâ ſententiâ præoccupatus fuerat, ut Præfatio ejus teſtatur, operis novi ſpecie & apparatu ita ſtatim captus fuit, ut ſuo calculo digniſſimum judicarit, quod primo quoq; tempore typis in lucem ederetur; atque reipsâ etiam edidit, inque ſuum patrocinium, præfixo ei, ex Authoris voluntate, ſuo Nomine, recepit; quòd graves tùm Authori cauſæ eſſent, cur Nomen ſuum adhuc celari vellet, ſub titulo, ARCANUM PUNCTATIONIS REVELATUM, Anno 1624. Sic itaque in lucem emiſſum hoc Arcanum, haud difficulter magnam ſtatim longè lateque de ſe ſparſit famam. Nam præter Argumenti nobilitatem, nominis Erpeniani ſplendor, ejusque addita elogia, unà cum Tituli magnificentia, nihil vulgare, ſed omnia maxima & reconditiſſima, ſperare jubebant. Unde factum, ut multorum judicia denuò ſuſpenderentur, & quid de hoc Arcano Revelato ſentiendum ſit, à Patre meo frequentiſſimis literis efflagitarent, avidiſſimeque exſpectarent. Cùm verò tùm temporis majoribus operibus occupatus eſſet, quorum abſolvendorum magno deſiderio tenebatur, ne tot præcedentium annorum exacti labores cum ipſo fortaſſis intermorerentur, difficulter admodum ſe ab iis avelli paſſus eſt; hujusque materiæ tractationem ſubinde de die in diem diſtulit. Et ſic factum, ut antequam id aggrederetur, ex Dei Opt. Max. voluntate, his & aliis laboribus, præmaturâ morte ſubductus fuerit Anno 1629. Silentium hoc Patris mei multi mirabantur, & inde profectum interpretabantur, quòd cauſæ ipſi diffideret, atque Adverſæ par-

tis argumentorum vi atque robore ſuccubuiſſet, imò ipſius morte de tota cauſa deſperabant, & conclamatum putabant. Vera autem ſilentii ejus cauſa fuit, quam ſignificavi, & quam ipſe per literas non paucis amicis expoſuit. Quâ verò animi erat manſuetudine, nihil planè Antagoniſtæ, ſui amici, vel in hac ſententia contradictione, vel etiam acutis & mordacibus quibuſdam voculis & dicteriolis, nimiam præ ſe confidentiam ferentibus, commotus fuit: neque etiam unquam in animo ipſi fuit, ſcriptum aliquod è diametro ei opponere: ſed eo filo & ſtylo, quo jam dudum, ante hoc ſcriptum viſum, animo conceperat, inſtitutum ſuum perſequi, perinde ac ſi illud nihil ipſum attingeret, aut nunquam in lucem prodiiſſet. Sic ſæpiùs mihi referebat. Poſt ipſius mortem crebræ ad me doctorum Virorum literæ advolabant, quibus à me ſubinde, quænam Parentis mei b. m. ſuper iſto Arcano fuerit ſententia, quæque ſilentii ejus cauſæ, anxiè admodum ſciſcitabantur, quos inter etiam fuit Reverendiſſ. D. Jacobus Uſſerius, Archiepiſcopus Armachanus, & Hyberniæ Primas, primò per alios, deinceps etiam ſuiſmet literis à me rogans, quodnam ſit meum de Punctationis origine judicium: & an Pater meus b. m. ad iſtud Punctationis Arcanum revelatum, quod ſub D. Erpenii nomine prodiit, unquam reſponderit, vel reſpondere voluerit. Mox, cùm & ejus rei cauſas, & quòd ego quoque in Parentis mei ſententia perſiſterem, intelligerent, à me flagitabant, ut ego deſertam hanc provinciam occuparem, atque tùm ipſius Cauſæ, in qua plurimùm ſitum eſſe omnes judicabant, tùm Patris mei, Vindicem agerem. Cujus rei ſpem aliquam licet aliquando facerem; fateor tamen nunquam pleno aſſenſu animum meum eò inclinaſſe. Primò enim

mò enim ſufflaminabant hoc inſtitutum alia poſthuma Patris mei opera, quæ, Deo vitam concedente, ceu majoris momenti, & ex ultima ejus voluntate, mihi abſolvenda & edenda erant: Exinde multiplex argumenti hujus gravitas me abſterrebat. Ab una enim parte difficillimas pro contraria ſententia objectas vidi rationes, quibus diluendis ut par eſſe poſſem, & ea proferre, quæ omnibus ſatisfacerent, dubitationemq; omnem tollerent, vix mihi, cùm ob meam tenuitatem, tùm ob hiſtoriæ Hebraicæ, & neceſſariorum ſubſidiorum, penuriam ac defectum, polliceri audebam: ab altera parte tot illuſtrium & magnorum Virorum, contrariam ſententiam defendentium, authoritas ſe oculis meis ingerebat, quorum vel ſolum nomen, ſi non metum incutere, reverentiam ſaltem imperare, & à contradicendo me revocare poterat. Tandem tamen, & liberius ad hujuſmodi meditationes otium nactus, & magnorum virorum aſſiduis hortationibus precibusque victus, ante biennium circiter, ſeriò cogitationes meas huc converti, & quid in hoc negotio præſtari poſſit, Dei auxilio invocato, periclitari conſtitui; eâ certè mente, ut ſi conatui ſucceſſus & eventus aliquo pacto reſponderet, publicè id ad Dei & Verbi ejus honorem, Eccleſiæq; bonum & ſolatium, profiterer; ſin verò minùs ex voto flueret, ut vel à cœpto deſiſterem, vel ſaltem, ſi quæ jam conſcripſiſſem, mecum premerem, & ſupprimerem. Hic jam prima cura fuit, quâ methodo, quóve filo in opere propoſito mihi utendum eſſet; præcipuè verò hoc me anxium tenebat, an nominatim & ex profeſſo D. Cappellum aggredi, ſcriptumque meum directè ipſius Arcano opponere deberem. Diſſuadebant id Amicitia per plures annos cum D. Cappello culta: Recordatio inſti-

XX 2

tuti Paterni, quod mihi imitandum omninò exiſtimabam: Propoſitum denique, quod & ipſe habebam, non facilè cum quoquam in litem aliquam deſcendere, à ſcriptis polemicis abſtinere, neque illorum numerum, jam dudum plus ſatis magnum, augere. Et ſic ſententia mihi ſtabat, cujus rei αὐτόγραφον meum fidem faciet, in quo apparebit, prima aliquot capita ita fuiſſe primùm concepta, ut D. Cappelli, aut Arcani ejus, ne verbo quidem meminerim, ſed *Eliam* duntaxat, & indefinitè *ejus Aſſeclas* nominaverim. Poſteaquam autem viſum fuit D. Cappello, ante ſeſquiannum circiter, publico ſcripto, binas meas Diſſertationes 1. De Literis Hebræorum, 2. De Primæ Cœnæ Dominicæ Ritibus & formâ, nominatim invadere, in quarum neutra ego nominis ejus mentionem feci, licet in una ab ipſo diſſentirem; atq; ita primùm me laceſſere, non exiſtimavi, vitio mihi verſum iri, ſi & ego ſtylum verterem, & cominùs ac palàm cum ipſo congrederer; præſertim, cùm non tam mea hîc cauſa agatur, quàm Optimi & nunquam mihi ſatis devenerandi Patris mei, quem ille ſanè præter meritum, cùm in Præfatione ad Lectorem, tùm alibi in ipſo libro, ob defenſam Punctorum antiquitatem, nimis audacter dicam an liberè, licet rectè, perſtrinxit. Quamvis enim indefinitè loquatur, facilè tamen fuit odorari, quemnam præcipuè intelligat, cùm illum pro primario ſuo Antagoniſta, & acerrimo contrariæ ſententiæ defenſore, habuerit, & oppugnandum ſibi propoſuerit. Ille nimirum ipſi eſt ex eorum numero, *qui vel præconceptæ ſententiæ nimiùm ſine ratione ſunt addicti, cauſæq; præjudicio occæcati, vel denique, ut molliſſimè dicat, ſupra modum meticuloſi, qui omnia etiam tuta quaque timent.* Ille eſt ex iis, qui conantur, *veritatem jam agitatam,*

agitatam, & in lucem protractam, impugnare, eiq́; αὐθαιρετικῶς oppoſitam ſententiam variis coloribus, fucis & pigmentis, oblinere atque incruſtare, ut id verum appareat, quod falſum eſt, & falſum videatur, quod verum eſt, peſſimo & periculoſiſſimo exemplo, &c. Ille eſt *ex bonis alioquin & piis illis viris, adeoq́; etiam doctis & eruditis, qui bono quidem fine, & conſilio non malo, ſed peſſimo exemplo, præjudicii errore abducti, malam cauſam (ſed quam bonam ex bono quem ſibi proponunt fine putant) omni modo atque arte, pedibus manibusq́; defendere, atque adeò vincere, ſibi propoſuerunt.* Ipſius rationes, imò *ratiunculæ,* ſunt *ventu & fumo leviores.* Ille ex iis eſt, *qui falsâ hypotheſi* (de Punctorum antiquitate) *veram ſententiam* (de Textus Hebraici ſynceritate) *volunt defendere, quod eſt malis artibus bonam cauſam propugnare; quod non modò non eſt ingenui & candidi pectoris, ſed revera eſt cauſam ipſam, quam propugnandam ſuſcipis, ultrò prodere, ac funditùs evertere, &c.* ut alia præteream, per librum hinc inde ſparſa. Quibus ſimul acceſſit cauſæ gravitas & neceſſitas, quam, veluti jam deſperatam & conclamatam, his & aliis nimiâ præſumtione & præcipitantiâ effuſis vocibus, tanquam Prætor de tribunali condemnat, vel tanquam Victor in triumpho theatricè oſtentat. Quid aliud ſibi vult ſuperba iſta Arcani Inſcriptio: *De Punctorum Vocalium & Accentuum apud Hebræos vera ac Germana antiquitate, Diatriba; Adverſus eos, qui eam impugnant,* aliamque falſam & commentitiam *iis attribuunt.* Nec me ab ipſo nominando abſterrere potuit, quòd Nomen ſuum celatum voluerit, cùm Arcanum ederetur: nam ipſemet ab eo tempore ſe fœtus ejus Parentem publicè, nec ſine aliquâ oſtentatione, eſt profeſſus; quòd exiſtimaret, univerſale & diuturnum ſilentium, præſcri-

ptionem temporis ſuæ ſententiæ conciliaſſe: & cùm à tot annis nemo extiterit, qui ſe ei oppoſuerit, neminem inpoſterum fore, qui id animi haberet, ut *rectà* illam impugnare audeat. Unde non leviter criſtæ ipſi ſurgebant. Hinc eſt, quòd in Præfatione Animadverſionum ſuarum in Clariſſimi Theologi, D. Franciſci Gomari, b. m. *Davidis Lyram*, feroculè ſcripſit; *Editus quidam eſt ante annos XVII. à Doctiſſimo & Clariſſimo Erpenio liber, cui titulum fecimus* Arcanum Punctationis Revelatum, *in quo ſententia illa vulgò recepta videtur validè ſatis à nobis confutata, neque viſus eſt hactenus (quod ego ſciam) aliquis, qui eam adverſus noſtras rationes adſtruendam atque defendendam ſuſceperit. Urit interim procul dubio intùs aliquos hoc ſcriptum, vellentq́ non editum, quòd eo ſententiam, cui adhærent, quamq́ ut mutent, nullis adduci poſſunt rationibus, tam fortiter concuti ſentiant: & quia oppoſitam rectè aggredi non audent, ſuamq́ tueri non poſſunt, obliquè id tentare volunt.* Me ſanè nunquam malè habuit, neque *uſſit* illud ſcriptum: ſecus fortaſſis jam dudum pruritus aliquis reſpondendi me inceſſiſſet: nunquam ei lucem invidi: An ex metu, vel puſillanimitate, aut cauſæ diffidentia, hactenùs vel ipſius ſententiam rectà aggredi non auſus fuerim, vel ex ἀδυναμίᾳ meæ ſententiæ defenſionem non ſuſceperim, ex præſenti Tractatu judicium feretur. Meliùs tamen, meo judicio, feciſſet, ſi paulò modeſtiùs & verecundiùs de tota cauſa pronunciaſſet, nec ita præcipitanter, & ſine ulla clauſula, ſententiam contrariam, ceu *falſam & commentitiam*, proſcripſiſſet: vel ſua Argumenta doctis conſideranda & expendenda propoſuiſſet, non, velut jam ſatis expenſa & explorata, obtruſiſſet, ſibi & aliis majorem libertatem reſervans. Intempeſtivum eſt, *ἐπινίκιον* canere ante victoriam.

riam. Iſtiuſmodi enim voces, ſemel emiſſæ, vix citra pudorem & ruborem reſorberi poſſunt. Non ſemel mihi, tragicas hujuſmodi voces legenti, ſuccurrit illud, Ἢ φρονεῖν ἔλασσον, ἢ δύναμιν δεῖ μεῖζον *Oportet aut minus animoſum eſſe, aut plus habere virium:* & id quod Auguſtinus ſcripſit de Trinit. lib.2. in Proœmio: *Duo ſunt, quæ in errore hominum difficillimè tolerantur; Præſumptio priuſquàm veritas pateat: & cùm jam patuerit, præſumtæ defenſio falſitatis.* In prius ſe impegiſſe ſæpiùs in ſuo Arcano, ex meo Tractatu ſpero agnoſcet: Caveat ſibi inpoſterum à ſecundo. Ego, quantum meminiſſe poſſum, cavi mihi, ne vel de Cauſæ totius victoria nimis glorioſè me jactarem, vel in Perſonam ejus contumelioſè aut aſperiùs incurrerem. Quod ſi fortaſſis nonnulla mihi exciderunt, & ſub acumen ſtyli venerunt, quæ vel ipſe inhumaniùs in ſe dicta putabit, vel alii etiam omitti potuiſſe cenſebunt, ignoſcent mihi utrique, nec ſine cauſa id factum eſſe, cogitabunt. In erroribus enim manifeſtis deprehenſus, utique illi errores & oſtendendi, & corrigendi fuerunt. In re incerta me unquam ei temerè inſultaſſe, nunquam, ut opinor, deprehendetur. Quod Nomen ejus non ubique uſurpavi, ſed cognomen *Revelatoris* plerunque pro eo poſui, non probri, ſed compendii causâ a me factum eſt. Neque juſtam ea de re conquerendi cauſam illum habiturum, exiſtimo. Nam cùm opus ſuum ipſemet appellaverit *Arcanum Punctationis Revelatum*; ſine ulla injuria ipſe, ceu author, ab aliis appellari poteſt *Arcani Revelator*, & magis conciſè *Revelator*, ob mutuum cauſæ & effectus ad ſe invicem reſpectum. Cæterùm Rei ipſius Tractationem & ἐργασίαν quod attinet, in duas quoque viſum fuit, ad ipſius exemplum, hunc Tractatum partes diſpeſcere; Ἀνασκευαστικὴν &

Κατασκευα-

Κατασκευαστικήν. Et Ανασκευαστικήν quidem præmittendam duxi, quòd res ipſa id poſtulare videretur; cùm ego hunc meum Tractatum ejus Arcano directè oppoſitum voluerim, in qua ille primò κατασκευαστικῶς ſuæ ſententiæ argumenta profert: & ut videret, me, contrà quàm exiſtimavit, nihil reformidare rectà, non obliquè, ſententiam ipſius aggredi & oppugnare. Κατασκευὴν ſubjunxi, & quâ ratione, quo modo, quibusque Argumentis ea adſtrui poſſit, quousque mea ſe tenuitas extendit, expoſui. Utramque ita egi, ut Antagoniſtæ mei Arcanum, non κατὰ πόδας perſequi mihi profuerim, ſed κατὰ κεφάλαια & ſecundum præcipua argumenta atque exceptiones, quæ ſive pro ſua ſententia tuenda, ſive ad contrariam enervandam & evertendam, protulit. Quod ad Lectorem erudiendum & confirmandum, conſultius eſſe duxi. Quæ nihil ad rem facere mihi ſunt viſa, tranſilii: quæ diffusè & prolixè nimis diduxit, contraxi, & quantum potui, id egi, ut ſummam totius rei fideliter Lectori repræſentarem & ob oculos ponerem, ſingulis ferè Argumentis, majoris lucis causâ, ſingula capita attribui. Si preſſiùs veſtigiis ipſius inſiſtere placuiſſet, id mihi quidem non difficile, ſed tamen moleſtum fuiſſet, & Lectorem magis obruiſſet, quàm ædificaſſet: Sic planiùs, quæ cauſæ ſint momenta, quomodo rationes cùm rationibus, argumenta cum argumentis, pugnent, reſponſionesq; objectionibus & exceptionibus quadrent, explicatiùs videbit, & feliciùs quoque dijudicabit. In omnibus perſpicuitatem ut adhiberem, prima & potiſſima cura mihi fuit: de ſoliditate judicabunt alii: feci quod potui, & quantum in tantis tenebris præſtare mihi licuit. Neque verò in hac Diſputatione vel Vindictam, vel Victoriam quæſivi, ſed Veritatem, ut ea tandem

ex di-

ex diligentiore argumentorum utriuſque partis colliſione, tanto clariùs eliceretur. Scio equidem vulgò dici ſolere, nimiùm altercando ſæpè Veritatem amitti: ſed moderatè diſputando, & ſolicitè inquirendo, eadem etiam non raro invenitur. Et ſpero, hoc ſaltem candidos Lectores agnituros & faſſuros, non pauca in hoc Tractatu à me pro Punctorum Antiquitate eſſe ex Hebræis indagata, producta, & ex illorum mente explicata, quæ hactenus fuerunt incognita, ſcitu tamen ad hoc argumentum rectè intelligendum omninò neceſſaria, & conſideratu digniſſima. Quemadmodum in cauſis forenſibus, optima etiam cauſa, vel malè, vel negligenter & ſuperfunctoriè agendo, in diſcrimen adducitur, ſi nimirùm præcipua ejus momenta & argumenta, vel non rectè proponuntur, vel omninò reticentur: ita certè Veritas eaſdem ob cauſas non leviter aliquando inter Homines periclitatur. Id igitur ſedulò operam dedi, ut quæcunque ad eam tuendam ex Hebræorum ſcriptis, quæ quidem mihi ad manus fuerunt, eruere, & pro ingenii mei mediocritate indagare potui, id ſedulò facerem, atque ita proponerem & explicarem, ut quivis, etiam Linguæ Hebrææ imperitus, ea capere & intelligere, ac proinde etiam dijudicare poſſit: Teſtimonia Hebræorum non ex aliis, quàm ex ipſiſmet authoribus, mihi viſis & inſpectis, eaque non mutila, ſed integra, produxi, punctis vocalibus ad faciliorem lectionem animavi, verſione Latinâ fideli illuſtravi, & ſicubi opus animadverti, exegeſin etiam & explicationem ſubjunxi: nihil ullibi ſtudio vel reticui, vel texi, vel involvi, bonâ fide ubique egi. Pro ſucceſſu, qualis qualis ille ſit, Deo immortali gratias ago.

Vobis verò, Viri Venerandi, Amici honorandi,

huncce meum qualemcunq; laborem inſcribere multis nominibus debui, & lubens volui. Vos non ex poſtremis eſtis, qui me ab aliquot annis partim coram, partim humaniſſimis veſtris literis, ad Argumentum hoc tractandum, &, optimi Parentis exemplo, ad Vocalium Hebraicarum antiquitatem & authentiam quà pote vindicandam, aliquoties ſollicitaſtis & hortati eſtis. Veſtra authoritas tanta cùm apud omnes ſit, meritò apud me quoque graviſſima fuit & efficaciſſima, ut, ſi minùs etiam effectus conatui reſpondeat, obſequium ſaltem & parendi vobis promptitudinem, hac in parte laudi & gloriæ mihi fore duxerim. Et quamvis vel ideò præſentem Tractatum veſtro judicio ſubmitto, quòd veſtro quoque hortatu ac conſilio a me ſuſceptus fuit; attamen, ſi nihil hujus eſſet, vel ſola veſtra eximia Doctrina atque Eruditio, per quam apud omnes ſummum famæ & exiſtimationis in re literaria gradum meriti & aſſequuti eſtis, me ad vos deduxiſſet. Nam cùm me Controverſiæ immiſcuerim & interpoſuerim, quæ ambiguè hactenus fuit, & in utramque partem, à maximis viris agitata & diſceptata, cujusque deciſionem, nec ſine ambitione, nec ſine periculo, mihi meoque judicio ſoli arrogare poſſem, ipſa Cauſæ conſideratio me facilè ſubmonere potuit, ut majores & ſuperiores judices atque arbitros deligerem, quibus ſententiam à me non latam, ſed conceptam & delineatam, offerrem, qui & eruditione ſuâ de reipſa judicare, & authoritate ſuâ patronos poſſent agere, ut eorum vel approbatione illa rata, vel improbatione irrita & caſſa redderetur, & haberetur. Tales vero vos eſſe, loquuntur Pulpita & Cathedræ è quibus docetis, loquuntur Scripta omni

eruditione cumulatiſſima, & per totum Chriſtianum orbem celebratiſſima, loquuntur ſummæ, pro veſtra conditione, Dignitates, ad quas ſinguli non per fortunam, non per favorem hominum, ſed per Veſtram Pietatem, Virtutem & Eruditionem, ſummo veſtro merito, & magno Eccleſiæ bono, evecti eſtis. Veſtrum itaque accuratiſſimum & exquiſitiſſimum ſi præſens meus labor ferat calculum, omne me tuliſſe Punctum arbitrabor, nec dubitabo, quin & plures alii, imò omnes recto judicio præditi, veſtrâ authoritate moti, ſuum ſint adjecturi: ſin minùs, gratulabor mihi, per vos jam de errore meo mihi & aliis conſtare, & in meliorem viam à vobis reduci. Nunquam enim mihi probatum iri confidite, quod à vobis improbari intellexero. Sed & Amicitia illa, quâ jam à multis annis arctiſſimo vinculo me vobis adjungere, quamque omni officiorum genere excolere & teſtari voluiſtis, mnemoſynon aliquod poſtulavit, per quod aliis quoque conſtaret, me non in minima felicitatis meæ parte ponere, tantorum Virorum amicitiâ, familiaritate, & converſatione gaudere. Ut verò vel diſſimulem, vel ſilentio ſepeliam aut protraham, celebrationem ſummi beneficii, quo me recenter admodùm vobis obſtrinxiſtis & devinxiſtis, ingratiſſimi eſſet hominis & animi, imò hominis nomine indigni. Quamvis enim, quòd benè fit bonis, nunquam pereat; attamen nec ſeneſcere apud nos patiemur facile beneficiorum memoriam, nec ullam ejus occaſionem prætermittere. Non multi effluxerunt menſes, quòd Nobiliſſimi & Ampliſſimi Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores, ejusque Urbis Conſules, cum de Profeſſoribus quibuſdam conſtituendis ſolennia comitia haberent, mei quoque ab-

ſentis & indigni non nullam rationem habere gratoſiſſimè ſunt dignati, honorificamque mihi admodùm, in Academiam ſuam florentiſſimam & celeberrimam, maxima cum ſummæ benevolentiæ teſtificatione, Vocationem decreverint. Eam Vocationem, niſi ſummi & maximi honoris loco duxiſſem, perque totam vitam ducerem, ego, næ vel Rei dignitatem parum intelligere, vel Memetipſum non agnoſcere, jure videri poſſem. Quanto enim majorem mihi honorem habitum, quantoque me illo imparem & indignum agnoſco, tanto plus me illis debere meritò profiteor, qui ejus ſeu authores ſeu promotores fuerunt. Non mihi, meoque aliquo merito adſcribendum, quòd Nobiliſsimi & Ampliſsimi D. D. Curatores de me evocando cogitationem aut curam habuerint, probè ſcio. Illis adſcribo, qui me immerentem Eximiis illis Viris commendarunt, quibuſque illi fidem habuerunt. E quorum numero quin vos Principes fueritis, Venerande D. D. Spanhemi, & D. D. Rivete, nunquam dubitare potui. Cum enim amorem & affectum, quem veſtræ ad me literæ ab aliquot annis ſpirarunt, perpendo & conſidero, aliter mihi perſuadere nequeo, quam Vos primarios hujus mihi habiti honoris authores extitiſſe. Qua in re, quamvis amore potiùs fortaſsis, quàm judicio, uſi eſtis, non poſſum tamen non affectum iſtum & deoſculari, & immortali gratitudine profequi. Et certè ut reſponderem, atq; me vobis ſiſterem, optima mihi non defuit voluntas, adeoque felicem me duxiſſem, ſi ſplendidam oblatam conditionem reipſa amplecti licuiſſet. Sed major me vis retraxit, & in patria nunc manere juſsit, quàm cui honeſte reluctari potuiſſem. Ad te verò quod attinet, Reverende,

verende, & non minus propriis decoribus, quam majorum celeberrimorum nominibus, inclyte, D. D. Zwingere, Adfinis plurimum honorande, quemadmodum D. D. Rivetus, & D. D. Spanhemius de me in Belgium ad ſe trahendo, pro incredibili ſuo in me affectu, ſolliciti fuerunt: ita tibi meæ in Patria manſionis, noviqúe hinc delati honoris, cauſam non poſtremam adſcribendam, eſt quod profitear. Quamvis enim eam mihi offerri conditionem agnoveris, quæ, Deo adſpirante, & cum meæ famæ, & meo meorumqúe commodo conjuncta foret, atque inde eam diſſuadere prorsus nec velles, nec poſſes; attamen quia, pro veteri inter nos à multis annis amicitia, quæ poſtmodum novo exoptatiſſimoqúe geminæ affinitatis vinculo, ſtudiorum & officiorum publicorum conjunctione, aliisqúe modis multipliciter ſubinde aucta fuit, difficulter admodum, ut ab invicem avelleremur, animum tuum inducere potuiſti; tuarum eſſe partium duxiſti, de me potiùs retinendo, quàm dimittendo, cogitare & laborare. Et certè, quòd tam honorificâ ratione, Ampliſſimus & Prudentiſſimus Magiſtratus Baſileenſis, me in patria retinere voluerit, nova conſtitutâ, gratioſeqúe, juxtà cum Hebræa, mihi delatâ Profeſſione Theologicâ, quâ hactenus Academia noſtra Baſileenſis caruerat, ejus rei gratiam non minimam debeo Tibi non ſolùm ego, ſed ventura etiam poſteritas (quæ hic id leget) debebit; quæ ejus rei fructum majorem procul dubio, quàm præſens ætas, eſt expertura. Nam ut ego, ad illam Profeſſionem, meam indignitatem ac tenuitatem facilè agnoſco & profiteor: ita non dubito, quin, Deo favente, me alii ſint ſequuturi, qui longè majori dexteritate & ſucceſſu eâ ſint defun-

ſturi,eamq; exornaturi. Quæ cauſa eſt,quod Vos, Viri Clariſſimi,in hoc præloquio, ad grati mei animi teſtificationem, conjungere volui, quos ſcio animis ſententiisque in Domino eſſe conjunctiſsimos. Quantumvis enim hoc in negotio aliquis inter vos diſſenſus fuerit , in mei tamen amore convenistis, & eundem effectum hoc veſtro amore produxiſtis; Promotionem ſc. boni publici & mei. Et eo nomine vobis quoque, D. D. Rivete , & D. D. Spanhemi, ſpero, gratulabimini, quòd ſi non eum, quem vos optaſtis, ſaltem , quem Dominus voluit , eventum res ſortita fuerit. Hanc itaque , pro his & aliis officiis ac beneficiis, gratitudinis meæ teſſeram accipite , quæ ſi veſtris meritis non par ſit, ſymbolum ſaltem ſit & indicium ſyncerum tantæ gratitudinis, quanta à me hoc tempore proficiſci potuit : ut & teſtimonium conſtantis & perpetuæ erga Vos obſervantiæ , honoris, & reverentiæ.

Deum Ter Opt. Max. toto pectore rogo , ut Vos, tanquam eximia gloriæ ſuæ promovendæ, & Eccleſiæ ædificandæ,organa, clementiſſimè florentes conſervare , ſanctis veſtris laboribus ubertim benedicere, ſubinde dies diebus, & annos annis adjicere, vitamque veſtram in generationem & generationem perpetuare velit. Dabam Baſileæ
14. d. Junii Anno
1647.

Ad Reveren-

ꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏ

Ad Reverendum & Clariſſ. Virum,

DN. JOHANNEM BUXTORFIUM, S.S. THEOL.
DOCTOREM, ET PROFESSOREM ORDINARIUM,
Virum in literaturâ Hebraicâ ſummum & incomparabilem,

Tractatum, de Punctorum vocalium, & Accentuum in libris V. T. Hebraicis, Origine, Antiquitate & Authoritate, publici juris facientem.

ἸΩΆΝΝΗΣ Ὁ ΒΟΞΤΟΡΦΙΟΣ
ἀναγραμματισθεὶς

ἌΞΙΟΣ Ὁ ΒΊΟΣ ΝΩ͂ ΤΡΟΦΉΝ.

Θειολόγου Ὁ ΒΊΟΣ *μάλα τιμῆς* ἌΞΙΟΣ *ἐστιν,*
Ὃς καὶ ΤΡΟΦΉΝ *ποιεῖ* ΝΩ͂, *πλέοσι τε τρέφει.*
Ἢν δέ τις οὐ μοῦνον θεῖα βρώματα δῷ, ἀτὰρ αὐλῶν
Καὶ ὑπερασπίζῃ, ἄξιος ὅς ῥα ποσῶν;

Latinè:

DIVINI *illa* Viri laude eſt *digniſſima vita:*
Multorum *mentes* qui fovet atque *cibat.*
At, ſi non modò quis ſacra pabula det; ſed & hoſtes
Pellat iis; quantis fulſerit hic meritis?

M. JOHANNES RODOLPHUS WETSTEIN,
Org. Ariſt. Prof. Facult. Philoſ. p. t. Decan.

LEONIS inſtar circuit horridi
Ovile Chriſti Tartareus Draco,
Quem devoret quærens, & uſque
Qui ſtygiis pereant in undis.
Aſtutioris nomina conſilii
Verſans, apertus quod negat impetus?
De cortibus plus inquietis
Mutuiter canat ut triumphos.
Non eſca pejor, litibus aptior
Extat ſerendis, queis cadat inſcium
Agmen pericli, quam ſuperbæ
Aucupium ſine fronte famæ,
Loquantur acti ſecula temporis:
Quid hæreſes? quid ſchiſmata lurida?

Morſus

Morſus quid? & funeſta Chriſti
Scandala protulerit popello?
Cui ſana mens eſt, tramite pervio
Stat atque trito; nec nova & avia
Molitur; aut vagatur ultra
Gloria quàm tulerit Jehovæ.
Hæc eruditi nominis inſidet
Buxtorffianæ gratia paginæ:
Hæc illa Princeps, literas quot
Chriſtiadum didicêre Hebræas.
Tentata nullis quæ retrò ſeculis
Hæc auſa primùm eſt: hæc proprium docet
Sermonem Hebræos: hæc penétrat
Priſca Sacræ monumenta linguæ:
Hæc illa Sacri punctula Codicis
Antiquitati vindicat: arduum
Conamen! hucuſque anxio quod
Diſtinuit pia corda voto
Hæc, Hæc revelat, quod latuit Librum,
Qui flatuoſo prodere ſpiritu
Arcana punctorum profeſſus:
Cuncta novis tribuens Magiſtris.
Nunc illa migrat cruda licentia,
Quæ puncta mutat priſca novitiis:
Non aſſerenda (turpe!) ſi quis
Romulidæ valedixit aræ.
Scriptura nunquid cerea Regula,
Inſtarque naſi tractilis, ut libet
Cuique linguæ erit perito?
Vimque Fides patietur amplam?
Buxtorffius nunc omne tulit ſatis
Punctum, ſuum qui reſtituit decus
Punctis antiquum, jure ſummo:
Indidit & ſciolis capiſtrum.
Exultet ejus dia laboribus
Fundatque Chriſti Caula perenniter
Grates; minùs nec glorietur
Alma Viro Baſiléa ſummo.

Affini honorando ocyùs ſcripſit:

JOHANNES JACOBUS WERENFELSIUS,
Eccleſiæ Baſil. Miniſter in Æde S. Martini.

TRACTATUS

TRACTATUS DE PUNCTORUM VOCALIUM, ET ACCENTUUM HEBRAICORUM, ORIGINE ET ANTIQUITATE,

PARS PRIMA, ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ'.

CAPUT I.

In quo Status Quæſtionis, Variæ circa illam ſententiæ, & præſentis Diſſertationis Methodus, exponuntur.

PUNCTORUM VOCALIUM ET ACCENTUUM, in Sacris Veteris Teſtamenti libris Hebraicis, Originem & Antiquitatem inveſtigaturi, non longâ circuitione & anfractu in veſtibulo utemur, ſed ſimplici & apertâ viâ negotium aggrediemur, ne in materiâ, per ſe ſinuoſâ & flexuoſâ, Lectorem ſtatim ab initio tædioſum aut perplexum reddamus.

Quæſtio eſt; *Cujus Antiquitatis & Originis ſint Figuræ Punctorum vocalium & Accentuum Hebraicorum?*

Quæritur hoc præcipuè propter libros Veteris Teſtamenti Hebraicos, notis Punctorum Vocalium & Accentuum hodiè inſignitos, ut de illius Punctationis non ſolùm Authore, ſed & Authoritate, conſtet.

Cauſam quærendi præbent diverſæ ac variantes Authorum, cùm inter Hebræos, tùm inter Chriſtianos, ſententiæ.

Quatuor autem, aut ferè quinque, ſunt Authorum hac de re opiniones.

Prima eſt; Vocalium & Accentuum Notas non fuiſſe unquam in uſu inter Hebræos, niſi poſt abſolutum Talmud; & excogitatas, Literiſq; additas fuiſſe, circa annum Chriſti quingenteſimum, aut paulò pòſt, à Maſorethis quibuſdam Tiberienſibus.

Secunda eſt eorum, qui illa adſcribunt duobus celebribus inter Hebręos Criticis & Sapientibus, *Ben Aſcher*, qui vixit in terrâ Iſraelis, & *Ben Naphtali*, qui in Babylonia vixit, circa annum Chriſti, ut Hebræorum Chronica tradunt, 1040.

Tertia; Puncta jam ante Moſen, imò ab Adamo, unà cum Literis, inventa & excogitata fuiſſe.

Quarta; Punctationem Moſi in monte Sinai fuiſſe datam; veruntamen in ſcribendo poſtea intermitti utplurimum ſolitam, & hinc oblivioni datam fuiſſe, uſque ad Eſram ſcribam, qui ea poſtliminiò in uſum revocârit.

Quinta; Puncta & Accentus, Moſi in monte Sinai traditos fuiſſe duntaxat juxta poteſtatem in pronuntiando & legendo; non verò ſecundum Scriptionis notas: legendæq; Scripturæ veram rationem, per Traditionem oralem propagatam & conſervatam fuiſſe uſq; ad Eſram; à quo demùm, in ſubſidium lectionis, & remedium oblivionis, Puncta & Accentus fuerint inventi & excogitati.

Quinque hæ ſententiæ commode in duas Claſſes dividi & diſtingui poſſe videntur; Ad *Primam Claſſem* referemus Sententiam primam & ſecundam, quibus *Punctorum Novitas* defenditur & aſſeritur; quòd videlicet poſt abſolutum demùm Talmud ſint excogitata: *Altera Claſſis* eſt eorum, qui *Pro Antiquitate* Punctorum pugnant; quò referemus eos, qui trium poſteriorum ſententiarum aliquam defendendam ſuſceperunt.

Juxta has itaq; duas Claſſes, præſentem quoq; noſtram Diſſertationem in duas diſpeſcemus partes;

In

In Prima parte agemus de *Punctorum Novitate*: ſeu de Prima atq; etiam Secundâ ſententiâ; præcipuaque Argumenta, quæ pro illis in medium proferuntur, examinabimus & ponderabimus.

In *Altera parte* tres poſteriores proponemus & explicabimus, quibusq; Argumentis *Punctorum Antiquitas* nitatur, exponemus.

Deus Benigniſsimus ad hoc ritè præſtandum, atque ad ſuam Gloriam, Veritatisq; illuſtrationem, perficiendum, Divinam ſuam nobis gratiam ex alto largiatur.

Caput II.

In quo Prima ſententia, De Novitate Punctorum & Accentuum, proponitur, & explicatur.

Prima itaque ſententia eſt eorum, qui aſſerunt, *Textum Veteris Teſtamenti Hebraicum nunquam fuiſſe ullis Vocalium aut Accentuum Notulis diſtinctum & ſignatum, niſi poſt completum Talmud, circa vel poſt annum à Chriſto nato quingenteſimo; quo tempore Puncta & Apiculi iſti ſint à Maſorethis quibuſdam excogitati.*

Sententiam hanc ex Hebræis primus in medium protulit, ſic etiam ſolus defendit Elias, Grammaticus ſuperiori ſæculo celebris, in libro Maſſoreth Hammaſſoreth, Præfatione tertiâ. Nam ex Hebræis, quod ego viderim, ab eo tempore nullos eſt nactus, qui ipſi ſint adſtipulati: quin potiùs agminatim omnes ſe ipſi opposuerunt, quibusq; potuerunt machinis hanc ipſius ſententiam oppugnarunt.

Ex Chriſtianis autem quamplurimi viri doctiſsimi, Theologi, Philologi, Critici, novam hanc Eliæ ſententiam ſunt amplexi & ſecuti; adeò ut periculoſum ſit, tot in re literaria principibus & heroibus ſe opponere, arduum & difficile hanc inter ipſos litem componere.

Hic tamen ſciendum & obſervandum, aliter hanc ſententiam tenuiſſe & defendiſſe Eliam: aliter eam accipi à pleriſque Chriſtianis.

Elias, quamvis in hoc à cæteris ſuis tribulibus diſſentiat, quòd Punctorum & Accentuum notas ac figuras recens Maſoretharum, in libris Sacris velit eſſe inventum; in hoc tamen cum illis conſentit, quòd forma & poteſtas iſtius punctationis, ſeu ratio legendi ſecundum hodiernam punctationem, ſit vera & genuina, juxta mentem Moſis, Prophetarum, & reliquorum Scriptorum Sacrorum expreſſa, ut hodierna Lectio, quam iſta punctatio Maſorethica repræſentat, nullâ plane ratione, hujus rei causâ, ſit in dubium vocanda, aut ſuggillanda, quaſi ipſi, pro lubitu ſuo proprio, Textum ſacrum punctis vocalibus animârint; eò quòd vera legendi ratio, per Cabalam & Traditionem oralem continuam, ad illos fuerit propagata: Unde dicit, *Verba Maſorethârum de Punctis & Accentibus, deq; numero dictionum, prout ipſi eas numerarunt, non eſſe falſanda aut mutanda.*

Chriſtianorum verò multi, qui hanc ipſius ſententiam arripuerunt, longè aliter:

Genebrardus in Epiſtolâ ad Lectorem, Pſalterio præfixâ, ſcribit, *Maſorethas hos opportuniùs Epimenidis, aut potiùs mortuorum ſomnum dormiſſe, quàm quando Tiberiadem Palæſtinæ convenerunt, ut ex uno Legis Paſuk multos verſus conficerent, accentibus partim diſtinguentibus, partim continuantibus, Scripturam univerſam inciderent, literas punctis, ſimilibusq; minutiis afficerent: Maſorethas hos fuiſſe profanos interpretes, puros Grammaticos, diſtinctionibus, accentibus, motionibus & punctis, libros Sacros partim illuſtraſſe, partim obſcuraſſe.* Vide eundem ad Pſalm. 105.

Lutherus in libro *Schem hammephôraſch* circa finem; *Quamobrem Hebraiſtis noſtris (quo nomine ipſos per Dei gloriam rogatos volo) hæc ſit præcipua cura, ut ſacra Biblia antiqua à Judæorum expoſitionibus expurgent, ut ubicunque poſſunt puncta, diſtinctiones, conjugationes, conſtructiones, ſignificationes, & alia Grammaticalia mutare, & à Judæorum ſenſu avertere, ut cum Novo Teſtamento melius conveniant, ut id audacter & licitè faciant, &c. Hoc ipſum quippe illi nobis fecerunt; Ubicunque enim his mille quingentis annis potuerunt Biblia, Punctis, Diſtinctionibus, Conjugationibus, &c. à noſtro Meſſia, noſtraq; fide avertere, & à Novo*

à Novo Teſtamento diſſona reddere, magna & rabioſá diligentiâ id egerunt, &c. Idem alibi: *Non ſum Hebræus ſecundum Grammaticos & Regulas, quia non patior me uſpiam alligari, ſed liberè quoquò verſus incedo.*

Mercerus in Geneſ.16.v.13. *Nolim quidem temerè à judicio Maſoritarum recedere, qui communicatâ inter ſe Bibliorum lectione, non ſine magno, ut veriſimile eſt, judicio, cùm docti eſſent, & in Scriptura exercitati, Bibliis puncta adhibuère. Verùm ubi aliud ſenſus ſuadet, & inſignior ac illuſtrior eſt ſenſus, ſi aliter legatur, quam illi ſcripſerint, præſertim ſi nihil de literis mutatur, non id piaculum judicârim, ſed tantùm aliis punctis dictio aliqua legatur, non reformidarim ab illorum judicio recedere.* Idem in Amos 2.v.12. *Certè puncta adjecta non debent nos ita adſtringere, quin ſi commodiorem videamus ſenſum; illum ſequi poſſimus. Illorum, qui puncta adſcripſerunt, tale ſuit judicium, quod neminem obligare debet.* Sic ferè in Eccleſ.3.19.

Sic alii, *adeò ut* (Verba ſunt Revelatoris Arcani Punctationis, pag. 293.) *quò quis alio erit doctior, & linguâ hujus peritior, magiſq́ ϛοχαϛικῆ facultate pollebit, eò etiam feliciùs ſit in locorum dubiorum interpretatione & ſenſu aſſequendo verſaturus; quâ nempe ratione id in prophanis ſcriptis fieri ſolet, ubi ii a vel vocum ambiguitate & homonymiâ, vel ſententiarum Amphibologiâ, variaq́ conſtructione, aut inſigni aliquâ difficultate laborant.*

Quàm benè aut tutò hæc dicantur, nunc nondum diſcutiemus; ſed ad intelligendam & explicandam duntaxat horum authorum mentem, illa à nobis afferuntur.

Præterea ELIAS, quantum ex ipſius verbis colligi poteſt, ſtatuit, eoſdem authores in urbe Tiberiade ſimul & ſemel, aut ſaltem non intra nimis magnum annorum ſpatium, hanc artem inveniſſe & perfeciſſe, in Maſóreth hammaſóreth Præfatione rhythmicâ primâ: Et in libro טוב טעם cap. 2. ſcribit: *Sed ecce dubitari poteſt, Utrum Accentus unà cum punctis inventi ſint eodem tempore; an verò per diverſos, unum vel plures, non uno tempore? &c.* ולבי אומר לי כי אותם שהמציאו הנקוד המציאו גם כן הטעמים והושמו שניהם עם האותיות בזמן אחד *Meus verò mihi atteſtatur animus, eos qui invenerunt punctandi rationem, inveniſſe quoque accentus, ac utraq́ literis appoſuiſſe tempore uno.*

Alii ex Chriſtianis ſunt, qui exiſtimant, *non ab uno aut altero homine*

ſimul & ſemel, paucis menſibus vel annis, excogitatos fuiſſe, & ſacro textui additos, omnes hodiernos apiculos. ſed paulatim id fuiſſe factum, à variis hominibus, diverſisq; temporibus, aliis alia excogitantibus, & iis, quæ inventa jam fuerant, aliquid ſubinde addentibus: Initium hujus rei factum fuiſſe circa annum Chriſti 500. magnam autem partem confectam, & ultimam veluti manum illi impoſitam fuiſſe, à celebri Maſoretha Ben Aſcher, qui floruit circa annum Chriſti 1040. Ut ſic quingentorum & ampliùs annorum ſpatio maximum hoc Punctationis opus fuerit abſolutum & perfectum. Tantæ nempe molis erat Punctatorum condere gentem. Elias quidem etiam in prædicti libri Præfatione tertiâ circa finem ſcribit; *Maſſorethas plurimos fuiſſe unâ generatione poſt aliam annis compluribus*; ſed nequaquam hoc dicit de artificio Inventionis punctorum & accentuum; verùm de reliquis Maſoræ partibus.

Quinam hi Maſorethæ fuerint? non ita certò definiunt: ELIAS dicit, illos fuiſſe אנשי טבריא *Viros urbis Tiberiadis, ſive Tiberienſes,* חֲכָמִים גְדוֹלִים וּבְקִיאִים בְּמִקְרָא וצחי לָשׁוֹן מִכֹּל שְׁאָר הַיְהוּדִים אֲשֶׁר הָיוּ בְּדוֹרוֹת הָהֵם וְאַחֲרֵיהֶם לֹא קָמוּ כְּמוֹהֶם *Sapientes maximos, & in Scriptura exercitatiſſimos, diſertiſſimosq; omnium reliquorum Judæorum, qui illis temporibus extiterunt.* De Urbe *Tiberiade*, ejus Scholâ & Sapientibus, videatur Tiberias ſive Commentarius Maſorethicus Patris mei. Hoc tantùm addo. Quando Elias ſcribit אַנְשֵׁי טְבֶרְיָא *Viros Tiberiadis* eſſe Authores Punctorum, addit, הִיא מְעוֹזִיָּא *Ea* (ſc. Tiberias) *eſt* מעזייא. Hanc vocem Munſterus legit & explicavit *Mæſia*. Unde & in Grammatica ſua ſcripſit; *Tiberitæ, qui habitabant in Mæſia Paphlagoniæ.* Atqui hæc Tiberias, quæ à tam doctis viris, & ab elegantiſſima pronunciatione linguæ Hebraicæ celebratur, alio in loco ſita eſt, nempe in Galilæa ad lacum Genezareth. Unde ego ſemper dubitavi, an מעזייא illic ſit *Mæſia*. Itaque puto legendum מֵעֲזִיָּא *Ex Aſia*, vel, *In Aſia*, ut מ Mem ab initio ſit Præpoſitio, non litera radicalis, *Tiberias, quæ eſt in Aſia*, vel, *Ex Aſia, Pars Aſiæ.* Deſumpſiſſe hoc nomen mihi videtur Elias, ex libello de Accentibus, qui additus eſt in fine Primæ editionis magnorum Bibliorum Venetorum, ubi legitur: זֶה סֵפֶר מִדְקְדוּקֵי הַטְּעָמִים שֶׁחִבֵּר רַבִּי אַהֲרֹן בֶּן אָשֵׁר מִמָּקוֹם מֵעֲזִיָּא הַנִּקְרָאת טְבֶרְיָה אֲשֶׁר עַל יָם כִּנֶּרֶת מַעֲרָבָה *Hic eſt liber de Subtilitatibus Accentuum, quem compoſuit R. Aharon ben Aſcher ex loco Aſiæ, qui vocatur Tiberias,*

quæ

quæ eſt ad mare Geneſareth Occidentale. Vel כְּעִזִיה eſt nomen Antiquum illius urbis, quo vocata eſt, antequam Tiberiadis nomen acciperet à Tiberio, ut docetur in Bereſchith rabba ſect. 23. Ego in hac lectione, quam indigitavi, nihil abſurdi reperio. Attamen conjectura eſto. Pergamus.

Gilbertus Genebrardus in Chronologia pag. 181. ſcribit: *Sunt autem adinventa, paulò poſt tempora Honorii Imperatoris, anno ab everſo templo 436. qui eſt à Chriſto paſſo 476. in Tyberiade, urbe Galilææ. Hujus muneris principes fuère Aaron Aſerus, & Jacobus Nephtalis, filii, &c.* Et pag. 451. *Anno ab everſo templo 436. id eſt Chriſti 476. vel 478. Simplicio Pontifice, Zenone autem Orientis, Auguſtulo Occidentis Imperatore, poſt mortem D. Hieronymi anno 56. (nam obiit Chriſti 422) Judæi Tyberiadis Palæſtinæ, indicto concilio, ad quod Babylonii confluxerunt, primarius eorum R. Ben Aſer, & R. Ben Naphtali, notulas, quibus hodie Judæi utuntur vice vocalium & accentuum, ad lectionis facilitatem repererunt.* Et mox: *Aaron ben Aſer, Jacob ben Naphtali, fuère punctatorum principes, &c. Nec tamen illi vel accentuum vel punctorum traditionem, quotuplicem habemus, ediderunt, ſed qui eos ſecuti ſunt Rabbini, inventis pulchre rebus facile addentes, &c.*

In hac Genebrardi ſententiâ notet Lector; *primò*, quòd de Concilio, à Judæis Tiberienſibus, ad quod Babylonii etiam confluxerint, indicto, ſcribit; id ſine teſte ab eo dici. Hebræorum hiſtoria hoc Concilium prorſus ignorat. Elias libro de Accent. cap. 2. quem citat, nihil hac de re habet: *ſecundò*, inſignis in Viro Chronologo, in libro Chronologico, obſervanda ἐναντιολογία, in eo quod dicit, *Puncta inventa eſſe circa Annum Chriſti 476. vel 478.* &c, *Principes hujus rei choragos & ἐργοδιώκτας fuiſſe R. Aharon Ben Aſcher, & Jacobum ben Naphtali.* Hæc utiq; conſiſtere non poſſunt: nam hi duo vixerunt demum circa Annum Chriſti 1037. ut Hebræorum Chronologia docet, hoc eſt, plus quàm 500. poſt annis. In Tzemach David par. 1. ſub An. mundi ſupputationis minoris 797. qui reſpondet Anno Chriſti 1037. הַחֲכָמִים שֶׁנֶּחְלְקוּ עַל הַרְבֵּה מִלּוֹת שֶׁבַּתּוֹרָה הַנִּקְרָאִים בֶּן אָשֵׁר וּבֶן נַפְתָּלִי הָיוּ בַּזְּמַן הַזֶּה *Sapientes, qui de multis in Lege vocibus diſſenſerunt, Filius Aſcher, & Filius Naphtali, dicti, fuerant hoc tempore.* In Schalſcheleth hakkabbalah fol. 37. col. 1. ſub Anno 794. hoc eſt, Chriſti 1034. בדור הזה היו לפי דעתי שְׁנֵי חֲכָמִים גְּדוֹלִים שֶׁנֶּחְלְקוּ עַל מלות הרבה שֶׁבַּתּוֹרָה וּטְעָמֵיהֶם ונקְראו רַבִּי אַהֲרֹן בֶּן־רַבִּי משֶׁה

משה משבט אשר ורבי משה בן דוד משבט נפתלי *Circa hoc tempus, juxta meam ſententiam, fuerunt duo illi maximi Sapientes, qui circa multas in Lege voces, & Accentus illorum, diſſenſerunt, & dicti fuère, R. Aharon Filius R. Moſis, de tribu Aſcher; & R. Moſes filius Davidis, de tribu Naphtali.* Magnum itaque inter hæc duo tempora διάστημα. Aut, ſi meliùs ipſorum hiſtoriam ſcivit, debuiſſet explicare, & oſtendere, unde ea deſumpſerit. Non accuratè legit Eliam, quem tamen ſæpius citat, qui diſertè & meliùs ſcribit, in libro Maſoreth Præfat. tertiâ: *At diſſidia inter Ben Aſcher & inter Ben Naphtali, quæ tantùm ſunt de Punctis & Accentibus, non eſt dubium, quin poſt Inventionem punctorum & accentuum conſcripta ſint. Fuerunt autem duo iſti Viri Rectores Academiarum, quorum unus appellatus fuit Jacobus Ben Naphtali, alter Aharon ben Aſcher.* Sed de his, & horum diſsidiis, non eſt nunc ulterius dicendi locus. Eò duntaxat hæc ſunt producta, ut ſententia hæc prima de Punctorum Novitate rectiùs intelligi à Lectoribus queat. Pluribus de illis infrà.

In hac ergo primâ de Punctis Vocalibus ſententiâ, duo nobis pervidenda occurrunt:

Primò, Sententia ipſa hiſtoricè conſiderata, *quâ ſive ex parte, ſive ex toto, Puncta à Maſorethis Tiberienſibus, circa annum Chriſti 500. inventa dicuntur*; & hujus ſententiæ Argumenta, non ſolùm ab Elia, ſed & ab aliis pro ejus defenſione allata.

Deinde; Sententiæ hujus Conſectarium & Appendix, quo dicunt; *Inventum hoc eſſe mere humanum, ac proinde neminem ad hodiernam librorum Sacrorum Hebraicorum lectionem & punctationem ita adſtrictum eſſe debere, quin, ſi commodiorem ſenſum, ſeu ex ſemetipſo, ſeu ex Veteribus Interpretibus & Codicibus, Græcis, Chaldæis, Latinis, Samaritanis, &c. haurire & invenire queat, liberè puncta illa immutare, & alia ſubſtituere poſſit.* Hoc verò non eſt ex Eliæ mente, uti vidimus, ſed eſt præjudicium nonnullorum Chriſtianorum, qui hanc veluti fimbriam ſeu laciniam heterogeneam, Eliæ pallio aſſuunt & annectunt.

Hanc de Novitate Punctorum ſententiam nemo ex Chriſtianis, majori niſu, majorique ſtudio & conatu defendendam ſuſcepit, quam LUDOVICUS CAPPELLUS, Profeſſor Hebræus Salmurienſis, in Tractatu, cui Titulum fecit, ARCANUM PUNCTATIONIS REVELATUM, nomine quamvis ſuo, tùm

temporis,

temporis, certas ob cauſas, celato & ſuppreſſo; in quo non ſolùm Argumenta Eliæ vel fortiùs, vel alio modo, urget ac proponit, ſed & alia nova excogitavit, magnaque mole undiquaque coacervavit & congeſsit.

Ejus itaque veſtigiis in hoc opere inſiſtemus, & Argumenta ipſius, eodem ordine, quo ab ipſo ſunt propoſita, quantum noſtra dabit tenuitas, examinabimus.

Antequam verò rem ipſam Argumentis fulcire aggreditur D. Cappellus, ad favorem Lectoris emerendum, præfatur inter cætera, mox ab initio, cap. 1. §. 9. *ſe non ſolum eſſe, qui in hac cauſa cum Elia ſentiat. In eadem ſiquidem eſſe ſententia primos quoſq;, & maximè inſignes, celebresq; Theologos inter Reformatos, & doctiſſimos quidem inter eos Grammaticos, Criticóſve, linguæq; Hebraicæ peritiſſimos, quiq; eam ſcriptis ſuis, inter Chriſtianos Europæos, magnâ cum laude illuſtrârint, Lutherum, Pellicanum, Munſterum, Fagium, Mercerum, Martinium, Scaligerum, Caſaubonum, Druſium; ut & doctiſſimos, minimèq; ſuſpectæ fidei in hac cauſa Pontificios, Reuchlinum, Picum Mirandulanum, Maſium, & alios.*

Ad quod dico 1. hoc omninò eſſe extra controverſiam, quamplurimos noſtrorum & Pontificiorum in hac eſſe ſententia. Sed quid mirum, ſi illi Theologi, qui à ſuperiori ſæculo, poſt Eliam ſc. vixerunt & ſcripſerunt, ita ſenſerint? quia conſtat, illos hanc ſententiam ab Elia, qui tùm magnam inter Chriſtianos, libellis ſuis Grammaticis, à Munſtero in uſum Chriſtianorum Latinè verſis, famam acquiſiverat, imbibiſſe & addidiciſſe, hujusq; ſolius pænè authoritate, ut ſic ſentirent, permotos eſſe.

2. Pace doctiſsimi D. Cappelli, dicendum etiam, illos quos nominat, non omnes liquidò in hanc ſententiam ire, ſed eſſe ex illis, qui ambegerint, & qui aliter, atque contrarium planè, ſenſerint.

Manifeſtè ab illis ſtant partibus; Lutherus, Mercerus, Martinius, Scaliger, Pellicanus.

Druſius aliquando dubitanter & timidè de hac re loquitur, ut in Tetragrammato: *Hoc voluerunt Maſoretæ, qui vocales addiderunt; ſi modò ab illis additæ ſunt. Nam dubitari video.* In Quæſt. lib. 2. qu. 33. *Rarò fuerunt adſcriptæ.* Ergo aliquando. Alibi paulò tumidiùs: nullibi planè categorice & definite.

Sebaſtianus Munſterus contrarium ſentit apertè, Præf. in Biblia,

ubi diſertè ſcribit; *Non ſunt igitur Puncta Vocalia novum quoddam Judæorum commentum, ut Steuchus & quidam alii ſimiles exiſtimant, &c.* In Grammatica ſententiam Eliæ quidem propoſuit, ſed nihil definivit.

Fagius ubi ſententiam hanc defendat, mihi non conſtat. Vellem adduxiſſet locum, uti & verba, quibus Eliæ in hac cauſa adſtipulatur.

Reuchlinus planè contrarium ſtatuit; Sic enim ſcribit lib. 3. Cabalæ ſuæ: *Nondum enim erat Scripturæ diſtinctio per Puncta & Accentus, quæ ab annis Eſræ primùm capit.* Et rurſus; *Quinque terminales* (literas) *longè poſt ille prudens Eſra ſimul cum punctis adinvenit.*

Maſius dubitavit; Comment. in Joſuam cap 3. v. 16. ſcribit; *Sed illi* (LXX) *vocalium obſervationi operam nullam dediſſe videntur, quarum fortaſſe* (NB) *nullæ erant eo tempore notæ.*

Picum Mirandulanum in Eliæ ſententia fuiſſe eſt figmentum. Picus enim ſcripſit ante Eliam, & Elias primus hanc ſententiam excogitavit. Adde quòd non potuerit eſſe hujus ſententiæ: Nam qui Cabaliſtarum doctrinam tanti fecit, non potuit aliter, quàm Punctorum & Accentuum antiquitatem tenere & defendere. Quinimò contrarium videtur exprimere Epiſtolà ad Ignotum, ubi agit de mutatione Literarum Judaicarum, quæ fertur ab Eſdra facta eſſe; De hac ſcribit; *Percontatus ſæpè in Mithridatem, & multos Judæos, &c. Qui neſcios ſe hujus mutationis omnes prædicant:* Addit; *Et* (quod majus eſt) *pro comperto habent, iiſdem, quibus nunc utimur in Hebraica literatura apicibus* (i. e. punctis Vocalibus) *uſos & Moſen, & Patriarchas omnes.* His verbis mihi videtur velle dicere, Judæos pro comperto habere, non ſolùm has quibus utuntur literas eſſe primigenias & antiquas, ſed & *Apices*, i. e. Puncta vocalia & Accentus. Si D. Cappellus locum in Pico Mirandulano obſervavit, ubi Elianam de Punctis ſententiam profitetur, edat illum & in medium proferat. Ego verò illum hîc puto falſum eſſe: vel ille alia ejus opera habebit, mihi non viſa.

Meliùs itaque hi authores excutiendi & examinandi fuiſſent.

Ut igitur ad rem ipſam, & Examen Sententiæ hujus progrediamur, Tres Argumentorum Claſſes facit D. Cappellus, quibus eam defendit: *Prima* continet Authorita-

thoritates & Teſtimonia Judæorum: *Secunda*, Argumenta petita ab Hiſtoria. *Tertia*, ex Grammatica. Ordine itaque hoc & nos præcipua conſiderabimus, & ad veritatis libramen examinabimus.

Primæ Claſſis Argumenta ſeu Teſtimonia, iterum dividit in Expreſſa vel Aperta, & Tacita & quaſi Implicita.

Ab hac itaque prima Claſſe orſuri, videamus primò omnium Teſtimonia Hebræorum Expreſſa, quæ afferuntur.

Caput III.

De prima, pro Novitate Punctorum, Ratione; Ab expreſſis Hebræorum Teſtimoniis atq; Authoritatibus, deductâ.

Primus, qui ex Hebræis ad Teſtimonium dicendum pro Punctorum novitate producitur ab Elia, & ex Elia à D. Cappello, eſt Aben Esra, qui in libro *Tzachut* fol. mihi 138. col. 2. ita ſcribit; וְכֵן מִנְהַג חַכְמֵי טְבֶרְיָא והם הָעִקָּר כי מהם הָיוּ אַנְשֵׁי הַמָּסוֹרֶת וַאֲנַחְנוּ מֵהֶם קִבַּלְנוּ כָּל הַנִּקּוּד hoc eſt, *Sic eſt conſuetudo Sapientum Tiberiadis, qui ſunt nobis pro fundamento vel norma: Ex illis enim fuerunt Viri Maſôreth, vel Maſorethæ, & nos ab illis accepimus totam punctationem.*

Nihil, inquiunt, poteſt dici expreſsius pro Eliæ ſententia. Nam *Maſorethas Tiberienſes Authores dicit Punctationis.* Itaq; ex Aben Eſræ mente non eſt a Moſe, vel Propheris, neque ab Eſra.

Et in eodem libro fol. mihi 193. col. 2. ſub finem libri, ſcribit; יֵשׁ מְפָרְשִׁים רַבִּים מַטְעִים אֶת הַמַּפְסִיק וְלֹא אָמְרוּ נְכוֹנָה מֵהֶם ר׳ מֹשֶׁה הַכֹּהֵן שֶׁאָמַר כִּי לְמַכְבִּיר סָמוּךְ עַל כַּפַּיִם כִּסָּה אוֹר h. e. *Sunt multi Interpretes, qui erroris arguunt Pauſatorem,* (h. e. Authorem diſtinctio-

nis verſuum) : *ſed non dixerunt rectum. Talis naſutus fuit R. Moſes Haccòhen, qui dixit, quòd Jobi 36. 31. vox* לְמַכְבִּיר (quæ verſum 31. claudit) *cohæreat cum verbis ſequentibus,* עַל כַּפַּיִם כִּסָּה אוֹר (quæ ſunt v. 32.) &c. וַאֲנִי לְפִי דַעְתִּי אֶתְמַהּ מְאֹד תִּמָּהוֹן גָּדוֹל אֵיךְ טָעָה הַמַּפְסִיק וְאַף כִּי אִם הוּא עֶזְרָא הַסּוֹפֵר וְהַכְּלָל כִּי הַמַּפְסִיק לֹא הָיָה אַחֲרָיו חָכָם כָּמוֹהוּ כִּי הִנֵּה רָאִינוּ בְכָל הַמִּקְרָא כִּי לֹא הִפְסִיק כִּי אִם בְּמָקוֹם רָאוּי *Ego verò vehementer miror, quomodo errare potuerit Pauſator, maximè ſi ille ſit Eſra Scriba, & cùm certum ſit, poſt hunc Pauſatorem neminem fuiſſe, qui Sapientiâ ei fuerit conferendus. Videmus enim per univerſa Biblia, quòd nullibi diſtinxerit, niſi in loco convenientiſſimo.*

Ex hoc teſtimonio ſic concludunt: *Cùm Aben Eſra dicat,* Non paucos Interpretes erroris arguere Pauſatorem; *hinc conficitur, illos non fuiſſe in hac ſententia, Moſen, aut Prophetas, aut Eſram, Diſtinctionis verſuum & accentuum, eſſe authores. Quis enim tam impius, aut temerarius, qui hoc facere ſuſtineat?* Deinde, *cùm Aben Eſra dicat,* אַף כִּי אִם הוּא עֶזְרָא Maximè ſi ille ſit Eſra; *patet, hoc ab illo non ex propriâ, ſed aliorum ſententiâ, eſſe dictum.* Tertiò, *quod idem addit*; Pauſatori neminem poſt eum ſapientiâ conferendum extitiſſe; *non poſſe de Eſra ab ipſo dictum eſſe: nimis enim frigide & dilutè fore hoc ab eo dictum; cùm nemo ſit, qui hoc neſciat.* Sic hujus ſententiæ Patroni loca iſta Aben Eſræ accipiunt & exponunt, eumque vi horum teſtimoniorum à ſuis partibus locare ſatagunt.

℞ Ego verò dico, vim hîc inferri Aben Eſræ, & illum invitum in hæc caſtra trahi. Nego *Aben Eſram dicere, Maſorethas Tiberienſes eſſe Authores Punctationis.* Nego, *hæc verba* אַף כִּי אם הוא עזרא, *ex aliorum ſententia ab Aben Eſra eſſe dicta.* Nego, *illum per* Pauſatorem, *alium, quam Eſram ſcribam intellexiſſe.*

Hoc ut appareat, mens & ſententia Aben Eſræ paulò diligentiùs nobis rimanda, & altiùs repetenda. Meliorem autem & certiorem ejus Interpretem non habere poſſumus, quam ipſummet, ſi videlicet Aben Eſram cum Aben Eſra conferamus, &, Quo ſenſu hæc omnia ab ipſo dicta ſint & ſcripta, cùm ex aliis ejus locis parallelis, tùm ex horum eorundem locorum circumſtantiis, inveſtigaverimus? Ipſemet ergo in medium prodeat, & quid de tota hac re ſenſerit, nobis ediſſerat & explanet.

Inſignis locus extat in libro ipſius, quem inſcripſit מֹאזְנֵי לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ *Statera linguæ Sanctæ,* qui à nemine, quod ſciam, hactenus obſer-

obſervatus fuit, & tamen plurimum lucis videtur toti huic rei illuſtrandæ adferre: Itaque magnum operæ pretium exiſtimo, ut producatur. Sic ergo in illo libro ſtatim ab initio ſcribit Aben Eſra: אמרות יי׳ אמרות טהורות, ביד אנשי קדש שמורות, דורות אחרי דורות, כי המוקדשים מני בטן שמעו דברי קדש · מפי נאדר בקדש, ויהיו מליצים בינו ובין יעקב עם הקדש, ואלה היו בטרם בנות בית קדש עולמים · ובימי עמדו על מכונו · ואחריו עד חתום חזון ונביא אחר שנים במספר לבנות הבית הקדוש פעם שנית ונחה רוח יי׳, רוח חכמה ובינה על אנשי הבית, הנקראים אנשי כנסת הגדולה, לבאר כל חתום במצות והדברים עתיקים · בפי צדיקים, מפי נביאים קדמונים ואחרונים, גם הם היו משיבי טעם וילמדו הבאים אחריהם חפץ כל עניין על יד טעמי המקרא, והמלכים והמשרתים, והסתומים, והפתוחים, והדבקים · והפסוקים, ועינים היו לעור · על כן נצא בעקבותיהם, ונרדוף אחריהם, ונשען עליהם בכל פירושי המקרא. ואחר גלות אבותינו מעיר הקדש העיר יי׳ את רוח קדשיו ובראשם רבינו הקדוש לחבר רשום בכתב אמת במצות אלהינו והיא המשנה · עליה אין להוסיף וממנה אין לגרוע: גם אחריהם באו שרי קדש והם אנשי התלמוד וילכו במעגליהם ויסקלו מסלות התעודה ויסירו כל אבן נגף מארחות יי׳ ואחר כן עמדו בישראל כיד אלהינו הטובה עלינו שתי תורות גדולות, האחת שומרי חומות המקדש המעוז מוסד ידי אלהינו אשר לא יכול זר להחריבו וזה המקדש הם ספרי הקדש, ואנשי התורה הם אנשי המסורת שהבדילו כל ערב מן הקדש ויספרו כתי המקדש מבין שתים עד אחת עשרה למען אשר לא יקרב זר אל שערי צדק ברוך יי׳ אלהינו אשר נתן כזאת בלב שאר ממלכת. כהניו לפאר ביתו שהוא. בית החכמה כדברי שלמה חכמות בנתה ביתה: והתורה השנית ההולכת למול ואני אחריה הם מלומדי מלחמת התורה, והם אנשי הרקדוק וכו׳ hoc eſt, *Eloquia Domini ſunt eloquia munda, Per manus virorum ſanctorum ſervata, Generatione unâ poſt aliam: Nam ſanctificati ab utero* (ad imitationem Jeſa. 46. 3.) *audiverunt verba ſancta, ex ore Magnifici in ſanctitate* (Dei, ex Exo. 15. 11.), *Et fuerunt interpretes* (nempe illi Viri ſancti) *inter Ipſum* (Deum) *& inter Jacobum populum ſanctum: Et hi fuerunt, antequam exſtructa eſſet domus illa ſancta* (Templum), *& cùm ſtaret illud ſuper baſin ſuam, Item poſt illud dum obſignaretur Viſio & Prophetia: Poſt annos verò paucos, ex quo ſecundâ vice exſtructum fuit Templum, requievit Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intelligentiæ, ſuper viros Templi quoſdam, qui vocabantur Viri Synagogæ magnæ, ad explicandum omne quod obſignatum*

erat in præceptis, omniaq; verba translata (per Cabalam ſcilicet & oralem traditionem, ex 1. Paral. 4. 22. ubi vide in Kimchio, quid ſint דברים עתיקים), *per os juſtorum, ex ore Prophetarum priorum & poſteriorum: Iidem etiam fuerunt reſpondentes conſilium* (Heb. משיבי טעם ex Prov. 26. 16. Voce autem טעם reſpicit & alludit ad inventionem Accentuum; quia iſta vox, quæ *Conſilium, Rationem*; etiam *Accentum* ſignificat, ut ex ſeqq. verbis patet) *docueruntq; poſteros ſenſum omnium verborum, per Accentus Scripturæ; per Reges item & Miniſtros: Sectiones clauſas, & apertas: Continuas: Verſus: & fuerunt vice oculorum cæco. Propterea in veſtigiis ipſorum egredimur, ipſos ſequimur, illuq; innitimur in omnibus Scripturæ expoſitionibus. Poſthac, cùm Patres noſtri ex urbe Sancta ejecti fuiſſent, excitavit Deus Spiritum ſanctorum ſuorum, quorum præcipuus fuit Rabbenu Hakkadoſch ad conjungendum & colligendum ea quæ paſſim conſignata erant in chartis, de Præceptis Dei noſtri* (eorumq; expoſitione); *in Miſchna ſcilicet*, quæ continet Textum Talmudicum) *ad quam nihil eſt addendum, nihil etiam de illa detrahendum. Poſt hos ſequuti ſunt alii Principes & Heroës ſancti, Talmudici ſcilicet* (ſeu Gemariſtæ) *qui in illorum orbitis inceſſerunt, & ſemitas Teſtimonii elapidarunt, omnemq; lapidem offenſionis ex viis Domini removerunt. Poſt iſtos, exſurrexerunt in Iſraële, ſecundum magnam erga nos Dei gratiam, duo alii Ordines vel Claſſes*; (ex Nehem. 12. 31.) *Una, cuſtodientium muros Sanctuarii fortitudinis* (Dan. 11. v. 31.) *fundati à Deo noſtro, ut nullus alienus illud vaſtare poſſit: Sanctuarium hoc ſunt Libri Sacri: Viri verò hujus claſſis vel ordinis ſunt Viri Maſoreth, qui ſeparaverunt omnem mixturam à Sancto* (ad imitationem Nehem. 13. 3.) *numeraruntq; viros Sanctuarii, à duobus uſq; ad undecim, ne alienus aliquis ſe intruderet in portas juſtitiæ. Benedictus eſto Dominus Deus noſter, qui talia indidit animis reliquiarum Regni ſui ſacerdotalis, ad ornamentum domus ſuæ, quæ eſt domus Sapientiæ, ſecundum id quod Salomon dicit*; Sapientia ædificavit domum ſuam: *Secunda Claſſis è regione proficiſcens, & ego poſt illam* (ex Nehem. 12. 38.), *ſunt edocti bellum Legis*, (ad imitationem Cant. 3. 8.) *Grammatici videlicet, &c.* Hactenus Aben Eſra.

In hoc loco eleganter & diſertè exponit Aben Eſra, Quâ ratione, & Per quos, Sacrum Dei Verbum inde ab initio uſque ad tempora Grammaticorum fuerit conſervatum, quidque, & à quibus, ſingulis ſæculis ſit circa illius conſervationem præſtitum:

Primò

Primò dicit, conſervatum fuiſſe Dei Verbum, verumque ac genuinum ejus ſenſum & intellectum, (ſine punctis & accentibus) per *Viros Sanctos*; quales nempe fuerunt *Moſes* & *Prophetæ*: & hoc uſque ad tempora Templi ſecundi, quibus obſignata fuit Viſio & Prophetia, hoc eſt, quibus Prophetæ & ſimiles Sancti Dei viri, per quos ſarta, tecta & inviolata manſerunt ſacroſancta Dei Oracula, ceſsârunt & deſierunt.

Secundo; Poſt exſtructum templum ſecundum, ad finem vergente Prophetarum dono & miniſterio, Deum alios Sanctos Dei viros excitaſſe, nempe Viros Synagogæ magnæ (hoc eſt, Eſram cum ſuo Concilio) qui Verbum Dei per oralem traditionem eouſque conſervatum, aliis mediis magnâ curâ & ſtudio conſervarint, & ad poſteros propagârint. Quomodo autem hoc præſtiterint, quidque in ſpecie Viri Synagogæ magnæ circa Sacræ Scripturæ conſervationem fecerint? ſpeciatim & per partes docet; 1. Dicit eos hoc feciſſe עַל יַד טַעֲמֵי הַמִּקְרָא *Per Accentus Scripturæ*: 2. Per הַמְּלָכִים & הַמְשָׁרְתִים *Reges & miniſtros*: Hîc ſciendum, illum per Reges non intelligere Accentus, quomodo illi à Grammaticis in Reges & Miniſtros dividuntur, ſed intelligere *Puncta vocalia*, ſicut ex ſequentibus & pluribus aliis locis liquet: Nam mox pag. ſeg. enumerat המלכים *Reges*, & dicit eſſe ſeptem, videlicet, *Cholem*, Schureck, Chireck, Pachach, Sægol, Kametz, *Tzere*: Per *Miniſtros* videtur intelligere Scheva, nonnunquam mobile nonnunquam mutum, ut & Scheva compoſitum; quia ſtatim recenſioni horum ſeptem Regum, doctrinam de Scheva ſubjungit. In recenſione autem ſeptem regum, ſub Kametz videtur etiam comprehendi Kametz chatuph, ſive breve, quia eâdem ut plurimùm figurâ ſcribitur: ſub Chireck, utrumq; I, longum & breve: ſub Schureck, utrumque V, nempe Schureck longum, & Schureck breve, id eſt, Kibbutz. De diſtinctione hac Vocalium in Reges & Servos vide etiam Balmeſium cap.3. de Punctis. 3. Per הַסְּתוּמִים וּפְתוּחִים ודבקים doctrinam de *Sectionibus clauſis, apertis, & continuis* (de his alibi dictum) 4. Per הַפְּסוּקִים *Verſus, ſeu Diſtinctionem Scripturæ in Verſus*. His adminiculis dicit illos fuiſſe inſtar oculorum cæcis, horumque veſtigiis nos hodiè inſiſtere in lectione & expoſitione Scripturæ: Dicit nos horum expoſitioni ubique in Scriptura inniti. Ergo non Maſoretharum Tiberienſium.

Tertiò ſubjungit Viris Synagogæ magnæ, *Doctores Miſchnicos*, quibus potiſsimum adſcribit Explicationem Præceptorum Dei veram.

Quartò ſuccenturiat his *Talmudicos*, ſeu *Gemariſtas*, qui ulteriùs Miſchnicam doctrinam ſuis diſputationibus & explicationibus illuſtrarunt.

Quintò dicit, ſingulari Dei gratiâ duas alias claſſes exſurrexiſſe, conſervationi Scripturæ Sacræ operam utilem navantes;

Primam Claſſem attribuit *Maſorethis*: His nullam vel Punctorum, vel Accentuum, vel Diſtinctionum, inventionem adſcribit; ſed à duobus præcipuè illos commendat, 1. quòd omnia aliena à libris ſacris, ſi quæ fortè in illos irrepſerint, ſepararint; 2. quòd voces, adeoque literas omnes, ne ulli corruptioni locus daretur, numerârint. Cum quibus plane conſonum eſt, quod in libro יסוד מורא *Jeſod móra*, de illis ſcribit: האמנת כי יש שכר לפעולות בעלי המסורת שהם כשומרי חומות העיר כי בעבורם עמדה תורת יי' וספרי הקדש על מתכנתם בלי תוספת ומגרעת hoc eſt, *Certe merces magna debetur authoribus Masóreth, qui ſunt quaſi cuſtodes murorum civitatis: propter ipſos enim perſtat Lex Domini, & libri Sancti, in forma ſua abſq; ulla additione aut detractione.*

Alteram Claſſem aſsignat *Grammaticis, &c.*

Hæc eſt ſumma verborum Aben Eſræ: ex quibus luce meridianâ clariùs apparet;

I. Illum Inventionis Punctorum, Accentuum, Diſtinctionumq; omnium, Authores facere, non Maſorethas Tiberienſes, ſed Viros Synagogæ magnæ, quorum caput fuit Eſras: Maſorethas enim Tiberienſes longè poſt Punctorum, Accentuum, & Diſtinctionum Authores recenſet.

Neque hîc ulla patet rima Exceptioni; *quòd de Poteſtate ac valore duntaxat Punctorum & Accentuum loquatur:*

Nam verba ejus nimis ſunt manifeſta, & ſeries Orationis ipſius hoc non permittit: quia eleganti Ordine docet, quid, a quibus, ſingulis ſæculis & ætatibus, circa conſervationem Sacræ Scripturæ, & veri ejus ſenſus, fuerit præſtitum. Si de orali explicatione duntaxat loquutus eſſet, quid ſic aliud egiſſent Viri Synagogæ magnæ, quam Viri illi, qui ipſos præceſſerunt? Annon illi quoq; hoc fecerunt, & eo nomine ab Aben Eſra commendantur? Si

Maſore-

Masorethas crediſdiſſet hæc primos inveniſſe, quare non illis diſertè adſcripſiſſet, cum illorum mentionem faciat?

II. Liquet hinc, Quiſnam Aben Eſræ fuerit הַמַּפְסִיק *Pauſator?* Esras videlicet, & nemo alius. Locus in hanc rem alius ac diſertus extat in ejuſdem Authoris Comment. in lib. Eſth. cap. 9. v. 27. וּבַעֲבוּר שֶׁעֶזְרָא הִפְסִיק הַפְּסוּקִים *Et quandoquidem*, inquit, *Eſras diſtinxit verſus, idq; poſt multos demum annos* (poſt conſcriptum Eſtheræ libellum) *idcirco præceperunt Sapientes, ut legens librum iſtum non pauſet in fine verſuum.* Hinc antiquiſsima volumina manuſcripta libelli Eſtheræ nullas habent verſuum diſtinctiones, quale ego in pergameno ſcriptum habeo. Nunquid hîc expreſsè dicit, quem ipſe intelligat per הַמַּפְסִיק Pauſatorem? Esram ſcribam. Cùm verò eundem authorem faciat Verſuum, Accentuum & Regum ac m[illegible]rum vocalium, nullus amplius dubitationi locus reſtat. Nam verbum הִפְסִיק ſæpè in eodem libro צַחוּת ſumit non ſolum pro *Diſtinguere in ver[illegible] per duo puncta* :; ſed etiam pro, *Diſtinguere verſus per Accentus diſtin[illegible]tes & [illegible]tes.* Hinc ſubjungit immediate in libro צחות, verbis [illegible] [illegible]; [illegible] רַק שֵׁם [illegible] דוד ראה [illegible] [illegible] [illegible] עִמּוֹ שָׁם ויתיצב ק [illegible] [illegible] [illegible] ho [illegible] ויקרא בשם ה מיכו :: האנת כמו ויראתי בשם [illegible]demus quod Geneſ. 21. 33. *[illegible]* [illegible] [illegible]) *[illegible]*, *qui eam vocem conjungat cum* " בשם [illegible] [illegible]*tur ſimiliter*, " ויקרא בשם שָׁם [illegible] *ibi pauſavit* (i.e. accentu pauſante, Athnach videlicet, [illegible] *eandem particulam* שָׁם, *& a ſequentibus diſtinxit.* Et idem ipſi eſt הַמַּפְסִיק *Pauſator*, & בַּעַל הַטְּעָמִים *Author accentuum.* Itaque

III. Etiam hoc liquet, iſta verba Aben Eſræ, אַף כִּי אִם הוּא עֶזְרָא הַסּוֹפֵר, non eſſe ex aliorum, ſed ex propria ſententia ab ipſo prolata; neque dubitativè eſſe reddenda; *Maximè ſi ille ſit Eſra Scriba*; ſed abſolutè & aſſeverative; *Maximè cum ille* (Pauſator) *ſit Eſra Scriba.*

IV. Liquet hinc, hanc & nullam aliam eſſe cauſam, quare tantopere [illegible] illum *Pauſatorem & Accentuum authorem*, tantumq; ei perfe[illegible] adſcribat, ut eum in hoc negotio ab omni errore vindicet ac immunem faciat, nec unquam ei ſe opponat, aut ab ejus mente recedat, in præſenti non ſolum loco, ſed & alibi paſſim. Nulli enim alii tantum detuliſſet.

C

In eodem libro pag.179. adducens locum Hoſ.4.10. עזבו לשמור & dicens, ibi eſſe finem verſus, neque cohærere verba illa cum ſequentibus, ſubjungit; כי הנה נשים המפסיק הפסוקים שאיננו יודע הטעמים חלילה חלילה *Nam ſi hoc diceremus, accuſaremus illum qui verſus diſtinxit, ac ſi non intellexiſſet rationem accentuum, quod longiſſimè à nobis abſit.* Sic ad Exo.6.27. *Eſt mirandum* על המסדיר הפרשיות *de eo qui ordinavit capita & verſus, quod hunc verſum, qui cohæret cum ſequentibus, diſtinxerit & ſeparaverit; quamvis rationem ignoremus: Sic enim cohærent verba,* Et in die quo loquutus eſt Deus ad Moſen, Ego ſum Deus, loquere ad Pharaonem: *Sic Deut. 2. v. 16. & 17.* אולי בעל ההפסקות ידע לו טעם למה עשה כן כי דעתו רחבה מדעתנו *Procul dubio enim author pauſationum ſcivit rationem, quare ſic fecerit: nam ſcientia ejus amplior erat ſcientiâ noſtrâ.* Hinc etiam ubiq; urget, ſequendam eſſe expoſitionem ſecundum Accentus, neque ab ea vel latum unguem recedendum: In libro מאזנים *Moſnajim* f.199.b. ובטרם שאפרש כל אלה הנזכרים אזהירך שתלך אחרי בעל הטעמים וכל פירוש שאיננו על פירוש הטעמים לא תאבה לו ולא תשמע אליו hoc eſt, *Antequam vero tibi hæc omnia commemorata exponam, moneo te, ut ſequaris Authorem accentuum: quæcunq; enim expoſitio non fuerit juxta rationem accentuum, ne acquieſcito ei, & ne audias eam,* ואל תשים אל לבך דברי רעשרה הפסוקים שאמר אחד מהגאונים שהם דבקים עם הפסוקים הבאים אחריהם וכולם הם נכונים נפסקים בענין *Neq; apponas ad cor tuum* (i. e. neque te moveant) *verba Decem illorum verſuum, de quibus non nemo ex Geonim dicit, quod cohæreant cum verſibus proximè ſequentibus: Nam omnes ſunt rectè diſtincti, ubi ſenſus illud requirebat.* Et pag. 198. col. 1. contra quoſdam diſputans ait; ועוד אלו היה דברם אמת לא היה בעל הטעמים מפסיק באתנח בסוף במלת ויפול וכו׳ *Præterea, ſi verba ipſorum eſſent vera, nequaquam pauſam feciſſet author accentuum per Athnach in fine, in voce* ויפול *&c.* Gen 45. 14. Pag. 200. b. היודע סוד בעל הטעמים *Qui novit ſecretum authoris accentuum, &c.* Alibi: עקר גדול הוא לשמור דרך הטעמים *Momentum magnum eſt obſervare rationem accentuum, &c.* Similia loca paſſim in hoc authore occurrunt.

Quod Arcani Punctationis Revelator excipit, *hæc non poſſe de Eſra dicta eſſe, quod nimis frigidum & dilutum eſſet encomium; cum nemo ſit, qui hoc neſciat;* id, inquam, ipſum frigidum eſt & dilutum.

Nam puto ſufficienter jam demonſtratum eſſe, quòd non alia

fuerit

fuerit Aben Eſræ mens. Et cui quæſo alii hæc competerent, quàm ei, qui apud ipſum omni exceptione major fuit? An verò tales fuerunt Maſorethæ Tiberienſes, ſeu alii Judæorum Critici? Nequaquam. Hi non in tanta apud Aben Eſram fuerunt exiſtimatione. Cùm de Maſorethis loquitur, aliter eos vocat; חַכְמֵי הַמָּסֹרֶת *Sapientes Maſoræ*, אנשי המסרת *Viros Maſoræ*: ſæpiùs etiam numero ſingulari, בעל הַמסרת *Author Maſoræ*; collectivè ſumpto vocabulo. An his quoque tantum tribuit, quantum Pauſatori, & Accentuum authori? Minimè. Contrà, ab his ſæpiſſimè diſſentit, & eis ſe opponit. In libro צחות, fol. mihi 149. de voce והנהו Jerem. 18. 3. quæ in margine diviſim legenda traditur, וְהִנֵּה הוּא, ſcribit; אֵינֶנּוּ חָסֵר אָלֶף כִּי מִלָּה אַחַת הִיא אע״פי שֶׁאַנְשֵׁי הַמסרת אָמְרוּ שֶׁהוּא הסר *Non deficit Aleph, quia unica vox eſt, etiamſi Maſorethæ dicant, quod ſit defectiva.* Fol. 150. Col. 2. וטעם אנשי הַמָּסוֹרֶת אֵינֶנּוּ טַעַם *Ratio Maſoretharum nulla eſt ratio.* Sic fol. 190. dicit de nota quadam Maſorethicâ, אֵין צָרִיךְ *Non eſt opus eâ.* Et de alia fol. 191. 2. fol. 192. 1. & alibi. In fine præfationis Rhythmicæ, Bibliis majoribus præfixæ: וְלֹא אַזְכִּיר טעמי אַנְשֵׁי הַמָּסֹרֶת · לָמָּה זֹאת מְלֵאָה וְלָמָּה נְחֵסֵרָה · כִּי כָּל טַעֲמֵיהֶם · כדרך הדרש הם וכו׳ רק לְתִינוֹקוֹת טַעְמֵיהֶם טוֹבִים הֵם *Et non recordabor rationum Maſoretharum, quare hæc dictio plena ſit, vel defectiva: quia omnes ipſorum rationes ſunt allegoricæ, &c.* Et mox: *Duntaxat pro pueris bonæ ſunt ipſorum rationes.* Nullibi tantam authoritatem tribuit *Maſorethis*, ſicut *Pauſatori*, & *Authori accentuum.* Ex quibus proin iterum manifeſtiſſimè liquet, ſuperiora elogia nequaquam de Maſorethis accipienda eſſe, nec Maſorethas ullo modo Aben Eſræ eſſe Accentuum & Diſtinctionum authores, ſed Eſram. Quamvis verò meritò nullus ignorare deberet, quantum Eſræ ſit tribuendum; quia tamen ex Aben Eſra conſtat, quoſdam ſe Diſtinctioni accentuum oppoſuiſſe, ſive ex ignorantia, ſive ex arrogantia & ambitione, apparet, non fruſtra has Authoris Accentuum commendationes ab eo inſtitutas eſſe.

Denique liquet ex his, nullam fuiſſe cauſam, cur Elias Præf. 3. libri Maſoreth, miraretur, *Quare de Pauſatore*, hoc eſt, *Authore diſtinctionum & Accentuum in numero ſingulari loquatur Aben Eſra?* Nam in promptu eſt ratio; quia Esram intellexit. Si aliquando etiam in plurali numero ſic loquatur, intelligit Eſram cum ſuis collegis, Viris Synagogæ magnæ, ut ſupra ipſiusmet verbis vidimus.

Elias quidem ſcribit, Aben Eſram in libro *Moſnajim* Authores Punctarum & Accentuum etiam in numero plurali vocare. Ego vero id non credo, donec locus mihi oſtendatur. Nam diligenti inveſtigatione non reperi locum illum. De Authoribus Maſoræ loquitur in numero plurali: ſed hi ſunt ipſi alii à Punctatore, uti viſum.

Quomodo ergò, quærat aliquis, *dixit Aben Eſra in ſupra allegato loco objecto; quòd a Sapientibus Tiberiadis accepimus omnem punctationem; quòd illis, & illorum Lectioni & Punctuationi innitamur; An ſibi ipſi eſt contrarius Aben Eſra, & aliud hic, aliud alibi docet?*

℟ Non exiſtimo Aben Eſram ſibi ipſi contradicere: parum hoc conveniret viro tam docto, tàm ſapienti; ſed ſanè & dextre ex ipſius mente verba ejus ſunt exponenda.

Dico ergò, Aben Eſram in hoc loco nequaquam loqui de Prima Origine, Primiſque Authoribus Punctorum, quando dicit, *Nos a Sapientibus Tiberiadis accepiſſe omnem punctationem*; ſed velle dicere; Nos ab illis eam punctationem, quam noſtra Biblia punctata exhibent, habere: eam rationem legendi nos ad amuſſim ſequi, quam illi tùm docuerint, tùm in ſuis exemplaribus manuſcriptis expreſſerint. Nam ex multis locis conſtat, & rationi valde eſt conſentaneum, admodumq; probabile, cum Judæi poſt vaſtatum Templum graviſsima exilia paſſi eſſent, Scholæ ipſorum paulatim dilaberentur, Viri docti inprimis poſt abſolutum Talmud, deficerent, Sacræ Scripturæ lectio & Studium, propter ſtudium Talmudicum, evileſceret, Linguæ accurata cognitio & intellectus paulatim interiret (de quibus omnibus multæ extant Judæorum ante 200. 300. 400. & 500. annos circiter, ſcripta [illegible]) manuſcripta exemplaria Biblica non omnia fuiſſe pariter correcte & emendatè ſcripta, ſed propter Scribarum tum pigritiam, tum imperitiam, arrogantiam & audaciam, à vera & genuina ſcriptione fuiſſe quandoque a nonnullis aberratum, aliquamque hinc exemplarium differentiam extitiſſe. Huic malo ut obviam iretur, exſurrexerunt inter multos alios, etiam in Tiberiade, ubi & linguam habuerunt accuratam, & in lectione Biblica peritos atque exercitatos viros, qui collatis exemplaribus punctatis, atque pro linguæ peritia accurato judicio adhibito, & correcta exemplaria deſcripsêrunt, & illa eâ Maſoræ parte muniverunt & inſtruxerunt, quâ

Voces

Voces præcipuas omnes non ſolum ſecundum Literas, ſed & ſecundum Puncta, ad vitandam inpoſterum illam varietatem & diſcrepantiam, numerarunt, hancq; ſuam ſepem vel Libris Biblicis ad finem ſubjunxerunt, vel Textui ipſo circumduxerunt, uti adhuc nonnulla Manuſcripta exemplaria talia reperiuntur, quæ magnam antiquitatem ſapiunt & redolent.

Hanc veram & genuinam eſſe Aben Eſræ mentem, nunc eſt demonſtrandum. Aſſequemur autem illam, ſi Antecedentia quoque & Conſequentia conſideremus, quæ Elias reticuit, nec quiſquam ipſius Aſſeclarum hactenus expoſuit & produxit..

Dicit in præcedentibus: הַמְּנַקְּדִים יֵשׁ לָהֶם מִנְהָג לְנַקֵּד שְׁוָא תַּחַת תָּיו עָשִׂית שֶׁהוּא לְשׁוֹן נְקֵבָה שֶׁלֹּא יִתְעָרֵב עִם לְשׁוֹן זָכָר וְגו׳ hoc eſt, *Punctatores ſolent punctare Scheva ſub litera* ת, *in voce* עָשִׂית, *quæ eſt ſecunda perſona Præteriti fœminina, ne confunderetur cum forma maſculina, &c.* Quærit & objicit poſtea; *Si quis objiciat, quid neceſſe fuit, ut apponerent Scheva? cum enim ſub litera* ת *non eſſet Kametz, nonne conſtituit facilè, illam efferendam eſſe cum Scheva quieſcente; quia eſt finis ſive ultima litera vocis?* (ultimæ enim vocum literæ mobiles, Vocali propria deſtitutæ, Schevatæ ſunt, ſive Scheva exprimatur, ſive non). In Reſponſione ad hanc Objectionem continentur jam iſta verba; *Sic eſt conſuetudo Sapientum Tiberiadis, qui ſunt nobis pro fundamento ſeu norma: Ex illis enim fuerunt viri Maſorethæ, & nos ab illis accepimus totam punctationem.* Pergit, אוּלַי עָשׂוּ כֵן שֶׁלֹּא יַחְשׁוֹב אָדָם כִּי שָׁכַח הַמְּנַקֵּד וְיִסְתַּפֵּק לוֹ *Fortaſsis fecerunt ſic* (ſc. Tiberienſes) *ne exiſtimaret aliquis, Punctatorem oblitum fuiſſe* (literam illam Tau punctare) *& dubius hæreat, quomodo eam legere debeat.* Judicet hinc Lector nullo præjudicio occupatus, an ex his verbis argui poſsit, Aben Eſram ſtatuiſſe, Tiberienſes iſtos, de quibus hoc loco agit, fuiſſe primos Punctationis authores & inventores? Dicit, *Punctatorum quorundam conſuetudinem eſſe, ſubſcribere Scheva in fine literæ* ת *in hac & ſimilibus vocibus*; deinde explicat, *quinam ſint illi Punctatores?* ſc. Non omnes, ſed Tiberienſes, iidem ſc. qui etiam Maſoræ fuerunt authores. Ergo fuerunt alii, qui id non fecerunt: tertiò, exponit, *quo loco iſtorum Tiberienſium punctatio ſit habita?* quòd ſc. nos illam per omnia tanquam Punctatorum diligentiſsimorum, ſequamur; quartò, ſubjungit finem, *cur id fecerint?* ne videlicet Lector exiſtimet, hic aliquid deſiderari, & dubius hæreat, quomodo

ſit legendum; *Ne*, inquit, *exiſtimet quiſpiam, Punctatorem oblitum eſſe aliquid.* Hoc certe non dicit reciprocè de iiſdem Tiberienſibus, ſed de alio Punctatore priore: nam ſi illud voluiſſet, dicendum ipſi fuiſſet, שֶׁלֹּא יַחְשׁוֹב אָדָם כִּי שָׁכְחוּ *ne quis exiſtimaret, illos oblitos eſſe aliquid.* Sanè ex his ſatis, ut opinor, liquet, Tiberienſes iſtos ſive Hebræos, ſive Maſorethas, Aben Eſræ non fuiſſe eos, qui primi puncta adſcripſerunt, & invenerunt, ſed qui punctata exemplaria deſcripſerunt, emendarunt, & à corruptione, criticâ ſuâ ſepe præſervârunt. Nec quidquam ſanè video quid obſtet, quò minùs hæc verba ita capi queant.

Excipitur; *Conſuetudinem hanc de iis dici debere, qui punctorum fuère authores, non de codicum punctatorum collatoribus & exſcriptoribus.*

℞ Negatur hoc: nam cùm de diſcrepantiis agitur, & dicitur, hujus conſuetudinem eſſe talem, ſubintelligimus; Aliorum conſuetudinem eſſe aliam. Atqui ibi talis ſermo. In præcedentibus egit de voce גְּבוֹהַּ *Altus*, quam dicit סופרי Scriptores ſive Scribas אֵלֶּה הַמְּקוֹמוֹת illorum locorum ſcribere in fine cum Scheva quieſcente גְּבוֹהּ. Hos redarguit, & dicit, quòd non ſit neceſſe, cùm nec literæ Reſch in fine vocis ſubſcribatur, & conſtet, nullam vocem poſſe aliter, quàm in Scheva quieſcens, deſinere & quieſcere; niſi ultima litera fuerit ex literis יהוה. Attamen ſolere punctatores literæ ח ſubjicere Scheva in עָשִׂירִית &c. Et quidem ſic ſolere facere Tiberienſes.

Sed hanc eſſe illius mentem, evidentiùs liquet ex gloſſa ejuſdem Authoris ad Exo. 25. v. 31. ad vocem תֵּיעָשֶׂה, ubi ſic ſcribit: רָאִיתִי סְפָרִים שֶׁבָּדְקוּם חַכְמֵי טְבֶרְיָא וְנִשְׁבְּעוּ חֲמִשָּׁה עָשָׂר מִזִּקְנֵיהֶם שֶׁשָּׁלֹשׁ פְּעָמִים הִסְתַּכְּלוּ כָּל מִלָּה וְכָל נְקוּדָּה וְכָל מָלֵא וְכָל חָסֵר וְהִנֵּה כָּתוּב יוֹד בְּמִלַּת תֵּיעָשֶׂה וְלֹא מָצָאתִי כָּכָה בְּסִפְרֵי סְפָרַד וְצָרְפַת וּמֵעֵבֶר לַיָּם hoc eſt, *Vidi libros, quos ſcrutati ſunt Sapientes Tiberiadis, & jurarunt quindecim ex ſenioribus illorum, quòd ter inſpexerint & conſiderarint quamq; vocem, quodq; punctum, omnesq; voces plenè & defective ſcriptas, & ecce Jod illud in voce תיעשה fuit adſcriptum: Aliter vero inveni in libris Hiſpanicis, Gallicis & Tranſmarinis.* Quid quæſo manifeſtius? Ter percurrerunt punctata exemplaria: Ergo ante ipſos punctata Exemplaria fuerunt, quæ ipſi contulerunt & probarunt, & ipſi ea reſtaurarunt, criticamque adhibuerunt. Quomodo verò illi Aben Eſræ fuerint עִיקָר hoc eſt, *fundamentum, norma & regula*, vel ex hac

etiam

etiam voce liquet. Nam cùm in nullis aliis, quàm Tiberienſium libris, hæc vox cum Jod ſcripta ab ipſo inventa fuerit, horum lectio præfertur, & in noſtris libris exprimitur.

Sed non abs re fortaſsis erit, alia etiam hujus, & aliorum authorum loca, de Tiberienſibus iſtis Hebræis inquirere & apponere, ut ex plurium collatione & conſideratione tantò meliùs veritas eliciatur & eluceſcat, num illi tam nobilis inventi authores fuerint. Scholis enim noſtris hactenus ſatis incogniti fuerunt Doctores iſti Tiberienſes,

Idem Aben Eſra in libro Tzáchut fol. 136. col. 1. ubi de Kametz longo agit, ſcribit: אנשי טבריא גם חכמי מצרים ואפריקא יודעים לקרוא חקמץ גדול *Sed Tiberienſes, ut & Sapientes Aegypti & Africæ poſſunt legere* (hoc eſt, rectè pronuntiare) *Kametz magnum.*

Ibid. fol. 135. col. 1. ויאמר החכם הנזכר כי אנשי טבריא יקראו השוא המתנועע אם אחריו יוד בתנועת החירק יחזיהו ירמיהו יכו h. e. *Et dicit Sapiens ille commemoratus* (R. Jehudah Chijug, primus Hebræorum Grammaticus) *quòd Tiberienſes Scheva illud, poſt quod ſequitur Jod, legant cum Chireck:* ut, יחזיהו Jicheſijahu, ירמיהו Jirmijahu: *& ſi poſt Scheva ſequatur Kametz magnum, ut in* ברכה, שמרים *cum Pathach rapto*, Baráchah, Schamárim, &c.

Idem in libro מאזנים fol. 221. col. 2. אמר ר׳ יהודה בעל הדקדוק נ״ע כי דלת דעו תקרא קרובה משורק בעבור היות אחריו אות גרון בשורק וכן דעה חכמה או דעי וכן כל חביריו · ויאמרו כי כן אנשי טבריא hoc eſt, *Dicit R. Jehudah Grammaticus b. m. quòd Daleth in voce* דעו *legatur quaſi cum Schureck, propter ſequentem literam Gutturalem cum Schureck notatam: Sic* דעה & דעי, *& ſimilia. Et dicunt quod ſic pronuncient Tiberienſes.*

Ephodeus in ſua Grammatica cap. 5. fol. 35. 2. ubi de vera pronunciatione linguæ Hebrææ agit, & ait; Veram ejus pronunciationem hodiè eſſe ignotam, ſubjungit: וכבר כתב ר׳ יונה כי לריש ענינים מתיחדים בתקון אנשי טבריא כי הם הצחים בלשון הקדש מכל העברים hoc eſt, *Et R. Jonas* (proximus Grammaticus à R. Jehuda ſuperiore) *jam ſcripſit, quòd litera Reſch habeat quaſdam proprietates peculiares, ſecundum Tiberienſes. quia illi nitidiſſimam & elegantiſſimam habent linguam præ omnibus Hebræis.* Idem repetit cap. 32.

Balmeſius in ſua Grammatica literà F. III. pag. 2. ſcribit: וקראי טבריא קוראים אותה כמבטא האלף בשורק ולא ידעתי טעם לדבריהם hoc

hoc eſt, *Lectores Tiberienſes legunt ipſum juxta prolationem* א *cum Schureck, nec ſcio rationem quare ſic legant.* Loquitur de Vau in principio vocis, ante literam cum Scheva mobili notatam, quod debet efferri cum Schurek, ut Vau non aliam illic habeat poteſtatem, quam Aleph ſive Spiritus lenis.

Quod in hoc loco de pronunciatione Vau cum Schureck Balmeſius dicit, Tiberienſes id legere inſtar Aleph, de eo ſcribit Aben Eſra in Tzachuth fol. 135. col. 2. כן קבלנו מאבותינו דור אחר דור *Sic accepimus pronunciandum eſſe a patribus noſtris, generatione una poſt aliam.* Sic & Kimchius in Michlol fol. 62. a.

Idem F. 1. pag. 1. ubi de litera ח & ע in fine vocis agit: כי רוב המדקדקים אשר ראיתי סומכים על קראי טבריא מבטים בה כאילו היתה שם אלף כמו מזבח קוראים כאילו כתוב מזבאח hoc eſt, *Pleriq; Grammatici quos vidi, nituntur Lectoribus Tiberienſibus, qui pronunciant, ac ſi illic eſſet Aleph, ut E. g.* מזבח *legunt Mizbeach, ac ſi ſcriptum eſſet* מזבאח (cum א cum pathach notato, inter ב & ח.)

In libro קנה בינה Keneh binah, in Comm. fol 33. a. ובכל הכלליים של הקריאה של נקודות שמשתנים בקריאתם לפעמים בכמה דרכים אנשי טבריא הם צחים לשון ובקיאים יותר בהם מכל העברים שבשאר הארצות h.e. *Quoad verò varietatem ſeu diſtinctam pronunciationem punctorum, quæ quandoq; diverſimodè ſolent legi, Tiberienſes elegantiſſimi ſunt & exercitatiſſimi præ omnibus Judæis ubiq; terrarum.*

In libro לוית חן *Lifjas chen*, cujus author R. Immanuel filius Jekutielis איש בניונטו hoc eſt, Beneventinus, cap. 3. fol. 5. ואם לא יראה הבדל בין קריאתנו היום בין הקוף ובין הכף דגושה ובין הטית והתיו דגושה ובין הויו והבית רפויה אנשי טבריה שהיו בימים ההם צחי הלשון יותר מכל היהודים היו עושים הפרש ביניהם וכן היו עושים הפרש בין קריאת הפתח לקריאת הקמץ ובין קריאת הסגול לקריאת הצרי ובין קבוץ שפתים לשורק וכו hoc eſt, *Etiamſi nulla appareat differentia in hodierna noſtra lectione inter Koph & Caph dageſſatum, inter Teth & Thau dageſſatum, ut & inter Vau & Beth raphatum, Viri Tiberienſes, qui fuerunt in diebus illis elegantiſſimi in lingua noſtra præ omnibus Judæis, facere poterant differentiam inter illas. Sic quoq; diſcrimen faciebant inter lectionem Pathach & Kametz, inter Segol & Tzere, inter Kibbutz & Schureck.*

Ibidem cap. 18. fol. 19. col. 1. ubi agit de pronunciatione literæ Reſch: קריאתה בדגשות ורפיון היו בקיאים בה בימים ההם

ובעת

ובעת ההיא אַנְשֵׁי טבריה hoc eſt, *Et in lectione literæ hujus Reſch dageſſatâ & raphatâ, fuerunt exercitati olim Viri Tiberienſes.*

Ibid. fol. 105. col. 2. ubi de differentia inter quaſdam literas & vocales in Carmine agit; ſcribit: וְאֵין אֲנַחְנוּ בְקִיאִים בְּהַבְדֵּל הַבָּרָתָן כְּאַנְשֵׁי טְבֶרְיָא שֶׁהָיוּ בַיָּמִים קַדְמוֹנִים צַחֵי הַלָּשׁוֹן יוֹתֵר מִכָּל הָעִבְרִים כַּאֲשֶׁר הֵעִידוּ עֲלֵיהֶם חֲשׁוּבֵי הַמְּדַקְדְּקִים *Nos verò non ſumus exercitati in differentia pronunciationis ipſarum, ſicut Tiberienſes, qui olim fuerunt elegantiſſimi præ omnibus Hebræis, in lingua hac, quemadmodum hoc ipſis teſtimonium dederunt præſtantiſſimi Grammatici.*

R. David Kimchi in Michlol fol. 108. col. 2. ubi agit de literis aſpiratis בגד כפרת, addit: וּבַעַל ספר הַיְצִירָה כָּתַב הָרֵ״ישׁ עִמָּהֶם שֶׁאָמַר שֶׁבַע כפולות בּ׳גד כפּ׳רת וקְרִיאַת הָרֵ״ישׁ רָפֶה ודגושָׁה לֹא שָׁמַעְנוּ אֲבָל מָצָאתִי בְּמַחְבֶּרֶת עֲלִי בֶּן יְהוּדָה הַנָּזִיר זֶה סִימָן רֵישׁ הָרָגוּשׁ וְהָרַךְ לִבְנֵי מעזיה הִיא טִבְרִיָּה בִּלְבָד כִּי הֵם מדברים וקוֹרְאִים בְּמִקְרָא וּבְדִבְרֵיהֶם והוא בְּפִי הָאֲנָשִׁים וְהַנָּשִׁים וְהַטַּף לֹא יָזוּז ולא יִתְחַלֵּף קוֹרְאִים בו בְּמִקְרָא וּמְדַבְּרִים בּוֹ בְּדִבְרֵיהֶם בִּמְקוֹם דָּגֵשׁ דָּגֵשׁ וּבִמְקוֹם רָפֶה רָפֶה׃ וְסִימַן רֵישׁ הָרַךְ שֶׁבַּמִּקְרָא וכו׳ hoc eſt, *Et author libri Jezírah adſcripſit literis Begad Kephat etiam literam Reſch, Dicit enim*; Septem ſunt literæ duplices (hoc eſt, quæ & aſpiratæ ſunt & tenues). *Lectionem autem differentem Reſch raphati & dageſſati nos non audimus* (in noſtra ſc. pronunciatione). *Inveni autem in libro Eli filii Jehudæ Hannáſir, Signum ſive Differentiam iſtam Reſch Dageſſati & Lenis habere filios Mœſiæ ſeu Tiberienſes tantùm: & hos illud obſervare, tam in legendo, quàm in loquendo, & quidem indifferenter, & ubiq;, tam Viros, quàm Mulieres, & Parvulos, &c.* Poſtea explicat, quando Reſch ſit raphatum, & quando dageſſatum.

R. Jehudah Muſcatus in Commentario libri Coſri, par. 2. §. 80. fol. 130. a. ad hæc authoris verba, אוֹ לְמַהֵר הַקְּרִיאָה *Aut ad accelerandum lectionem*, ſcribit: דְּבָרָיו אֵלֶּה יוֹרוּ מִשְׁפְּטֵי הַקְּרִיאָה הַנְּכוֹנָה הִיא הַמּוֹדַעַת אֶצְלוֹ עִם הֱיוֹתָהּ נִפְלֵאת בְּעֵינֵינוּ כְּמוֹ שֶׁהַרְבֵּה דְבָרִים נִתְלִים בִּקְרִיאַת אַנְשֵׁי טבריא עִם הֱיוֹתָהּ מִתְחַלֶּפֶת לִקְרִיאָתֵנוּ hoc eſt, *Verba iſta docent proprietates rectæ lectionis, quæ ipſi nota erat, quamvis ea jam mirabilis videatur in oculis noſtris: prout multa ejuſmodi ſunt in Lectione Virorum Tiberiadis, licet illa diverſa ſit à lectione noſtra.*

Ex his omnibus apparet, Tiberienſes non aliunde inter Judæos, à quingentis & ſexcentis annis, fuiſſe celebres, quàm à peritia decentis lectionis & pronunciationis linguæ Hebrææ, ut & à ſtu-

D

dio, circa conſervandam veram lectionem Sacræ Scripturæ. Nam ſi credidiſſent illos Punctationis authores, procul dubio non tam negligenti ſilentio id præteriiſſent.

De hac Tiberienſium laude aliquid etiam Hieronymo videtur innotuiſſe. Nam in Quæſtionibus in Geneſin circa finem, ad locum Gen. 49. v. 21. de Nephtali, ſcribit: *In Hebræo ita ſcriptum eſt; Nephtali ager irriguus, dans eloquia pulchritudinis: ſignans, quòd aquæ calidæ in ipſa naſcantur tribu: ſive quòd ſuper lacum Geneſareth & fluento Jordanis irrigua ſit. Hebræi autem volunt propter Tiberiadem, quæ Legis videbatur habere noticiam*, Agrum irriguum & Eloquia pulchritudinis *prophetari*.

Quòd verò Tiberienſes nihil aliud egerint, quàm quòd punctata jam antè exemplaria contulerint, ex eorum collatione, & conſideratione vel correctione, emendata & proba exemplaria deſcripſerint, criſinque ſuam illis adjunxerint, id, præter jam allatas rationes, inde quoque videtur probabile reddi, quòd ex ſcriptis Hebræorum conſtet, varia, circa illa tempora, exemplaria Biblica punctata antiqua & celebria fuiſſe, de quibus, Deo volente alibi. Nunc ſatis, ut opinor, Aben Eſræ teſtimonium & mentem explicavimus.

Secundum Teſtimonium, quo Elias, & ejus Aſſeclæ ſuam ſententiam conſtabilire nituntur, profertur ex libro Cosri, par. 3. §. 31. ex his verbis, בלי ספק שהיה שמור בלבו —ת בפתחא והקמץ והשבר השבא והטעמים hoc eſt, *Dubium non eſt, quin mente* (hoc eſt, memoriâ) *tenuerint, quid per Pathach, quid per Kametz, quid per Chireck, quid per Scheva, eſſet efferendum, & quibuſnam Accentibus ſingulæ voces eſſent proferendæ.* Item: וישמו הז׳ מלכים וה־טעמים אותות לתכונות ההם אשר העתיקום בקבלה ממר׳ע״ה hoc eſt, *Poſuerunt ſeptem Reges & Accentus, ut eſſent ſigna quædam ad directionem eorum, qui iſta tranſcribebant, idq; juxta Cabalam à Moſe acceptam, & ad eos uſq; propagatam.* Sic Coſri, ſed ex verſione Patronorum Novitatis Punctorum; non ex mente ipſius authoris, ut mox videbimus.

Dicunt ergò; *Si vocales iſtæ mente* (hoc eſt memoriâ) *ſervatæ ſunt, ut inter legendum obſervarentur, utiq; non fuerunt à Moſe notulis ullis ſignatæ, & ſcripto in Codicibus mandatæ. Si item juxta Cabbalam ſeu Traditio-*

Traditionem à Moſe acceptam poſuerunt punctatores ſeptem Reges, hoc eſt, magnas Vocales & Accentus, ut eſſent ſigna iis qui legebant, ut commodè & facilè poſſent ea quæ tranſcribebantur legere; certum eſt, iſtas Vocalium & Accentuum notulas non eſſe à Moſe in Sacro Legis textu conſonantibus conjunctas, ſed diu poſt ab aliis additas. Atqui, teſte Coſri, prius eſt. Ergo & poſterius.

℞ Argumentum hoc neque Eliam vel Elianiſtas quicquam juvat: neque eos, qui Antiquitatem punctorum tuentur, ferit. Illi enim, aut ſaltem illorum multi, concedunt à Moſe puncta non eſſe literis addita, ſed ab Eſra demùm inventa & excogitata ajunt, de quo in ſeqq. In his ergò libri Coſri verbis hoc unicum nunc videndum, *An illa recentes Maſorethas Tiberienſes punctorum inventores faciant?* aut; *An neget iſte author, Eſram Punctorum Vocalium eſſe inventorem?* Si neutrum horum fit, impertinenter illum pro ſuæ ſententiæ confirmatione in medium producunt Punctorum Novitatis Patroni.

Videamus itaque, an ex antecedentibus & conſequentibus paulò certiùs & ſolidius hujus authoris mentem perrimari & inveſtigare queamus. Utplurimùm enim ſuſpectæ & incertæ ſunt fruſtillatæ ejuſmodi authorum citationes. Diſceptatio continetur illic de Librorum Sacrorum, eorumq; lectionis, certitudine, & eâ occaſione quærit Judæus ex Perſa; (qui duo in illo libro introducuntur collocutores) *Quomodo verò putas, quòd Moſes librum Legis ſuæ reliquerit filiis Iſraelis?* Reſpondet Perſa; *Procul dubio fuit Liber legis ſimplex & nudus, ſine Vocalibus & Accentibus, prout hodie videmus eſſe Libros Legis, &c.* hincq; videtur velle arguere, impoſsibile eſſe, ut non circa ejus lectionem, dubia, & diſſenſiones, variæque lectiones occurrant. Ad hoc illi eximendum, reſpondet Judæus; מִבְּלִי סָפֵק שֶׁהָיָה שָׁמוּר בִּלְבָבוֹת בפתחא והקמץ והשבר והנטייה והשבא והטעמים בלב הכהנים מפני צרכם לעבודה ולהורות את בני ישראל ובלב המלכים מפני שנצטוו והיתה עמו וקרא בו כל ימי חייו ובלב השופטים מפני צרכם אליהם בדינים ובלב הסנהדרים מפני צרכם אליהם במה שכתוב ושמרתם ועשיתם כי היא חכמתכם ובינתכם ובלב החסידים כדי לקבל שכר , ובלב אנשי החונף להתגדר בהם ושמו שבע המלכים והטעמים אותות לתכונות ההם אשר העתיקום בקבלה ממשה hoc eſt, *Sine dubio cuſtoditum vel ſervatum fuit ab ipſis in mentibus, de Kametz, Chireck, Pathach, & his affinibus vocalibus, ut & de Scheva & Accentibus*; (hoc eſt,

Veram ſecundum Puncta & Accentus legendi rationem, mente tenuerunt, per oralem traditionem eam ſinguli à majoribus ſuis accipientes) *In mente, inquam, Sacerdotum, qui illis opus habebant propter cultum divinum ab ipſis peragendum, & ad docendum Iſraëlem*; *In mente Regum, quibus præceptum hoc erat datum*; Et erit liber legis cum eo (Rege) & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, Deut. 17. v. 19. *In mente Judicum; quia & illi his opus habebant in Judiciis & cauſis forenſibus; In mente Synedrii, & Conſiſtorialium; nam & illis hæc ſcire neceſſum erat, ob id quod ſcriptum eſt*; Cuſtodite ergo & facite, quia hæc eſt ſapientia veſtra, & intelligentia veſtra, &c. Deut. 4. 6. *In corde Piorum & Sanctorum; ut acciperent mercedem; In mente deniq; etiam Prophanorum, ut de illis gloriarentur.. Tandem verò poſuerunt ſeptem Reges, & Accentus, in ſigna diſpoſitionibus* (hoc eſt, motionibus, valoribus, poteſtatibus illis vocalium. Hinc pro לתכונו legunt alii לתנועור) *illis, quæ per cabalam & traditionem inde à Moſe eouſq; tranſtulerunt & propagarunt.*

Quod ſi hæc authoris iſtius verba conferantur cum illis, quæ ſuprà producta ſunt ex libro Moſnájim Aben Eſræ, liquebit ſocerum & generum hîc elegantiſsimâ harmoniâ inter ſe concinere & concordare; Nam Aben Eſra gener fuit hujus Jehudæ Levitæ, ut teſtatur Abarbenel in Deuter. f. 338. col. 4. & R. Gedaljah in Schalſchelēth hakkabbālah.

Dicit enim; Legem fuiſſe ſine punctis; veram, juxta puncta & accentus, legendi rationem illos olim memoriâ tenuiſſe, eamque per Cabalam ſeu Oralem traditionem per ſucceſsionem continuam propagaſſe; ubi verbo העתיק hoc exprimit, ut & Aben Eſra ſuprà; tandem verò his, quæ diu oretenus tradita erant ab ipſis, certa ſigna conſtituiſſe ac poſuiſſe; ſeptem videlicet Reges, hoc eſt, Vocales, & Accentus. Hoc ſibi vult ultimis verbis ושמו שבע וכו׳ *Et poſuerunt ſeptem Reges, &c.* quæ malè a Punctorum Revelatore ſic translata ſunt; *Poſuerunt ſeptem Reges & Accentus, ut eſſent ſigna quædam ad directionem eorum, qui iſta tranſcribebant, idq; juxta Kabalam à Moſe acceptam, & ad eos uſq; propagatam.* Vetus ſenſus eſt, quem nos expreſsimus.

Quia verò non exprimit author, *Quinam ſint illi*, qui ſigna hæc Vocalium & Accentuum appoſuerint? ſed indefinitè loquitur; *Et poſuerunt*; quæritur, *De quibus hoc dicat, & quoſnam hîc intelligat?*

Elias,

Elias, primus & ſolus ex Hebræis Punctorum Novitatis patronus, ſcribit; ומי יתן שפירש לנו החכם על מי שב הכנוי של ושמו אם על אנשי כנסת הגדולה או על בעלי המסורת ועל דעתי שהוא שב על בעלי המסורת hoc eſt, *Utinam autem expoſuiſſet nobis Sapiens ille, quónam referendum ſit pronomen ſubintellectum in verbo*, Et poſuerunt; *An ad viros Synagogæ magnæ, an verò ad authores Maſoræ; At meo judicio, reſpexit ad authores Maſoræ.* Sic eſt Eliæ judicium.

Sed, meo & doctiſsimorum Hebræorum judicio, non reſpexit ad recentes iſtos Maſorethas Tiberienſes, ſed longè ulteriùs, ad Viros ſc. Synagogæ magnæ. Hæc eſt ſententia Commentatoris R. Jehudæ Muſcati, qui ſcribit: נ״ל שסתמו בפירושו על אנשי כנסת הגדולה כי על הזמן ההוא יצדק הקודם והמתאחר h. e. *Videtur mihi, quòd indefinitâ hac loquutione reſpiciat ad Viros Synagogæ magnæ; Nam illi tempori vel ſæculo conveniunt tùm Antecedentia, tùm Conſequentia.* Ita eſt.

Præcedentia, inquam, ejus verba docent hoc. Nam cùm Maſorecharum in præcedentibus nullam fecerit mentionem, quomodo poteſt ad illos pronomen relativum referri? Ἄλογον utique hoc eſt, & contra Grammaticam. Mentionem autem fecit in præcedentibus Sacerdotum, Regum, Judicum, Synedriorum, Chaſidæorum, qui ſc. Prophetarum temporibus, & ſtante ac florente adhuc urbe & templo, vixerunt. Ergo probabilius eſt, illum pronomine Relativo, vel verbo indefinito, reſpicere ad eos, quorum antea eſt recordatus. Hi autem alii non poſſunt eſſe quàm Eſras & Viri Synagogæ magnæ. Nam de nullis aliis Prophetis ullibi apud Hebræos legitur, quòd huic rei operam impenderint.

Adhæc, videtur hîc omninò deeſſe vox aliqua, & ſententia eſſe manca; prout ille liber alibi quoque nonnullos hiatus habere videtur. Unde admodùm mihi probabilis eſt lectio, cujus meminit R. Aſarias in מאור עינים cap. 59. in fine, his verbis: בנוסח קדמון כתוב יד ראיתי אנשים אשר העתיקום ממשה hoc eſt, *In codice antiquo manuſcripto ſic vidi & legi*; Et poſuerunt ſeptem Reges & Accentus in ſigna ſeu notas motionibus illis אנשים *Viri quidam*, qui illa (ſc. ſigna) per traditionem à Moſe acceperunt; Infertâ ſc. unicâ voce אנשים *Viri quidam*. Unde ex iſta lectione idem R. Aſarias vult probare, authorem hunc ſtatuiſſe; Non ſolùm Motionem ſive poteſtatem ac valorem Vocalium, ſed & ſigna ſive notas ac figuras illarum à Moſe fuiſſe traditas, quod hîc urgere poſſemus contra

Punctorum Novitatis Patronos. Poſſemus etiam, ſi vellemus, ex propria confeſsione contra ipſos urgere vocem הַעְתִּיק, quòd illa ſignificet *Transſcribere ex libro*; non, *Orali traditione propagare*. Sic n. Revelator, ubi de voce מַתְקִנִים philoſophatur, ſcribit, illam propriè ſignificare Primos authores, non Transſcriptores; *Si putaſſet*, inquit, *Kimchi, Maſorethas ex punctatis codicibus inter ſe collatis tranſcripſiſſe ſacra Biblia, non eos certè* מתקנים Ordinatores, *dixiſſet, ſed* מַעְתִּיקִים Tranſcriptores. Atqui iſtâ voce utitur hìc Coſri de illis qui Puncta appoſuerunt Textui ſacro. Quod ſi ergo iſti ex illorum ſententia fuerunt Maſorethæ; Ergo fuerunt Transſcriptores tantùm ex collatis codicibus punctatis. Adde quòd eâdem voce uſus ſit ſuprà Aben Eſra §. 3. Vide eundem hac voce utentem Lev. 19. v. 21. Sed mittemus has minutas ſubtilitates.

Luculentiùs patebit mens hujus Authoris, ſi etiam *Sequentia* verba conſideraverimus & contulerimus: Pergit ergò Judæus in ſermone ſuo ad Perſam; וּמָה תַּחְשׁוֹב עַל אֲשֶׁר תִּקְּנוּ הַמִּקְרָא בִּפְסוּקִים תְּחִלָּה וְאַחַר כֵּן בְּנִקּוּד וְאַחַר כֵּן בִּטְעָמִים וְאַחַר כֵּן בְּמָסוֹרוֹת עַל שְׁמִירַת הַמָּלֵא וְהֶחָסֵר עַד אֲשֶׁר מָנוּ אוֹתִיּוֹתֶיהָ וּבֵרְרוּ כִּי וָי״ו דְּגָחוֹן חֲצִי דְּתוֹרָה וּשְׁמִירַת כָּל נָכְרִי מִקָּמֵץ וְצֵרִי וּסְגוֹל יוֹצֵא מִן הַהֶקֵּשׁ הֲתִרְאֶה שֶׁמַּעֲשֵׂיהֶם בָּזֶה לָרִיק וּלְבַטָּלָה אוֹ הִשְׁתַּדְּלוּת בְּדִבְרֵי חוֹבָה: hoc eſt, *Quid verò videtur tibi de eo quòd diſtinxerunt Scripturam primò per Verſus, deinde per Puncta & Accentus; Notis item criticis ſeu maſorethicis, de vocibus plenis & defectivis, eòuſq; ut etiam literas ejus numerarint, & notarint, quòd litera Vau in voce* גחון *ſit media litera Legis; illa item quæ ἀνομάλως & irregulariter punctantur: E. g. cum Pathach, Sagol, Tzere, &c. An tibi videtur, quòd iſtæ ipſorum obſervationes ſtudia fuerint vana & otioſa, an verò occupatio in re laudabili & neceſſaria?* Reſpondet Perſa; אֲבָל הוּא הִשְׁתַּדְּלוּת בִּדְבַר חוֹבָה עִם שְׁמִירַת הַתּוֹרָה שֶׁלֹּא יִהְיֶה דֶּרֶךְ לְשַׁנּוֹתָהּ עִם הַחָכְמָה הַמּוּפְלָאָה כִּי נִרְאָה מִקְּבִיעוּת הַנִּקּוּד וְהַטְּעָמִים סֵדֶר שֶׁלֹּא יִהְיֶה אֶלָּא מֵחָכְמָה נֶעֱזֶרֶת אֵינֶנָּה מֵעֵרֶךְ חָכְמָתֵנוּ בְּשׁוּם פָּנִים וְלֹא יִתָּכֵן שֶׁיִּהְיֶה מְקֻבָּל אֵצֶל הֶהָמוֹן אֶלָּא מֵרַבִּים רְצוּיִם אוֹ מִיָּחִיד רָצוּי וְלֹא יִתָּכֵן שֶׁיְּקַבֵּל הֶהָמוֹן מִיָּחִיד אֶלָּא אִם יִהְיֶה נָבִיא אוֹ נֶעְזָר בְּעִנְיַן הָאֱלֹהִי כִּי הֶחָכָם שֶׁאֵינֶנּוּ נֶעְזָר טוֹעֵן מִי שֶׁהוּא קָרוֹב לוֹ בְּחָכְמָתוֹ שֶׁיַּעֲשֶׂה כְּמַעֲשֵׂהוּ h. e. *Imò fuit occupatio circa rem utilem ac neceſſariam, conjuncta cum cuſtodiâ Legis, ne illa immutari ulla ratione poſſit, & ſapientiâ admirandâ. Nam ex appoſitione illa Punctorum & Accentuum elucet & apparet ordo, qui non aliunde eſſe poteſt, quam a Sapientiâ adjuta* (divinitùs ſc. & extraordi-

traordinariè, ut mox ſequitur); *nequaquam verò ex genere Sapientiæ noſtræ. Neque probabile eſt, hæc ab aliis accepturos vel recepturos fuiſſe noſtram gentem, quàm vel à pluribus, ſingulariter & extraordinariè gratis & acceptis, aut ab uno tali; Ab uno autem non eſt iterum veroſimile illos hæc recepturos fuiſſe, niſi is fuiſſet Propheta, aut Extraordinariè adjutus à Re Divina* (hoc eſt, extraordinariis Sp. Sancti inſtructus donis): *Nam contra Sapientem* (vulgarem) *qui non eſt adjutus* (extraordinariè à Sp. Sancto) *facilè alius ipſi par excipere poteſt, quòd idem vel tantundem ac ipſe præſtare velit.* Hæc eſt genuina ac ſyncera horum verborum mens.

An verò in his omnibus vel minimum eſt, quod Elianæ ſententiæ de Maſorethis Tiberienſibus & poſt-Talmudicis faveat, ut pro ejus patrocinio hic author ab ipſo & ejus aſſeclis in arenam productus fuerit? Imò annon omnia illis adverſantur?

Primò, Occaſione præcedentium verborum, de Viris illis qui Poteſtatem ac Valorem Vocalium per figuras ac notas certas expreſſerunt, quærit Judæus ex Perſa, Quid de hoc ipſorum opere ipſi videatur?

Deinde, horum Virorum Opera ac Studia accuratiùs explicat, illiſque attribuit, Diſtinctionem Scripturæ in verſus, Punctationem, Accentus, Notationem vocum plenè & defectivè ſcriptarum, Numerationem literarum Legis, Obſervationes item Vocum irregulariter & ἀνωμάλως punctatarum. Atqui nullus Hebræus unquam affirmabit, authorem libri Coſri ſtatuiſſe, Diſtinctionem verſuum, Numerationem literarum Legis, & Obſervationem vocum plenarum & defectivarum, incepiſſe demùm à Maſorethis Tiberienſibus poſt-Talmudicis: quia in Talmud jam horum fit mentio, & illorum authores illic vocantur ראשונים *Primi, Priſci, Antiqui*, uti fusè hoc demonſtratum eſt à Patre meo in Tiberiade cap. 8. Et nullus Judæus unquam dubitavit, quin hæc ſint antiquiora, & à Viris Synagogæ magnæ primitùs profecta. Cùm ergò his conjungat etiam Puncta & Accentus, iiſdemq; authoribus omnia attribuat, patet, illum non alios, quàm Viros Synagogæ magnæ, hîc intellexiſſe. Sed

Tertiò ſeipſum clariùs explicat, dum etiam exponit, Quale hoc opus, & Qualesnam iſti Viri fuerint? De *Opere* ipſo dicit, quòd fuerit utiliſſimum, ad conſervationem ſc. Sacræ Scripturæ intemeratam faciens: quòd non potuerit proficiſci *niſi à ſapientiâ admirandâ*,

randa, à ſapientiâ adjutâ divinitùs & extraordinario modo; quâ phraſi reſpicit ad eum gradum Sapientiæ, quem *Spiritum Sanctum* vocant Hebræi, quemq; proximè à Prophetiæ gradu collocant. Hinc de *Authoribus* illius quoq; dicit, neceſſe eſſe, ut ſi Plures illi fuerint, fuerint Viri extraordinarii: ſi Unus (quod ille videtur velle, cùm de hoc concludat), ut ille fuerit vel Propheta, vel vir Extraordinarius, nullos pares aut æquales habens, & ſingulariter à Re Divina adjutus, (hoc eſt, ut nos loqui ſolemus, extraordinariis Spiritus Sancti donis inſtructus, quales Viri, juxta Hebræos, fuerunt, David, Salomon, Eſras, Nehemias: unde illorum libri non inter Propheticos, ſed inter Hagiographos, h. e. per Spiritum Sanctum ſcriptos, referuntur). Probat hoc inde; quòd ſi alius vulgaris Sapiens fuiſſet, de cujus Divinâ Sapientiâ, & immediata à Deo vocatione non palàm conſtitiſſet, nullus unquam tàm univerſalem aſſenſum & conſenſum totius gentis obtinuiſſet; imò, ſi alius Sapiens hoc auſus fuiſſet, quæ inter Sapientes eſt æmulatio, ſtatim inveniſſet, qui ſe ei oppoſuiſſent, qui ab ipſo diſſenſiſſent. Atqui in iſtam Punctationem & Accentuationem omnes conſenſerunt ubique gentium & terrarum, licet in multis locis vehementer irregularem & anomalam. Ergo, qui illius author eſt, Propheta, vel in Proximo à Propheta gradu, & Vir extraordinarius fuit. Sic ratiocinatur Coſri.

An quæſo probabile eſt, hunc authorem, qui ante 500. annos minimùm vixit, hoc intellexiſſe de Sapientibus nonniſi 500. annis ſe majoribus? Annon ſatis ſe explicat, qualesnam credat authores fuiſſe Punctorum & Accentuum? Viros ſc. Propheticos, & extra omnem dubitationis & contradictionis âleam poſitos. Tales verò non eſſe potuerunt Maſorethæ Tiberienſes, qui 500. aut 600. annis poſt everſam Urbem & Templum vixerunt, quando extraordinaria iſta dona jam dudum inter Judæos exſpirârant & evanuerant.

His adjunge, quod idem author parte 2. ſect. penultimâ de punctatione & accentuatione ſcribit: וְלִמְחַבֵּר הַחָכְמָה הַזֹּאת הַדַּקָּה סוֹדוֹת נֶעְלָמִים מִמֶּנּוּ וְאֶפְשָׁר שֶׁעָמַדְנוּ עַל קְצָתָם וְכַוָּנָה בָּהֶם לְהָעִיר עַל הַפְּרָגִשִׁים וכו׳ *Et compoſitor vel author ſapientiæ hujus ſubtiliſsimæ cauſas occultas & arcanas habuit, quarum fortè aliquas aſſequi poſſumus: & intentio ejus fuit commoneſacere de certis quibuſdam expoſitionibus, &c.* An hoc intellexit de Maſorethis Tiberienſibus? Annon potiùs de Eſra? conferantur

ferantur hæc cum verbis Aben Eſræ ſuprà productis, & apparebit, utrumque idem dicere. Mox in eodem paragrapho dicit; *Artem hanc ſubtiliſſimam non eſſe deſtitutam ſuis rationibus, ſed fundatam* בעלות *in cauſis certis* וּמְסוֹרוֹת *& Traditionibus.* An Traditiones iſtæ certæ durarunt uſque ad Maſorethas Tiberienſes? Vix credo.

Ex his itaque ſatis liquet, Authorem libri Coſri nequaquam in ea fuiſſe ſententia, Puncta & Accentus eſſe à Maſorethis Tiberienſibus poſt-Talmudicis excogitata, atque allatum hoc teſtimonium nihil juvare Elianam de Punctis ſententiam. Plura vide infrà cap. 14. ſub titulo De Accentibus.

Antequam verò ad reliquorum quoque Teſtimoniorum conſiderationem progrediamur, monendus eſt hîc Lector de erronea expoſitione hujus ejuſdem loci, quam ei (licet alio fine & ſcopo) attribuit Johannes Morinus; primò quidem in Exercitationibus Eccleſiaſticis Samaritanis, Exercitatione 4. cap. 7. deinde iteratò in Animadverſionibus In Cenſuram Exercitationum Samaritanarum, contra Simeonem de Muis, cap. 5. Sic ille hæc verba reddidit; *Quid igitur ſenties de eo, quòd ordinaverunt & diſtinxerunt Scripturam, primùm per verſus, &c. Numquid vides, quòd opus eorum in hoc vanum fuit, & ſupervacaneum, & diligens occupatio in re damnabili?* Variè hîc erratum; *primò* הֲתִרְאֶה reddit, ac ſi eſſet הֲלֹא תִרְאֶה *Annon vides, numquid vides?* ſed הֲתִרְאֶה eſt, *An vides,* hoc eſt, *An videtur tibi?* Hoc unum: *deinde* conjunctionem disjunctivam neglexit, & ex enunciatione disjunctiva fecit copulativam; *Et diligens occupatio,* pro, *Aut diligens occupatio*; quod eſt alterum: *tertiò,* בִּדְבָרֵי חוֹבָה reddit, *In re damnabili*; cum contrarium ſignificet, *In re laudabili, honeſta, ad officium ipſorum pertinente, neceſſariá.* חוֹבָה hîc non ſignificat *Reatum, Damnationem*; ſed, *Officium*; ut cùm dicitur יָצָא יְדֵי חוֹבָתוֹ *Satisfecit officio ſuo, &c.* Et ſic in ſequentibus quoque verbis aberravit à ſcopo authoris iſtius, & quod Coſri laudat, id ſumit pro vituperatione, quaſi ille ſtudium hoc priſcorum vituperaret; Sic enim ille; *Verùm cum diligente iſta occupatione in re damnabili, conjuncta eſt cum admirabili ſapientia conſervatio Legis, ut nullo modo mutari poſſit, &c.* Nolo integram illius interpretationem repetere, ac recenſere. Qui librum ipſius habet, conferat illum locum cum noſtra interpretatione, quam pro vera ac genuina intrepidè Lectori venditamus. Alibi autem fortaſſis occaſio dabitur totam

E

illam de Karræis diſputationem ex Colri producendi. Pergamus nunc.

Tertium Teſtimonium, quod producitur, eſt R. Davidis Kimchii, qui in libro Michlol, de diſcrimine inter Præteritum & Participium Niphal, quorum illud in Pathach, hoc in Kametz deſinit, ita ſcribit; ומתקני הנקוד שמו הפרש בין אבן הראשה והבינוני כי קריאתם אחד וינקדו עין הפעל באבן הראשה בפתח גדול זולתי אם הוא בהפסק וכו׳ h.e. *Et ordinatores punctationis poſuerunt diſcrimen inter Lapidem fundamentalem (h.e. Præteritum) & inter Participium, quia eadem eſt utriuſq; lectio (ratione ſc. pronunciationis, quâ utrumq; in A deſinit): & punctarunt ſecundam radicalem in Præterito per Pathach, excepto ſi fuerit in pauſa: in Participio verò per Kametz, exceptâ formâ conſtructa, &c.*

Hinc ſic argumentatur Arcani Punctationis Revelator; *Si Kimchius credidiſſet, vel Moſen, vel Eſram eſſe authorem punctationis, non dixiſſet in Plurali numero* מתקנים Ordinatores, *ſed in ſingulari,* מתקן Ordinator.

℞ *Primò* dico, Teſtimonium hoc nihil juvat adverſariorum ſententiam: quia hoc probandum illis incumbit, Hos recentes Maſorethas Tiberienſes poſt-Talmudicos eſſe Punctorum inventores. Atqui talium virorum nullam facit Kimchi ne verbulo quidem mentionem hic vel alibi. Hæc verò Propoſitio affirmativa & aſſertiva ipſis eſt probanda; *Tiberienſes Judæi ſeu Maſorethæ, qui 500. aut 600. poſt Chriſtum annis vixére, Puncta invenerunt, & codicibus Sacris primi addiderunt.* Neque ſtatim ſequeretur; *Kimchius neq; Moſen, neq; Eſram pro Authoribus Punctorum agnoſcit. Ergo fuerunt iſti Tiberienſes.* Nam Tiberienſes iſti Punctorum Inventores Hebræis Scriptoribus prorſus ſunt incogniti. Et annon potuiſſent eſſe alii antiquiores: quia multa ſæcula inter hos interceſſerunt?

Secundò; nego hinc colligi poſſe, Kimchium ſtatuiſſe, neq; Moſen, neque Eſram eſſe Punctorum authorem. Nam qui Eſram faciunt Punctorum authorem, ita hoc opus illi tribuunt, ut ſimul commune faciant Toti Synagogæ magnæ. Ipſum ſolum nominant, tamquam Concilii illius Caput & Præſidem. Unde vocatur ab illis ראש לסופרים *Caput Scribarum.* Hinc etiam illa loca octodecim, quæ communiter vocantur תקון סופרים *Correctio vel Ordinatio*

Ordinatio Scribarum, quandoq; vocantur תיקון עזרא *Ordinatio Eſræ*; ut in Maſora Num. 12. 12. Hinc idem opus Aben Eſra ſuprà adſcripſit לאנשי כנסת הגדולה *Viris Synagogæ magnæ*. Sic quod Coſri dixerat abſolutè vel indefinitè; *Poſuerunt ſeptem Reges*, id Muſcatus exponit על אנשי כנסת הגדולה *de Viris Synagogæ magnæ*. Sic ſcribit Ephodeus in Præfatione libri ſui; והנה המציא עזרא הסופר עם אנשי כנסת הגדולה הטעמים ללשון הזה *Ecce autem Eſra Scriba, cum Viris Synagogæ magnæ, invenit Accentus linguæ hujus, &c.* Neque certè ullus Hebræus aliter verba Kimchii intelliget & interpretabitur, excepto unico Eliâ.

Tertiò; quid laboramus de mente Kimchii ex his verbis per rationes & conſequentias multas eliciendâ? Annon ſatis apertè ipſemet, quid de hac quæſtione ſenſerit, alibi expoſuit? Locus decantatus extat in Præfatione Commentarii ejus ſuper Prophetas priores, ubi agit de Origine Variarum illarum in Scriptura Sacra lectionum, quæ *Keri Uketif* vulgò dicuntur. Ibi inter cætera ſic ſcribit: ונראה כי המלות האלה נמצאו כן לפי שבגלות ראשונה אבדו הספרים ונטלטלו החכמים ויודעי התורה מתו ואנשי הכנסת הגדולה שהחזירו התורה ליושנה מצאו מחלוקת בספרים והלכו ברבם אחר הרוב לפי דעתם ובמקום שלא השיגה דעתם על הבירור כתבו האחד ולא נקדוהו או כתבו מבחוץ וכו' hoc eſt, *Videtur, voces iſtas ideò ſic repertas, quòd in captivitate primâ libri Sacri perierint, Sapientes variè diſperſi, & periti Legis mortui fuerint, ac* Viri Synagogæ magnæ, *qui Legem in priſtinum ſtatum reſtituerunt, diſſenſionem in Codicibus repererint, ſequutiq; ſint, pro ſcientiâ ac ſententiâ ſuâ, majorem partem: & ubi manus ipſorum non aſſequuta eſt rei claritatem, ſcripſerunt unum*, & non punctaverunt illud, *aut ſcripſerunt in margine, &c.* Arrigite aures, Elia, & Revelator, audite quid hîc de Punctatione Kimchius ſenſerit, *quòd ſc. Viri Synagogæ magnæ in his diverſæ lectionis vocibus unam non punctarint*. Annon bonâ conſequentiâ, imò optimâ, hinc concluditur, *Vos ex iis unam non, alteram punctaſſe*; & per conſequens Punctis jam uſos eſſe? Nam quare aliàs dixiſſet de Uno; *Et non punctaverunt illud?* Quis quæſo aliter hinc colligat, quàm Kimchium ſenſiſſe, Viros Synagogæ magnæ jam in reſtitutione Scripturæ, etiam circa Punctationem occupatos fuiſſe?

Plura loca ex ejuſdem Scriptis obſervari poſſunt à cordato &

oculato lectore, ex quibus idem hoc nullo negotio concludi poteſt. In Reſponſionibus Kimchii ad Objectiones Chriſtianorum ex Pſalmis quibuſdam, quos de Meſsia exponunt, ad Pſal. 110. ita ſcribit: *Chriſtiani exponunt Pſalmum hunc de Jeſu, & dicunt, quòd in verſu primo agatur de Patre & Filio: quia ipſi legunt* נְאֻם ה׳ לַאדֹנָי בקמץ הנון, *cum Kametz ſub litera Nun* לַאדֹנָי; *& hinc inferunt; Quomodo dicit* Dominus ad Adonaj; *niſi quia ſunt duo, & Spiritus Sanctus tertius? Praeterea alium etiam in lectione hujus Pſalmi errorem committunt in* עַמְּךָ נדבות, *ubi legunt* עִמְּךָ *cum Chireck, pro* עַמְּךָ, *&c.* ואתה תאמר להם טעות קריאתם כי גירולמיש המעתיק שלהם טעה כי לַאדוֹנִי בחירק הנון והוא אומר על דוד כמו שפירשנו · ואיך יוכלו להחזיק טעות איש אחד כנגד רבים · כי ממזרח שמש ועד מבואו ימצא בכל הספרים בחירק הנון · ועמך נדבות בפתח העין והלא הם אומרים כי התורה שלנו עדות להם · אם כן יאמינו בעד h. e. *Tu verò dicas eis, quòd erronea ſit lectio ipſorum, & quòd Hieronymus Interpres ipſorum erraverit. Nam legitur* לַאדֹנִי *cum Chireck ſub literâ Nun, & dicitur de Davide, ſicut expoſuimus. Et quâ quaeſo ſpecie poſſunt tenere errorem viri unius contra quamplurimos? Nam ab Oriente Solis uſq; ad Occidentem ejus invenitur in univerſis libris Chireck ſub Nun in voce* לאדני, *& Pathach ſub Ajin in voce* עמך. *Nunquid ipſi dicunt, quòd Lex noſtra ſit Teſtimonium ipſorum? Si ita ſit, credant huic teſti.* Hìc dicit Kimchius, quòd Chriſtiani nonnulli in Pſ. 110. לאדני legant cum Kametz ſub Nun: dicit, illos hunc errorem hauſiſſe ex Hieronymo. Num hoc ita ſit, & rectè ab ipſo dicatur, nunc nolo ventilare. Sed hoc duntaxat hinc arguo; Quomodo potuerit Kimchius Hieronymo adſcribere lectionem cum Kametz in voce לאדני, ſi credidit, nullas ejus tempore fuiſſe Vocalium figuras? Certè nec ex ipſius verſione colligi poteſt, eum ſic legiſſe, neque ex notis, quae ejus nomine, quamvis falsò, ut magnus Eraſmus judicavit, venditantur. Quomodo item Kimchius ex Punctatorum Codicum conſenſu, contra Hieronymianam lectionem argumentatur, ſi Puncta ſunt tam recentia? Nam ſine punctis ea vox tam cum Kametz, quàm cum Chireck legi poteſt: & facilè cogitare potuiſſet, nullorum Maſoretharum authoritatem contra Hieronymum apud Chriſtianos praevalituram, &c. Alia quaedam vide inf. cap. 10. Et haec de Kimchii Teſtimonio.

Quartum Teſtimonium producitur ex libro צחות שפתית

שפתים *Tzach Sephatajim*, in quo, citante Eliâ, ſic legitur;
יש לנו לדעת כי הניקוד נתן בסיני ולא שנקדו הלוחות אך כאשר דבר
הקבה לשון הקדש הבינו השומעים כל התנועות והקולות הקטנות
והגדולות כאשר נכון הדבר במוצא הפה החזק הוא הרפה כך יש
להכיר מפי הקוראים בין אה קמץ לאה פתח ובין אי צרי לאי סגול
ובין או חולם לאו חק ובין או בויו לא בלי ויו ובין אי ביוד לא בלי
יוד עכ״ל hoc eſt, *Sciendum eſt, Puncta quidem data eſſe in monte Sinaj; non ſic tamen, quòd punctatæ fuerint tabulæ: ſed cum Deus eloquutus fuit linguâ ſanctâ, auditores intellexerunt omnes motiones & ſonos, parvos & magnos* (i. e. Vocalium parvarum & magnarum) *accuratè, prout ore efferebantur, utrum fortiter* (cum Dageſch) *an leniter. Sic poteſt diſcerni ex ore legentium, inter A cum Kametz, & A cum Pathach, inter E cum Tzere, & E cum Segol, inter O Cholem, & O Kametz chatuph, inter V Schureck, & V Kybbutz, inter I cum Jod & I, ſine Jod.*

℞. Hoc quoque teſtimonium nihil juvat Punctorum Novitatis Patronos. Conſequentia hæc eſt: *Hic author dicit, Tabulas non fuiſſe punctatas: Ergo Textus Hebraicus V. T. punctatus demum eſt circa vel poſt annum à Chriſto nato quingenteſimum.* Quis non videt ἀνακολυθίαν?

Deinde neque hoc ſequitur apud omnes Hebræos; *Tabulæ non fuerunt punctatæ, Ergo Moſis tempore nondum fuerunt puncta: vel, Ergo Moſes non accepit puncta in monte Sinaj*; Ratio; quia Hebræorum multi ſentiunt; Moſen in monte Sinaj Punctationem accepiſſe, ſed non ſtatim exemplaribus omnibus adſcribendam, verùm cum Lege non ſcripta, traditione orali propagandam: Et ſic uſque ad Eſram propagata fuiſſe, qui ea publicârit, & adſcripſerit, quòd tùm temporis Prophetia & dona extraordinaria ceſſare debuerant. Loquor ex Hebræorum ſententia, quam hîc quærimus, & hoc tantum fine iſta affero, ut oſtendam, quòd ex his verbis nihil poſſit concludi pro Punctorum novitate adeò recenti. Quidni enim hic author hujus potuerit eſſe ſententiæ, & iſta ſcribere? Et, ſi hoc non ſenſit, cur non vulgaris & receptæ apud Hebræos potuit eſſe ſententiæ, quòd Eſras & Viri Synagogæ magnæ illorum fuerint authores & inventores?

Fruſtra itaque & hoc teſtimonium in medium profertur. Ex quibus omnibus jam liquet, ſolum Eliam, ſine ullo ex Hebræis Duce, ſine ullo Comite, ſine ullo Aſſecla & adſtipulatore, ſine ullo Teſte, hanc ſententiam tenuiſſe; eamque ex proprio cerebro

E 3

& phantaſia, concepiſſe, foviſſe, edidiſſe, propagaſſe. Quod an non magnum ſit meritò contra hanc ſententiam præjudicium, cordatiorum arbitrii eſto.

Caput IV.

De Mutis Teſtimoniis pro Punctorum Novitate, horumq́ primo; ex Legis Volumine non punctato, quod à Judæis in omnibus Synagogis aſſervatur.

EXpendimus ſuperiori capite Teſtimonia Expreſſa, ſeu Explicita, quæ Punctorum Novitatis patroni pro ſuæ ſententiæ defenſione proferunt; nunc deveniendum eſt ad Teſtimonia eorundem Tacita atque Muta, quæ niſi præcedentibus magis certa atque clara erunt, non valdè magnam, ſeu ad probandum, ſeu ad perſuadendum, vim habebunt.

Primum horum petitur à Libro Legis, quem in Synagogis, veluti Archetypi Moſaici Sacrum Ectypum, aſſervant Judæi, qui per totum terrarum orbem inter Judæos, veteri more & conſuetudine, paſſim ſine ullis Punctorum & Accentuum notis viſitur.

Ad hujus Argumenti illuſtrationem præmittit Arcani Punctationis Revelator, Obſervationem Criticam & Philologicam, de pretio & præſtantia hujus Libri Legis; ſed inauſpicatò, & ſiniſtro omine. Eam itaque paucis, non quòd ad rem ipſam quicquam faciat, ſed ad Lectorem minus peritum erudiendum, paucis examinabimus & explicabimus.

Majemonides in Tractatu ספר תורה Cap. 10. §. 5. ſcribit: מותר להניח ספר תורה על גבי ספר תורה ואין צריך לומר על גבי חומשים

חומשים ומניחין החומשים על גבי נביאים אבל אין מניחין נביאים וכתובים על גבי חומשין ולא חומשים על גבי ספר תורה וכל כתבי הקדש אפילו הלכות ואגדות אסור לזרקן Hæc verba Revelator ſic interpretatur: *Licet ponere* ספר תורה *Librum Legis ſuper alium librum Legis, neque opus eſt monere, licére illum ponere ſuper* חומשים *Pentateuchum: Item licet ponere* חומשים *Pentateuchum ſupra Prophetas & Hagiographa; ſed non licet ponere Prophetas & Hagiographa ſuper* חומשים *Pentateuchum, neque* חומשים *Pentateuchum ſuper* ספר תורה *Librum Legis. Deniq; non licet dilacerare aut diffringere libros ullos ſacros, ac nequidem* הלכות *aut* אגדות.

Ex hoc loco rectè colligit & docet; Certos Sanctitatis gradus conſtitui à Judæis inter Libros Sacros; Sed quod ait; *Per* חומשים Chumaſchim *intelligi Pentateuchum Moſis, in vulgarem & communem uſum ſcriptum: per* ספר תורה Librum Legis, *intelligi quidem eundem Pentateuchum; verùm non in vulgarem & communem, ſed vel in Sacrum & publicum Synagogarum, vel in ſingularem privatorum uſum, ſingulari etiam ratione, & accuratâ ſupra modum diligentiâ & cautione, conſcriptum; talem ſc. de quo mox ſermo erit*; In hoc, inquam, falſus eſt bonus ille Vir:

ספר תורה *Liber Legis* hîc eſt Majemonidi *Totus liber Legis*, ſive *Integer Pentateuchus quivis*, omnes V. libros Moſaicos continens, ſive jam ſit illud Volumen Sacrum in Synagogis aſſervatum, ſive alius Liber: At per חומשין non intelligitur Pentateuchus integer; ſed *Quintæ partes ſingulæ ſeorſim ſcriptæ, vel impreſſæ*; veluti Geneſis ſola & ſeorſim, Exodus, Leviticus, &c. Hoc enim eſt חומש *Quinta pars, Unus aliquis horum V. librorum*: Et חומשים ſunt *Quintæ partes ſeorſim ac ſeparatim*: חמשה חומשים *Quinque quintæ*, eſt integer Pentateuchus.

Dicit itaque Majemonides; Licere librum Legis unum ponere ſupra alterum, nec quicquam intereſſe, ſi duos integros Pentateuchos, utrum alteri ſuperimponas: non etiam eſſe dubitandum, quin integrum Pentateuchum liceat imponere Parti alicui ſeparatæ, uni vel pluribus: *Deinde:* Licitum eſſe Libros Moſaicos ſeparatos ponere ſuper Libros Propheticos, ſed non vice verſâ: neque licere tales Libros ſeparatos imponere integro alicui Pentateuchi volumini.

Hunc eſſe ſenſum evincit, cùm ipſa ratio & ſignificatio vocis

חומשים

חומשים; tùm ipſa Praxis & obſervantia inter Judæos; tùm R. Salomonis gloſſa in Tract. Megilla cap. 4. fol. 27. col. 1. unde locus Majemonidis eſt deſumptus. Ibi diſertis verbis R. Salomon ſcribit; חוּמָשִׁין סֵפֶר תּוֹרָה שֶׁאֵין בּוֹ אֶלָּא חוּמָשׁ אֶחָד Chumaſchin *est Liber Legis, in quo non eſt niſi* חומש *quinta una, ſive Liber unus.* Hoc unum.

Quod deinde ultima verba reddidit; *Denique non licet dilacerare aut diffringere* (Heb. לִזְרְקָן) *libros ullos ſacros*; neque hìc vim verbi זָרַק eſt aſſecutus. Verbum זָרַק hìc non ſignificat *Dilacerare aut Diffringere*, (neque etiam in tota lingua id ſignificat) ſed *Projicere*. Dicit itaque; *Non licere Libros ſacros projicere*, h.e. *projiciendo ſeponere, vel alteri tradere*: quia id contemptum indicat: ſed decenter & cum reverentia id faciendum. Deſumpta ſunt hæc verba ex Talmud Eruvin fol. 98. col. 1. ubi legitur, אֵין זורקין כִּתְבֵי הַקֹּדֶשׁ *Non projiciendа ſunt Scripta ſacra.* Quem locum R. Manóach ſic explicavit, ut habetur in *Keſeph Miſchna*: כְּשֶׁיִּתְּנֵם לַחֲבֵירוֹ לֹא יִתֵּן לוֹ בִּזְרִיקָה *Quando illa traditurus vel porrecturus eſt ſocio ſuo, non tradet illa per Projectionem.* Confer etiam Talmud Schabb. cap. 1. fol. 6. col. 1. Nunc ad rem ipſam;

A' forma itaque hujus libri ſic argumentantur; *Volumen Legis ſacrum, quod Judæi in ſuis Synagogis ſervant, populo oſtentant, &c. eſt ſcriptum ſine ullis Vocalium & Accentuum notis, teſtante Elia in libro Maſſoreth Præf. 3.*

Ergo liber Legis à Moſe olim conſcriptus, & in Arca fœderis juſſu Dei repoſitus, populoq́ propoſitus, ſimiliter fuit omnibus iſtis apiculis deſtitutus.

Ratio conſequentiæ eſt: *quia Liber iſte Legis, in Judæorum Synagogis hodiè aſſervatus, adumbrat & veluti exprimit Volumen illud Legis Moſaicum antiquum & archetypum.*

Huc redit breviter ſumma hujus Argumenti, quod multis verbis illuſtrant & amplificant Elianiſtæ.

Reſpondetur ad illud;

Primò, Antecedens eſſe veriſsimum, & liberali manu ab omnibus Judæis id concedi; quinimò amplius adhuc, quàm iſti hactenus, dicunt; quòd videlicet סֵפֶר הַתּוֹרָה הַמְּנוּקָּד פָּסוּל *Liber Legis punctatus ſit prophanus*, ut Ephodeus teſtatur ſub finem cap. 5. Et in libro שֻׁלְחָן עָרוּךְ *Schylchan aruch*, Parte יוֹרֶה דֵּעָה *Jore dea*, ſectione 274. ſcribitur: ספר הַמְּנוּקָּד פָּסוּל ואפילו הסירו מִמֶּנּוּ הַנִּיקּוּד וְכֵן

סֵפֶר

סֵפֶר שֶׁיֵּשׁ בּוֹ פִּיסוּק פְּסוּקִים hoc eſt, *Liber punctatus profanus eſt; etiam, ſi ſuſtulerint* (eraſerint) *ex eo punctationem: ſic etiam liber, in quo eſt Diſtinctio verſuum*(punctis duobus ſc. & atramento facta)*profanus eſt.*

Secundò: utut veriſsimum hoc ſit, & Judæi id fateantur; nullum tamen hactenus ego vidi vel audivi Hebræum, præter unicum & ſolum Eliam, qui ex hac propoſitione, iſtam Conſequentiam eliicere cogitârit, aut conatus fuerit. An nemo præter Eliam, ante & poſt ipſum, tam emunctæ fuit naris, ut hoc ſubolfacere, & animadvertere potuerit? Operæ pretium itaque erit videre ante omnia, quid illi adhæc regerant. Non uno modo omnes reſpondent, ſed diverſimodè:

1. Sunt qui dicant, Etiamſi Moſis autographum Punctis caruerit; tamen non ſtatim inde ſequi, Moſis ævo Puncta non fuiſſe: eò quòd Puncta ſint pars Legis oralis, quam olim non licebat ſcripto publicè tradere vel comprehendere, juxta illud: דְּבָרִים שֶׁבִּכְתָב אִי אַתָּה רַשַּׁאי לְאוֹמְרָן עַל פֶּה דְּבָרִים שֶׁבְּעַל פֶּה. אִי אַתָּה רַשַּׁאי לְאוֹמְרָן בִּכְתָב *Verba quæ in ſcripto, non eſt licitum tibi docere ore: & contrà, Verba quæ per os, non eſt licitum tibi docere ſcripto,* Gittin cap. 50. fol. 60. ac proinde fieri potuerit, ut illa, unà cum aliis Legis non ſcriptæ traditionibus, oraliter & clam fuerint propagata uſque ad Eſram, à quo Lex oralis, & unà cum ipſa, Puncta quoque & Accentus demùm fuerint publicata, & publicè libris quibuſvis appoſita: Quòd item aliæ etiam ſint cauſæ, cur hodiè Volumen illud Legis in Synagogis uſitatum Punctis careat, ut videlicet hac ratione tanto fæcundior ſit Legis Scriptura, pluresque ſenſus admittat. Et hæc eſt ſententia eorum, qui Punctorum Originem vel Adamo, vel Moſi adſcribunt, ut ſunt Cabaliſtæ, & qui eos ſequuntur.

In hac ſententia putarunt quidam fuiſſe Authorem libri Coſri, de quo ſuperiori capite actum: ſed nos oſtendimus, illum potiùs ad Eſræ tempora ea referre.

Huc autem reſpexit author illius Commentarioli de Punctis & Accentibus, qui in calce Bibliorum magnorum Maſoræ finali eſt adjectus, dum ſcribit: אֱמֶת הַדָּבָר כִּי הַנִּקּוּד נִתַּן בְּסִינַי אַךְ שְׁכָחוּהוּ עַד שֶׁבָּא עֶזְרָא וְגִלָּהוּ כַּכָּתוּב וכו אַךְ לֹא נִתַּן לְהִכָּתֵב כִּי דִינוֹ כְּדִין תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה hoc eſt, *Veriſsimum eſt, quòd Punctatio data ſit Moſi in monte Sinaj: obliti autem fuerunt ejus, donec venit Eſras, & revelavit eam, ſicut ſcriptum eſt, &c. Verùm non data fuit, ut adſcriberetur; quia*

eadem eſt ejus ratio, quæ Legis oralis. Nota, quòd non dicat; התנועות נתנו בסיני *Vocales datæ ſunt in Sinaj:* ſed; הנקוד *Punctatio*, & quòd Eſras eam revelaverit, ac poſtliminiò quaſi in uſum revocârit.

Hæc eadem eſt cauſa, quòd Karræi, Judæorum ſectarii, qui omnes Traditiones olim rejiciebant, Punctationē etiam non receperint: quia videlicet eam habebant pro parte Legis oralis, & quaſi explicatione Legis ſcriptæ, unde deinceps etiam hoc inter ipſos ortum fuit, ut magna in libris ipſorum varietas deprehenſa fuerit, ut Coſri docet parte 3. §. 35. dum ait; השמעת מלך כוזר על חבור לקראים בדבר ממה שזכרתי לך בסמך או בקבלה שאין בו ביניהם מחלוקת ממסורת או מנקוד או מטעמים או מאסור והיתר או מדינין *An audiviſti unquam, Rex Coſar, de libro quodam Karraitarum de his rebus, de quibus hactenus egi, in quo non ſit inter ipſos diſſenſio circa Maſoram, vel circa Punctationem, vel Accentus, vel de licito & vetito, vel de judiciis? Non vidi*, &c. Sic docet Aben Eſra in Præf. Biblica, quòd ſint deſtituti omni Maſorâ, Punctatione, & Accentuatione, dum ait, *quòd Tzaducæi veſani unuſquiſq; Scripturam explicet pro lubitu ſuo;* non quòd Puncta nulla fuerint, ſed quia eam ceu explicationem Legis Scriptæ recipere noluerunt, &c.

Huc tendit, quod ſcribitur in libro ערוגת הבשם *Arúgas habbóſem*, cap. 26. ואנחנו בשם ה׳ אלהינו נזכיר דברי בעל סמדר ונאמר שהבשילו אשכלותיו ענבים ע״פ דרכו נכלול שנקודות והטעמים בראם מלכו של עולם עם הלשון ויהיו אצלו אמון אותם הראויים לתורה קדשנו עד שנתנו למשה בסיני בתמונתם ובצורתם בכלל תורה שבעל פה שלא היו רשאין לאמרה בכתב וכאשר הותר לכתוב תורה שבעל פה משום עת לעשות לה׳ הותר גם כן מטעם זה להורות תמונות הנקודות והטעמים בכתב אשר קודם לכן היה המורה מלמד ומודיע לתלמידו וכו׳ h. e. *Nos verò in nomine Dei noſtri ſequemur ſententiam authoris libri Semadar, & dicimus, quòd maturas uvas produxerint botri ejus, ſtatuimusq; ſecundum ipſius mentem, quòd Puncta & Accentus creaverit Rex mundi una cum ipſa Lingua, fuerintq; penes ipſum veluti alumnus apud eos qui digni erant Lege noſtra ſancta, donec data fuerunt Moſi in monte Sinaj in figura & forma ſua, una cum reliqua Lege orali, ut non permiſſum fuerit ſcripto ea propalare. Cum verò conceſſum fuit Scripto comprehendere Legem oralem, neceſſitate nempe temporis ſic requirente, permiſſum quoq; fuit, ob eandem rationem, docere figuras punctorum & accentuum per Scripturam, quas antea Præceptor*

diſcipulum ſuum docebat ore, dicendo; Lineola tranſverſa ſub litera, vocatur Pathach, &c.

Et cap. 27. ſcribit idem author, ubi de Accentuum uſu agit: ויחס רושמי הטעמים לרושמין שישתמשו מהם בעלי משפטי הכוכבים הם כיחס האותיות הקדושות לאותיות המוסכמות וכמו שהנקודות הן לדמיון רוח אל האותיות כן הטעמים הם לדמיון נשמה אל הנקודות ומפני היות מקור אלה ואלה יותר נעלם ממקור האותיות וכפי העלם המקורות כן ירבו לבושי לבושים להתפשטות אורה שלהם למטה לכן לא נאסרה מחיקת נקודות וטעמים בשמות שאינם נמחקים כפי מה שהורונו נקיי הנפשות · ואמרו ג״כ כי אפשר שמטעם זה לא נכתבו בס״ת הנקודות והטעמים hoc eſt, *Eadem eſt ratio notarum Accentuum, ad notas quibus utuntur Aſtrologi, quæ eſt ratio Literarum ſanctarum ad Literas humanitùs inventas & excogitatas: Et ſicut Puncta ſe ad Literas habent inſtar Spiritus: ſic Accentus ſe habent ad Puncta inſtar Animæ. Et quia origo, vel ſcaturigo tam horum quam illorum* (Punctorum ſc. & Accentuum) *magis eſt abſcondita, quam ſcaturigo Literarum, & pro occultatione ſcaturiginum, ſic multiplicantur veſtimenta veſtimentorum* (figuræ Accentuum, ut ex præcedentibus liquet) *ad diffuſionem lucis ipſorum hìc inferiùs; idcircò non prohibitum eſt delere vel eradere puncta & accentus in Nominibus* (Divinis) *quæ non delere licet, quemadmodum nos docuerunt ii qui puriſſimis animis ſunt præditi* (Cabaliſtæ). *Dicunt etiam, quòd fortaſſis ob eandem hanc rationem non adſcribantur in libro Legis Puncta & Accentus.* Quod hîc dicitur de *Veſtimentis* vel *Veſtimentis Veſtimentorum*, ex Cabaliſtarum loquendi ratione fit. Hi enim interius ſive *Senſum* ipſius Legis vocant גופי התורה *Corpus Legis*; &, Verba, Literas, Puncta, quibus exarata eſt Lex, *Veſtimenta*. De qua re qui volet, & qui poteſt, legat elegantem diſcurſum in Zohar lib. Numer. ſect. בהעלותך colum. 288. 289.

Eadem hæc ſententia videtur tradi in libro Zohar in Exodum, ſectione ויקהל, colum. 368. edit. Cremonenſis: תנינן כתיב ויקראו בספר בתורת האלהים מפורש ושום שכל ויבינו במקרא והא אוקמוה רזא דאינון פיסוקי טעמי ומסורת וכל אינון דיוקנין ורזין עלאין כלא אתמסר למשה בסיני · אי בכל הני דיוקנין אתמסר אורייתא למשה ספר תורה דאיהו בכל אינון קדושן אמאי איהו חסר מכל הני תקונין ורזין דאתמסרו ליה למשה באורייתא דבכתב · אלא רזא דא כד כורסייא קדישא מתעטרא ואתכלילת בתורה שבכתב כל אינון דיוקנין וכל

אינון טעמים ומסורות כולהו עאלין בגווייהו ואתרשימו בגו כורסייא קדישא ואינון דיוקנין דאעיל אורייתא דבכתב באורייתא דבע״פ ובהו אתעברת כאתתא דאתעברת מן דכורא ואשתארו אתון עלאין לחודייהו בקדושייהו כדקא חזי , ולאתחזאה בבי כנשתא דהא אתכרכת ואתעטרת כורסייא מרזא דתורה שבכתב ותמן אעיל כל אינון דיוקנין ואיהי אתקדשת מניה בעי לאתחזאה באתון לחודייהו כדקא יאות , וכדין כלא אתקדש בקדושה עלאה כדקא חזי · כש״ וכ״ש בהאי יומא · בהאי יומא בעי לסלקא שבעה גוברין דאינון רזא דאורייתא לקבל שבעה קלין וכו' hoc eſt, *Traditionem habemus*; *Scriptum eſt*; Et legerunt in libro, in Lege Dei explicatè, & apponendo intellectum, & intellexerunt Scripturam, Neh. 8. 8. *En conſtituerunt hic myſterium, quòd hæ ſint Pauſationes Accentuum, & Maſoreth, Et omnes illæ figuræ, & arcana ſublimia, quæ omnia tradita ſunt Moſi in monte Sinaj. Quod ſi cum omnibus his figuris tradita ſit Lex Moſi; Liber Legis, qui eſſe debet cum omnibus ſanctitatibus, quare deſtitutus eſt omnibus iſtis ordinationibus & ſecretis, quæ tradita ſunt Moſi in Lege ſcripta? Hoc itaque eſt ſecretum; Quum ſolium ſanctum coronaretur, & cingeretur Lege ſcriptâ, omnes illæ imagines vel figuræ, omnes item iſti accentus, & Maſoræ, omnia, inquam, hæc ingrediebantur intra illud, & obſignata fuere in medio Solii Sancti: Et hæ ſunt figuræ, quas introire fecit,* (immiſit, inſeruit) *Lex ſcripta in Legem oralem, huc, gravida facta eſt ſicut mulier, quæ uterum gerit prole maſculâ, & remanſerunt literæ* (conſonæ) *ſolæ, in ſanctitatibus ſuis, ſicuti hodiè videtur. Et ut videatur in domo Synagogæ, quòd coronatum & circumdatum ſit ſolium a ſecreto Legis Scriptæ, quodq; illic ingredi fecerit omnes iſtas figuras, indeq; ſanctificatum eſſet, oportuit conſpici Literis ſolis, prout decet. Et ſic omnia ſanctificata ſunt ſanctitate ſummâ, ſicut conveniebat; hoc inprimus die*; (ſc. Feſti lætitiæ legis) *Hoc enim die producendi ſunt ſeptem viri*, qui ſuſcipiant ſeptem officia eccleſiaſtica, de quibus vide Synagogam Jud. cap. 22.) *qui ſunt Secretum legis, reſpondentes ſeptem vocibus* (i. e. Vocalibus, qui aliâs vocantur Septem Reges, vide inf. cap. 14.). Hactenus Zohar, cujus verba, prout potuimus, reddidimus. Senſus autem quis ſit, ſatis patére videtur.

Non abludit multùm ſententia R. Aſariæ in Meor enájim cap. 59. qui exiſtimat, Moſen Legem ſine punctis ſcripſiſſe; non quòd illis caruerit: ſed quia ſatiùs duxerit, oraliter illa propagare; & ut hac ratione Lex, quæ non intra unius literalis ſententiæ anguſtiis incluſa

cluſa eſt, tanto fæcundior eſſet, & aptior ad plures myſticos & allegoricos ſenſus recipiendos. Verba illius hæc ſunt: ומ'רעה
אשר כתב את התורה בלי סימני הקולות עם מה שיתכן לנפול בקצרת
הדברים ספק טעם גדול היה לו בזה כי רצה שלא יתבונן האדם
במצותיה רק עם המסורת על פה כמו שכתב החכם כוזרי מאמר ב'
ובכן הואיל משה גם בקריאה הפשוטה שנתחיל ממנו, מצורף למה
שנודע כי שבעים פנים לתורה כ"ש בהיות מה שכתב הרמב"ן ז"ל
בהקדמת פירושו להורה וכו' hoc eſt, *Et Moſes præceptor noſter, qui Legem ſcripſit ſine notis vocalium (quamvis de hoc etiam adhuc quodammodo dubitari poſſit) gravem hujus rei habuit rationem. Ideo enim hoc fecit, ne quis conſideraret Præcepta ejus niſi cum Traditione orali, ſicut Coſri ſcripſit par. 2. unde voluit etiam, ut in lectione ſimplici & nuda ab ea inciperemus. Præterquam quòd notum eſt, ſeptuaginta eſſe facies Legis (hoc eſt, modos explicandi Legem) maximè ſi ita res habeat, ut ſcribit Rambam in Præfatione Commentarii ſui in Legem:* Eſt in manibus noſtris, *inquit,* Traditio veritatis, quòd Lex tota conſtet ex meris Nominibus Divinis: quia dictiones dividuntur in Nomina, certâ quadam ratione, &c. Scriptio (Legis) fuit continua, ſine diſtinctione vocum, & legi potuit tùm eo modo, quo nos eam legimus; ſenſu Legis & præceptorum: & data fuit Moſi (ſc. in ſcripto) per diſtinctionem Lectionis præceptorum, & oretenus ei traditus fuit modus legendi eam ſecundum Nomina Divina, &c. *Inprimis verò fatentur omnes Cabaliſtæ, quòd Nomen Tetragrammaton hanc proprietatem habuerit, ut variis modis legi potuerit:* ואם הוגבלו דבריה לאופן קריאה
אחת הלא כל יתר הקריאות תמצאנה נדחות מפניה *Quod ſi autem Verba Legis definita & circumſcripta eſſent modo legendi unico, omnes reliqui modi lectionis tollerentur; ita ut aliquo modo hîc quadret id quod Rabbini noſtri dicunt in Talmud Menáchoth cap. 11.* פעמים שבטולה של
תורה זהו יסודה Quandoque deſtructio Legis eſt ejus fundatio vel exſtructio. *Hactenus R. Aſarias.*

Huc facit etiam, quod R. Bechai ſcribit in lib. Numeror. ſect. בהעלותך fol. 162. col. 3. ad Num. 11. 15. ואם ככה את עשה לי *Et ſi ſic es tu faciens mihi*; (ubi את pronomen eſt fœmin. & adjunctum Participium עשה maſculinum): בספר תורה שאינו מנוקד יוכל
האדם לקרוא ואם ככה את עושה לי בקמץ תחת השין כי האותיות
כשאינן מנוקדות סובלות כמה כונות ומתחלקות לכמה ניצוצות
ומפני זה נצטוינו שלא לנקוד ספר תורה כי משמעות לכל מלה

ובלה לפי הניקוד ואין משמעותה עם הנקוד כי אם ענין אחד ובלתי נקוד יוכל האדם להבין בו כמה ענינים נפלאים רבים ונכבדים והבן זה תצטרך אותו בהרבה מקומות וכו׳ hoc eſt, *In libro Legis, qui non eſt punctatus, poteſt quis legere* עוֹשָׂה, *cum Kametz ſub litera Sin: quia literæ, quando non ſunt punctatæ, varios admittunt ſenſus, & in varias dividuntur ſcintillas. Et hac de causâ juſſi ſumus non punctare librum Legis, quia uniuscujusq; vocis ſenſus literalis eſt ſecundum punctationem, nec niſi unicum vox punctata admittit ſenſum: Voce verò non punctatâ poteſt homo intelligere & adinvenire multos, eosq; admirandos & eximios ſenſus. Hoc itaq; animadverte: eo enim opus habebis in pluribus aliis locis.*

Et iterum R. Samuel Arcuvolti; כל הדורות שנשתמשו מלשון הקדש עד משה נשתמשו ג״כ מהנקודות. אמנם נמסרו למשה בסיני הנקודות שראויה התורה להנקד בהן לא לפי מעלתה הנ״בת אבל לצורך דורות עולם זה ורמז לדבר משה קבל תורה מסיני. החשיך אור טעמיה הנ״בת בנקודות האוסרות אותה בפנים מגבלים hoc eſt, *Omnes generationes, quæ uſæ ſunt Linguâ ſanctâ, uſæ quoq; ſunt Punctis. Verùm Moſi in monte Sinaj data ſunt ea puncta, quibus Lex punctanda erat; non verò ſecundum præſtantiam & dignitatem ejus infinitam: ſed ad neceßitatem duntaxat generationum mundi hujus. Indicium hujus rei habemus in eo quod Rabbini noſtri dixerunt;* Moſes קבל Legem ex Sinaj; *hoc eſt,* Obſcuravit *lumen ſenſuum ejus infinitorum per puncta, quæ aſtringunt Legem ad certos ac definitos ſenſus.* (Verbo קבל ſcil. ſumpto, ex ſignificatione קבל *Obſcuritatis, Obſcurandi*) *Hanc expoſitionem audivi ex R. Menachem Aſaria Mippano, &c.*

Rabbi Menáchem Ricanatenſis; ס״ת שיש בו הרבה פנים אינו נקוד *Liber Legis in quo ſunt multæ facies* (h. e. qui idoneus eſſe debet, ad varias expoſitiones admittendas) *non eſt punctatus,* vel, *non punctari ſolet.*

Sic rurſus R. Bechaj Levit. 10. 3. ad בקרבי אקדש *In propinquis meis ſanctificabor:* ſcribit, מלת בקרובי בלשון רבים שהק״בה מתקדש בקרוביו כלומר על ידי הדברים הקרובים לו אבל בספר תורה שאינו נקוד אפשר לקרא בקרבי לשון יחיד hoc eſt, *Vox* בקרובי *eſt numeri pluralis, quòd ſc. Deus ſanctificet ſeſe in propinquis ſuis, hoc eſt, in rebus propinquis Ei: ſed in libro qui non punctatus eſt, poteſt legi* בקרבי *vel* בקרבי, *numero ſingulari, &c.*

Hinc ſcribitur in En Jiſrael, in ירושלמי שקלים fol. mihi 183. col. 4. ubi de duplici Decalogi Accentuatione agit (qua de re nos etiam aliquid egimus in noſtra de Decalogo Diſſertatione): כמו שהקורא

שהקורא בס״ת שאין בו נקוד ולא טעם הוא יודע שיש לכתב ההוא
ב׳ פנים בנקודות וטעמים וקורא הא׳ ושותק מהא׳ כן החכם היודע
הפי׳ הנגלה והפירוש הנעלם ראוי לו שיצייר כאלו יש שם כתב א׳
לפי׳ הא׳ וכתב אחר לפי׳ האחר וכו׳ hoc eſt, *Quemadmodum legens in Libro Legis, in quo neque ſunt Puncta, neque Accentus, novit, quòd Scriptura illa duplicem faciem ſeu modum legendi habeat, cum Punctis ſc. & Accentibus, & ſine eis, & quòd unus* (*modus*) *legatur, alter ſubticeatur: ſic is, qui novit explicationem* (*Legis*) *manifeſtam, & explicationem occultam, imaginari ſibi debet, ac ſi diverſa ibi eſſet Scriptura; Una, ſecundum explicationem unam: Altera, ſecundum expoſitionem aliam.*

Porrò autem hi iidem, utut agnoſcant & fateantur, Moſis exemplar quod Judæis tradidit, fuiſſe Punctis deſtitutum; non tamen negant, alicubi & in quibuſdam libris, ubi res requirere videbatur, uſurpata fuiſſe: non etiam negant, præter volumina illa Synagogarum non punctata, alia Punctata exemplaria extitiſſe, ut ex modò allegatis verbis authoris libri En Jiſrael, & aliis, facilè colligi poteſt. Hinc eſt, quod iterum R. Aſarias in loco ſuprà allegato ulteriùs ita ſcribit: אולם לא בכל זה נכחיש כי גם מעת
ההיא נכתבו הנקודות למיניהם בקצת הספרים בכל הצורך ובפרט
על האבנים כדבר בעל הסמדר שנאמר וכתבת וגו׳ באר היטב אשר
בלתי הנקוד לא היה הקורא מבינם ומי יבארם לו שם על שפת
הנחל ויהי בהתמיד ישראל לדבר גם בין ההמון בלשונם הקדוש
עד חרבן ראשון כמו שזכרנו בפ׳ הקודם וכ״ש בעזבם את התורה
וקריאתה יתכן שנשתכחו נקודותיה עד שבא עזרא והשיבו אליהם
את התורה כתובה בלשון עברי אשר בגלות בבל הוא והתורה
נשתכח מן ההמון כאמור החזיר גם את נקודותיה : hoc eſt, *Verùm* (licet demus, Legem à Moſe Iſraëlitis datam eſſe ſine punctis) *idcircò non negamus, ab eo etiam tempore, in quibuſdam libris aſcripta fuiſſe puncta ſecundum ſpecies ſuas, prout neceſſitas requirebat; inprimis verò Lapidibus* (uti ſcribit author libri *Semadar*) *ſicuti dicitur*; Itaque ſcribes in lapidibus omnia verba Legis hujus, declarando diligenter, Deut. 27. 8. *quia ſine punctatione non potuiſſet lector illa intelligere, & quis illa ei explicaſſet ibi ad littus Jordanis? Cùm vero Iſraelitæ continuè & promiſcuè, etiam in plebe, loquerentur linguam ſanctam, uſq; ad vaſtationem Templi primi; inprimis verò, cùm dereliquiſſent Legem & lectionem ejus, omninò credibile eſt, interiiſſe quaſi & oblivioni data fuiſſe puncta, donec venit Eſras, qui, cùm reſtitueret ipſis Legem Linguâ Hebræâ*

ſcriptam

ſcriptam (quia in Captivitate Babylonica & Lingua Hebræa & Lex oblivione ſepulta fuit in communi plebe) reſtituit ſimul etiam ejus puncta. Hactenus Aſarias.

Summa itaque reſponſionis Hebræorum iſtorum huc redit; Non valere argumentationem à Libro Legis non punctato, Iſraëlitis olim à Moſi tradito, & eo, qui hodieque à Judæis in Synagogis, ad ejus exemplar, aſſervatur, ad univerſaliter negandam & tollendam exiſtentiam Punctorum; 1. quòd Moſes ſuas habuerit fortè cauſas, cur Legem ſine punctis, licet iis non deſtitutus eſſet, tradere voluerit: 2. quia fieri potuerit, nec ἀσύστατα ſint, ut Moſes hoc fecerit, & tamen puncta habuerit & ſciverit. 3. quòd præter Volumina iſta non punctata, Judæi alia quoque punctata alibi habuerint, hæc verò certis de cauſis ita exarare ſoleant.

Hæc verò non eò à me dicuntur & afferuntur, quòd vel ipſe ea approbem & amplectar, vel aliis obtruſa velim; non enim ita obeſæ ſum naris, ut inſaniam & delirationem Judæorum, circa Traditionum & Legis oralis ſtudium, non facilè hîc ſubodorer: ſed ideò, ut ſaltem in noſtris quoque Scholis non ignoretur, quid Judæi ad hæc reſpondeant, & quàm conſtanter illi Punctorum Antiquitatem tueantur ac defendant: quòd item mirer, Eliam has ſuorum Doctorum & Rabbinorum rationes tam alto ſilentio texiſſe, & ſicco planè pede præteriiſſe. Sanè vel illas ignoravit, vel ſtudio & vafrè diſsimulavit: quia ſine crimine & blaſphemia rejicere & refellere non poterat.

II. Sunt alii ex Hebræis, qui extra omnem controverſiam ponunt, Figuras punctorum Vocalium & Accentuum Moſis ævo & ætate nondum fuiſſe, & Moſen Librum Legis ſine his notis ſcripſiſſe, & hac de cauſa Librum Legis Judæorum ſacrum hodieque ſine his notis, ad Moſaici voluminis exemplar & memoriam, ſcribi. Sed hi ajunt, neque ſic tamen ſequi, Maſorethas iſtos Tiberienſes primos eorum authores & inventores fuiſſe: verùm Eſram cum reliquis Viris Synagogæ magnæ. Hujus ſententiæ eſt Ephodeus, Coſri, Muſcatus & major Judæorum pars, quorum teſtimonia alibi producentur.

Et ſic vidimus hactenus, quomodo Hebræi ad hoc argumentum reſpondeant.

Dicamus etiam breviter, quid nobis videatur. Reſpondemus itaq;

Primò;

Primò; Non concludi quod concludendum erat. Probandum incumbit Elianis, *Punctorum & Accentuum Hebraicorum notas inventas eſſe à Maſorethis Tiberienſibus, quingentis aut 600. circiter poſt Chriſtum natum annis.* Nam hanc in ſua κατασκευῇ ponunt Theſin affirmativam. Illi verò concludunt hoc tantùm; *Moſis exemplar, quod Iſraëlitis deſcripſit & tradidit, ſine punctis ſcriptum fuiſſe*: vel, *Moſis ævo puncta non fuiſſe*; ac ſi æquipollentia hæc, vel neceſſariò conſequentia eſſent: *Moſes puncta non adſcripſit libris ſacris: Ergo, quingentis demum poſt Chriſtum annis à Maſorethis Tiberienſibus ſunt inventa.* Eadem ratione argumentari quis poſſet; *A Moſe ipſo Lex non fuit in certos libros & capita, diſtincta. Ergo Maſorethæ Tiberienſes iſtius diſtinctionis primi ſunt authores & inventores.* Sic Aben Eſra Eſth. 9. ſcribit, *ſtatutum olim fuiſſe, ut Eſtheræ libellus deſcriberetur ſine ullis diſtinctionum notis*; prout & ego tale exemplar antiquiſsimum in Membrana deſcriptum, & ligno circumvolutum, habeo, omnibus vocalium, accentuum, & diſtinctionis verſuum notis, deſtitutum. Sed an propterea concludit vel ſentit, iſtas diſtinctiones à Maſorethis Tiberienſibus additas? Nequaquam: ſed dicit; Quia עזרא הִפְסִיק הפסוקים *Eſras demum verſus diſtinxit*; notis ſc. certis. Quis Judæorum ferret Eliam ſic argumentantem? Quot ſecula, quot inſignes ſacrorum literarum Inſtauratores, reſtauratores, ac vindices, inter Moſen & Tiberienſes iſtos Judæos, interceſſerunt? Quis Hebræorum meminit Tiberienſium iſtorum punctatorum? Producatur vel unus præter Eliam, qui hoc affirmet, qui hoc teſtetur.

Secundò dico; Neque hanc conſequentiam valere: *Exemplar ſacrum, quod Judæi hodiè in Synagogis aſſervant, & dicunt repræſentare primitivum Moſis exemplar, eſt ſine punctis ſcriptum. Ergo Moſis exemplar quoque ita fuit ſcriptum: Vel; Ergo Moſis ævo puncta omninò non fuerunt.* Utraque hæc conſequentia non eſt firma.

Prima; quia aliæ poſſunt eſſe cauſæ, cur Judæi in iſto exemplari punctorum adſcriptionem omittant: unde & R. Aſarias non veritus eſt in loco ſuprà allegato ſcribere; *Poſſe adhuc aliquo modo de hoc dubitari.* Nam aliæ, ut dictum, poſſunt ſubeſſe hujus rei cauſæ: 1. Qui accuratè penſitârit verba R. Bechaj ſuprà adducta, non ſine ratione ſuſpicari poterit, recentiorem eſſe hanc conſuetudinem, & ab eo demum tempore introductam, ex quo Cabalæ & Allegori-

ſandi, Scripturamq; in varios ſenſus diducendi & detorquendi ſtudium invaluit. Dicit ille, *Juſſi ſumus non punctare Librum Legis*; A' quo juſsi ſint, non addit: Cauſam verò ſubjungit; Non hanc; *quia Moſes ſic quoq, Legem ſcripſerit:* ſed; *quia vox punctata omnem ſenſuum varietatem & multiplicationem excludit: Ablatio verò punctorum eam parit & fovet.* 2. Et hæc fortè cauſa reddi poteſt; quòd, cùm Liber Legis ille ſacer ad extremum uſque apicem debeat eſſe correctus & emendatus, difficillimum autem adeoque impoſsibile quaſi fuerit ulli Scribarum diligentiæ, ſatis cavere, ne in adjiciendis & adſcribendis iſtis apiculis ſæpiùs errent; atque ita vix ullus ullibi Liber כָּשֵׁר *legitimus* haberi potuiſſet: ut propterea ſtatuerint, Librum Legis talem, quò correctus, emendatus, & legitimus haberi queat, ſine Punctis ſcribendum eſſe, maximè cùm tanta in illo exemplari punctando neceſsitas non fuerit; cùm nonniſi Sacerdotes, Levitæ & doctiores, in illo legant. 3. quòd Punctatio ex Cabaliſtarum traditione ſit pars Legis oralis, quam ex trita Hebræorum regula non licet ſcripto tradere & comprehendere.

Altera; 1. Quia Moſes ſuas fortè potuit habere cauſas, licet nobis incognitas, cur Puncta, quæ habuit, non addiderit: 2. quia ſi verum eſt quod Hebræi ſcribunt, de duobus exemplaribus Libri Legis; Uno, ſcripto charactere vulgari; Altero, charactere Sacro, annon fieri potuit, ut illud, quod charactere vulgari ſcriptum erat, punctis careret; alterum verò, ut aliis characteribus, ſic alio quoque modo, cum Punctis videlicet, ſcriptum fuerit. De his duobus exemplaribus vide Diſſertationem noſtram de Literis Hebræorum Th. 43. 44. 45. &c. 3. quod præcipuum eſt, annon majori probabilitate dicemus & credemus cum majori Judæorum parte Eſram illa demum addidiſſe, quàm iſtos Maſorethicos punctatores, ſoli Eliæ notos, & ejus aſſeclis; omnibus reliquis Hebræis incognitos.

Atqui, inquiunt; *Si Judæi crederent, à Moſe, vel ab Eſdra eſſe puncta, utique illa non omitterent, ſed illa, maxime ei Codici, qui publicè in Synagogis aſſervatur, adſcriberent.*

Negatur: nam Judæi omnes alterutrum horum credunt, nec ullus eſt, qui aliter, & cum Elia, credat, quod ego ſciam: & tamen hoc non faciunt. Quare? quia alias abſentiæ hujus reddunt cauſas, quàm punctorum tam diuturnum defectum, uti viſum ex libro

Zohar,

Zohar, R.Bechaj, R.Nachmanide, R. Aſaria, & R.Samuel Arcuvolte, R.Menachem Ricanatenſi.

Concludamus hoc caput authoritate ac teſtimonio duorum doctiſsimorum Chriſtianorum, Munſteri, qui, licet Eliam maximi fecerit, ejusque ſcripta, in hac tamen quæſtione minimè ei aſſenſum præbere potuit aut voluit, ut & Marci Marini. Sic ergo Præfat. in Biblia ſcribit Munſterus: *Quare verò olim tempore Hieronymi Biblicus textus punctis non fuerit diſtinctus, reddit Rabbi Menachem hanc rationem*, ספר תורה שיש בו הרבה פנים אינו נקוד, *ſicut & alio loco, nempe Exodi 21. dicit*, דברי תורה יש להם פנימי וחיצון גלוי ונסתר. *Imò Aben Eſra dicit, quòd Lex præter* דרך הפשט *id eſt, literalem ſenſum, habeat* שבעה פנים *ſeptem modos intelligendi*, (NB. legendum hic שבעים פנים ſeptuaginta modos) *quod hic nolumus diſcutere. Olim igitur omnes ferè ſacri codices punctis deſtituebantur, ſicut & hodie Volumen Legis, quo Judæi in Synagogis utuntur, punctis caret, nec niſi qui inſigniter docti erant, poterant illos rectè legere & intelligere, eratq; acceptio quædam Cabaliſtica, quam ſacerdotes ſcire tenebantur, & plebeiis hominibus explanare. Cùm verò temporum ſucceſſu, demerentibus eorum peccatis, multæ irruerent tribulationes, & paſſim per orbem diſpergerentur, doctiq; imminuerentur, coacti ſunt multa calamo excipere, quæ priùs ſolùm traditione ſciebantur.*

Vides, Munſterum hic non ignoraſſe, Volumen illud Legis in Synagoga Judæorum ſine punctis extare; nec tamen inde concluſiſſe, Puncta à Maſorethis Tiberienſibus demùm inventa: ſed antea jam inde à temporibus Eſræ extitiſſe, in communi autem uſu non uſitata fuiſſe, &c. Marcus Marinus in Præfatione Lexici ſui: *Certum eſt quidem, ut omnes ferè volunt, Biblia Sacra Punctis deſtituta data fuiſſe Moſi à Deo. ſed nequaquam illud ex eo ſequitur, quòd tum temporis non extiterint Puncta Vocalia; quaſi tunc etiam literæ primùm inventæ fuerint; cum tamen credendum ſit, multas antiquitatum Scripturas apud Hebræos conſervari, à diebus Abraham, ne ulteriùs dicam, uſq; ad Moſen. Pari ratione & nunc poſſemus arguere, Puncta vocalia non inveniri, quia Volumen Legis, quo Judæi in Synagogis utuntur, Punctis careat, quæ etiam nefas eſſet illi addere. Aſt aliâ de causâ Biblicus textus punctis non diſtinguitur, nempe, ut ait quidam R. Menachem, ob varios intelligendi modos quos habet, cum eſt Punctis deſtitutus, & eos ſtatim amitteres, ſi Puncta vocalia velles addere. Hoc fuſius declaratur à R. Bechajo, &c.*

Caput V.

De Altero Teſtimonio muto; Silentio nimirum de Punctis, in Allegoricis & Cabaliſticis Judæorum ſcriptis.

Alterum Teſtimonium Mutum, quod Elias & ejus aſſeclæ pro Punctorum Novitate adducunt, petitum eſt ab alto Silentio de Punctis vocalibus & Accentibus, in Antiquioribus Judæorum ſcriptis, Allegoricis, Cabaliſticis, & Talmudicis. Huc autem redit ſumma Argumenti hinc deducti:

Nulla fit ab antiquioribus Hebræorum interpretibus, quales ſunt Darſchanim, Cabaliſtæ, & Talmudici, Punctorum & Accentuum mentio: Nullas etiam illi omnes, ſive primi & antiquiſſimi, ſive recentiores, exſtruunt Allegoricas aut myſticas interpretationes, ex Punctis vocalibus aut Accentibus, ſicut ex conſonis, imò altum de iſtis apud eos eſt ſilentium.

Ergo illorum tempore figuræ & notæ iſtæ nondum fuerunt, & per conſequens inventæ atque excogitatæ demùm ſunt à Maſorethis Tiberienſibus circa vel poſt annum à Chriſto nato 500.

Conſequentiæ ratio eſt: quia vix fieri potuiſſet, ſi Puncta & Accentus habuiſſent, quin illorum, vel ſemel, mentionem feciſſent: Et, ſi habuiſſent hæc Puncta, eaq; vel à Moſe, vel à Deo, vel ab Eſra, credidiſſent, procul dubio etiam in illis myſteria quæſiviſſent; quia nec ratio hic, nec ingenium ipſis defuiſſet. Nam cur non æquè benè ex Punctis, atque ex Literis, & debuiſſent, & potuiſſent, λεπτολογίας & ſubtiles ejuſmodi nugas excogitare, ſi utraque ejuſdem eſſe originis perſuaſi fuiſſent?

℞ *Primò* In hoc Argumento negari poteſt Conſequentia. Quidni enim 1. fieri potuiſſet, ut & Puncta extarent, & tamen nullam illorum mentionem facerent? Quot recentiores extant Commentatores Bibliorum, qui diu poſt Maſoretharum ſæculum vixerunt, qui nullam, in magnis etiam & multis voluminibus, ullius vocalis mentionem

mentionem faciunt, maximè *Darſchanim* & Myſtici? Quare? quia genus ipſorum ſcribendi & commentandi hoc non exigit. Alſchech, Abarbenel, recentiſsimi ſcriptores, perrarò aut vix unquam mentionem Punctorum faciunt. Sic plurimi alij. Nempe vel profundiores ſectantur iſti ſenſus, vel liberum & vagum ſequuntur ſcribendi genus, quod vel iſtas minutias non admittit, vel intra has anguſtias ſe includi non patitur. 2. Quòd in figuris punctorum non tanta, quanta in literis, quæſiverint myſteria, inde quoque provenire poſsit; quòd Literas crediderint immediatè à Deo promanaſſe, & digito ipſius conſecratas, Puncta verò non item: ſed ab Eſra demum inventa. Adde quod ne quidem hoc fortaſsè univerſaliter verum. 3. Si non etiam per Punctorum inverſionem, tranſpoſitionem, & permutationem multiplicem, myſteria quæſiverint & venati ſint, ejus rei manifeſta poteſt dari cauſa: quia vox nudis literis ſcripta eſt inſtar materiæ, quæ ad varias formas recipiendas eſt apta, neque adhuc plenè & perfectè in ſua quidditate; Puncta & Accentus, rationem habent formæ, ſpiritus & animæ: unde vox punctata eſt in plenitudine & perfectione ſua, ac proinde ſine piaculo non poteſt ampliùs immutari. Hinc dixit ſuprà R. Bechaj; *Vocem non punctatam varios admittere ſenſus: punctatam autem nonniſi unum:* & R. Aſarias; *Si punctorum & accentuum terminis verba Legis includantur, omnes reliquos ſenſus tolli:* Legis punctatæ ea eſt ſanctitas, ut nihil ampliùs ei addi aut demi queat.

Secundò Negatur etiam Antecedens: Contrarium enim ſatis evidenter probari poteſt ex libris tùm Cabaliſticis, tùm Talmudicis: quod diſtinctè de utriſque faciemus:

Et hoc quidem capite de CABALISTIS agemus. Hos ergo quod attinet, multiplicem omnino invenimus, cùm in antiquioribus, tùm in recentioribus illorum Scriptoribus, Punctorum & Accentuum mentionem, non ſolùm in genere, ſed etiam nominatim & in ſpecie. Loca inſignia Antiquiorum Cabaliſtarum extant in libris, Bahir, Zohar, & Tikkunim ſive Elucidationibus ſuper librum Zohar, quorum multa producta ſunt in Tiberiade Parentis mei cap. 9: unde illa repetere poterit benevolus Lector.

Illa, & ſimilia loca, ſi Eliæ nota fuiſſent, aliter fortaſsis ſenſiſſet, neque novâ ſuâ opinione tot diſputationibus anſam præbuiſſet. Ita enim ſcribit ipſemet: ומי שיוכיחני בהוכחה ברורה שרעתי זא״ת

G 3

נגד דעת רז״ל ונגד הקבלה האמתית שבספר הזוהר יבטל דעתי מפני דעתו h. e. *Si quis autem convincere poterit me probationibus clarioribus, meam ſententiam contrariam eſſe ſententiæ Rabbinorum, & contra veritatem Kabbalæ, quæ eſt in libro Zohar, nulla ac irrita erit ſententia mea præ ſententia illius.* Sic Elias. Atqui contraria eſt ipſius ſententia ſententiæ Rabbinorum, menti Zohar, & doctrinæ in illo contentæ. Ergo ipſius Eliæ judicio tollenda, abolenda, ac pro nulla habenda ejus ſententia. Et non dubitant Hebræi, qui poſt ipſum ſcripſerunt, quin aliter ſenſurus fuiſſet, ſi hæc & ſimilia ei innotuiſſent.

Hinc ſcribit R. Aſarias in Meor Enajim cap. 59. הרי כי דעת הבחור הנזכר מבואר הביטול יען יש לנו ידים מוכיחות שהנקודות והטעמים למיניהם נמצאו לא בלבד קודם חתימת הגמרא אבל גם לפני חבור המשנה והוא עצמו אם עמנו עמד היום אמור יאמר נצחתי hoc eſt, *Ecce quòd ſententia Eliæ commemorata manifeſtè falſa ſit, eò quòd expreſſa habemus loca, quæ arguunt, Puncta & Accentus, ſecundum ſpecies ſuas, extitiſſe non ſolùm ante obſignationem Gemaræ, ſed etiam ante compoſitionem Miſchnæ. Et ſi ipſe hodiè nobiſcum eſſet, procul dubio dicendo diceret, Victus ſum* (manus daret).

Et R. Samuel Arcuvolti in ערוגת הבשם cap. 26. כל זאת באתהו בהעלם ממנו מה שאמרו ז״ל בזהר ובו׳ גם שמש לא ראה בהקדמת ספר התקונים hoc eſt, *Totum hoc obvenit ei* (Eliæ), *quòd abſcondita fuerint ipſi ea, quæ de Punctis ſcripta ſunt in libro Zohar, &c. Etiam Solem non vidit in præfatione libri Tikkunim.* Idem aliorum de Elia eſt judicium.

Et ſanè non credibile eſt, Eliam libros Zohar & Bahir vidiſſe & legiſſe: Ita enim vel aliter ſenſiſſet, vel ad hæc teſtimonia reſpondiſſet.

Sed plura ex Cabaliſtis & Medraſchim recentioribus afferri poſſunt, ex quibus apparet, nec ignota ipſis fuiſſe Puncta, neque tam nova ac recentia ab ipſis habita, nec myſteriis vacua. Proferemus, quæ nunc ad manus ſunt, & quidem eo ordine, quo ſe nobis offerent: plura fortaſsis occurrent cum tempore vel nobis vel aliis. Hactenus enim nec de conquirendis, nec de legendis illis libris magnopere ſolliciti fuimus.

Aben Eſra in Præfatione Rhythmicâ, Bibliis præfixâ, adducit ex Medraſchim vel Cabaliſtis, procul dubio non recentibus, ſed antiquis, expoſitionem quandam, quâ dicunt, quod ſeptem primæ voces in

ces in primo libro & capite Geneſeos, reſpondeant ſeptem Regibus vocalibus, his verbis: הַפְּלוֹת שֶׁבַע כְּשִׁבְעָה מְלָכִים או כשבעה ככבי לכת *Et voces ſeptem* (in primo verſu Gen.) *reſpondent 7. Regibus* (vocalibus), *aut ſeptem Planetis.*

Ramban, ſive R. Moſes bar Nachman (qui vixit circa annum Chriſti 1200.) in Commentario ſuper librum Jezirah fol. 61. edit. Mantuanæ, ſcribit; *In tribus his literis gutturalibus* ה, ח, ע, *nullibi reperitur Dageſch, in univerſa Scriptura,* כַּאֲשֶׁר חִפַּשְׂנוּ ודקדקנו בכל סִפְרֵי בָבֶל ובכל סִפְרֵי יְרוּשָׁלַיִם ולא בסֵפֶר הִלְלִיא *prout deprehendimus ex accurata perquiſitione & perluſtratione, in omnibus libris Babyloniæ, & Hieroſolymæ, neque etiam in libro Hilleliano. Sed in* א *invenimus Dageſch in tribus locis, Levit. 23. 17. in voce* תָּבִיאּוּ, *Gen. 43. 26. & Eſræ 8. v. 18. in voce* וַיָּבִיאּוּ, *in quibus locis Aleph eſt cum Dageſ,* וכל זה נודע הַטַּעַם בְּסוד הַקַּבָּלָה *quorum omnium ratio nota eſt in Arcanis Cabalæ:* וּכְבָר חִבֵּר עַל זֶה הַסּוד ספר הַנִּיקּוּד הַגָּדוֹל אֲשֶׁר חִבְּרוֹ רַב אַשִׁי בְּבָבֶל והוא נִמְצָא הַיּוֹם בִּישִׁיבָתֵנוּ *Et de his Arcanis compoſitus eſt Liber punctationis maximus, quem compoſuit Raf Aſſe in Babylonia, qui etiamnum hodie reperitur in Academia noſtra.* Locus non oſcitanter prætereundus. Ex eo enim colligitur, libros illos Hieroſolymitanos, Babylonicos, & Hillelianum codicem, Punctatos fuiſſe: rationem anomalarum & inſolentium punctationum tradi in Cabalâ: de his punctationis myſteriis compoſitum eſſe librum antiquum à Raf Aſſe in Babylonia. Raf Aſſe autem vixit circa annum Chriſti 360. ad 400.

Similiter etiam facit mentionem cujuſdam סֵפֶר הַנִּקּוּד *Libri De Punctatione,* R. Jehudah Muſcatus in Comm. Coſri par. 4. fol. 230. col. 4. ejuſque authorem dicit eſſe ר׳ אַהֲרֹן הַמְּקוּבָּל הַגָּדוֹל רֹאשׁ יְשִׁיבַת בָּבֶל *R. Aharonem, Cabaliſtam maximum, capus Academiæ Babelis.* Ex eo citat ſequentia verba: סֵפֶר וּסִפּוּר וְסֵפֶר בְּעֶצֶם הַשֵּׁם יתב אֵין שׁוּם אָדָם יָכוֹל בְּכָל יְכוּלְתּוֹ לַחֲשׁוֹב בְּמַחֲשָׁב אֲמִתִּי הֵיאַךְ תּוֹנְחוּ בְּחִקּוֹ וּבְעַצְמוֹ, לָכֵן מֵאֵת הַסְּגוּלָה הַמְּסוּגֶלֶת אֶצְלוֹ קָמוּץ פִּיךָ מִלְּדַבֵּר וְעַל זֶה הַסּוֹד הַנִּפְלָא נְקוּדַת מִלַּת אֶחָד שֶׁהִיא בְּפָסוּק שְׁמַע יִשְׂרָאֵל ה אֱלֹהֵינוּ ה׳ אֶחָד בִּסְגוֹל וְקָמֵץ כַּאֲשֶׁר נִמְצָא בְּסֵפֶר מְדוּיָּק יְרוּשַׁלְמִי, *hoc eſt,* ספר וספור וספר (de quibus in libro Jezirah ſtatim ab initio) *nemo hominum ullis ſuis viribus cogitando aſſequi revera poteſt, quomodo inſint natura & eſſentia Dei. Idcircò de hac proprietate Ipſi propriâ cave loqui præſumas. Et propter hoc admirandum myſterium punctata*

eſt vox

eſt vox אחד Deut.6. 4. *cum Sagol & Kametz, prout invenitur in libro correcto Hieroſolymitano.*

Rabbi Joſeph del Medico, Cretenſis, in libro נובלות חכמה fol.195. col. 2. itidem meminit libri cujuſdam Cabaliſtici antiqui manuſcripti, cui titulus, סוד דרכי הנקוד והצירוף ושאר סודות נפלאות *Secretum viarum punctationis, & variæ combinationis, aliaq; ſecreta admiranda.*

In libro celebri Cabaliſtico מערכת האלהות, in capite מערכת השמות *De Nominibus Divinis*, ex duobus antiquiſsimis libris Cabaliſticis אידרא, & צניעותא adducitur fol.25. col. 2. שהאותיות באו מספירת הבינה והנקודות מהחכמה והטעמים מהכתר *quòd Literæ proveniant ex Numeratione Cabaliſtica, quæ vocatur* בינה Binah; *Puncta, ex ea quæ dicitur* חכמה Chochmah; *& Accentus ex* כתר Keſer. Unde apparet, horum librorum Authores eandem antiquitatem atque originem adſcripſiſſe Literis, Punctis & Accentibus. Conſulatur etiam illius libri Commentator, R. Jehudah Chaijath, & plura hujus generis reperiet curioſus Lector.

In *Aſis rimmonim* cap.8.fol.19. col.2. & fol.20.1. והרי אמרו טעמים מכתר, נקודות מחכמה, תגין מבינה, אותיות מז׳ ספירות הבנין. והם אמרו טעמים רחמים גמורים נקודות דינין גמורים, תגין רחמים פשוטים, אותיות דינין ממוזגים וכו׳ *Ecce dixerunt, vel dicunt; Accentus ſunt ex* כתר Keſer: *Puncta ex* חכמה Chochmah: *Apices literarum ex* בינה Binah: *Literæ ex ſeptem numerationibus ædificii: Iidem dixerunt; Accentus ſunt Miſericordiæ perfectæ: Puncta ſunt judicia perfecta: Apices literarum ſunt miſericordia ſimplex: Literæ, judicia mixta, &c.*

Ibidem cap.31. inter alia: ומקור אצילות הנקודות מחכמה ולא מצד בחינותיה החצונות המתפשטות למטה כי משם שרש האותיות אלא הנקודות הן מצד בחינתה המתקרבת בכתר בסוד אויר והנקודות נשמה לאותיות כנודע hoc eſt, *Et ſcaturigo emanationis Punctorum eſt ex* חכמה Chochmah, *non tamen ratione notionum ejus (ſc.* חכמה*) exteriorum, quæ ſe infrà extendunt (inde enim eſt radix literarum): ſed Puncta ſunt ex ea parte notionis ejus, quà conjungitur cum* כתר *per ſecretum aeris (vel ſpatii) Et Puncta ſunt Literis inſtar animæ.* Et mox: והטעמים מקור אצילותן מן הכתר ממש. והם ענפים מתפשטים מבחינת אויר הכתר הנתפס בבחינתו המתאחדת בחכמה והם נשמה לנקודות. נמצאו אתון נקודי וטעמי בסוד נפש רוח ונשמה

וּנְשָׁמָה לְסִפּוּרֵי הַמִּקְרָאוֹת הֵן הֵן גּוּפֵי תּוֹרָה hoc eſt, *Et ſcaturigo emanationis Accentuum.eſt ex ipſo* כתר Keſer (ramo arboris Cabaliſticæ): *ſuntq; rami diffuſi ex notione Aeris ipſius* Keſer, *qui in ea ejus parte comprehenditur,quâ conjungitur cum* Chochma. *Et hi ſunt anima Punctorum. Unde tale eſt myſterium Literarum, Punctorum, & Accentuum, quale eſt Anima, Spiritus, & Flatus*, (ſeu Animæ rationalis), &c. Et iterum, poſteaquam de צירופים hoc eſt, variis ac multiplicibus literarum combinationibus Cabaliſticis egiſſet, ſcribit: וּכְמוֹ שֶׁיִּתְרַבּוּ חִלּוּפֵי הַצִּירוּפִים מִצַּד חִלּוּף קְדִימַת הָאוֹתִיּוֹת זוֹ עַל זוֹ כֵּן יִתְרַבֶּה מִנְיָנָם מִצַּד חִלּוּף הַסֵּדֶר אֶל הַנְּקוּדוֹת בְּצִירוּף אֶחָד עַצְמוֹ עַד שֶׁיַּעֲלוּ הַצִּירוּפִים לְאֵין תַּכְלִית; hoc eſt, *Et quemadmodum multiplicantur varietates Combinationum reſpectu diſpoſitionis Literarum inter ſe invicem: ita quoq; multiplicatur numerus illarum reſpectu ordinationis ad Puncta, per eandem combinationis rationem, ita ut in infinitum progrediantur Combinationes.* Hæc in libro עסים רמונים, qui compendium eſt libri majoris פרדס רמונים, ubi procul dubio plura in hanc rem facientia occurrent, quæ alii inquirant, qui librum illum habent. Mihi nunc non eſt ad manus.

Similia quædam habet R. Saadias Gáon, qui ante 700. annos vixit, in Commentario ſuper quartum caput libri יצירה *Jetzírah.* Poſteaquam ibi egit, de varia ac multiplici Literarum combinatione ac multiplicatione, & oſtendit, ad quem immenſum numerum iſtiuſmodi multiplicatio per ſex vel ſeptem Literas aſcendat, fol.99. a. ſubjungit; וְזֶה הַחֶשְׁבּוֹן עוֹלֶה כָּךְ בְּלֹא נִיקּוּד אַךְ בְּנִקּוּד אֵין חֵקֶר וְאֵין מִסְפָּר וְאִם נִמְצָא חָכָם וּמוֹנֶה חֶשְׁבּוֹן שֶׁהָיָה עוֹשֶׂה מכ״ב אוֹתִיּוֹת דִּבּוּר אֶחָד וּמְגַלְגְּלוֹ בְּאוֹתִיּוֹתָיו וּבִנְקוּדָיו וכו׳ hoc eſt, *Et talis numerus aſcendit hinc ſine Punctis: cum Punctis verò nulla eſt perveſtigatio, nullusq; numerus. Et ſi eſſet Sapiens, qui ſupputationem inire vellet 22. literarum ſententiæ uni incluſarum, eaſq; per literas & puncta revolveret, &c. inveniret omnes linguas totius terræ, &c.*

Sic in libro קנה בינה *Kené bínah*, qui adſcribitur Kannæ filio Gadur, de ſtirpe & familia R. Nechoniæ ben Hakkánah, varia extant, quæ docent, Cabaliſtas in Punctis etiam myſteria captare & venari. Continet ille liber explicationem Cabaliſticam dicti iſtius Deut.6. שְׁמַע יִשְׂרָאֵל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד, & redduntur rationes Cabaliſticæ ac myſticæ, non ſolùm formæ & figuræ; ſed etiam Punctationis ſingularum literarum fol.31. & 32. quare ש puncta-

tum ſit cum Scheva, מ cum Pathach, י cum Chireck, & ſic conſequenter de reliquis: Accentuationis item; quare vox שמע notata ſit cum accentu Tarcha, ישראל cum Athnach, יהוה cum Maarich, ampliorem etiam horum explicationem alibi promittens, his verbis fol.32.col.2. ועוד יתבארו במקומם בע"ה *Sed ulteriùs hæc* (quæ ſc. hactenus dicta ſunt de Vocalibus, ac myſteriis, latentibus ſub Literis, Punctis, & Accentibus horum verborum) *à me explicabuntur ſuo loco, ſi Deus voluerit*; in explicatione ſc. Pentateuchi ipſius, quam idem author compoſuit. Summa; Totus ille liber eò tendit, ut doceatur, שהפסוק הזה הוא יחוד השם ית' באמת באותיות ובנקודות ובטעמים ובקריאתם ובכתיבתם *Verſum iſtum docere reverà Unitatem Dei in Literis, Punctis, & Accentibus, horumq; tam lectione quam ſcriptione*, uti ſcribitur fol.33. col.2.

In libro Cabaliſtico אגרת הטעמים *Iggeres batteámim*, qui comprehenſus & Commentario illuſtratus in libro שפע טל & de myſteriis nonnullis Cabaliſticis Accentuum agit, inter alia legitur f.54. col.1. ומהכלל העולה מפה שרמזנו כל מי שרוצה לקדש את עצמו ולהיות מהשרידים אשר ה' קורא ולבוא אל הקודש פנימי ולהכנס אל ההיכל שהוא הטרקלין והפרדס צריך להתקין את עצמו לפרוזדור כי היכי דליזל דרגא בתר דרגא מתתא לעילא עד בתראה עילאה קדישא עד הנה מתורצת הקושיא שהיה לנו לשאול ולהקשות מקדמת דנה למה זה ועל מה זה ומה ראו על ככה אנשי כנסת הגדולה מחברי סודות הטעמים להתחיל ולציין הזרקא בתחילה היושב בראשונה על כסא המלכות ולא הציעו בראש טעם אחר כמו יתיב פסיק ודומיהן, ויותר קשה מזה שהיה להם להתחיל בטפחא שהוא הטעם הראשון שבא בתורה תחת תיבת &c. *Ex iis quæ indicavimus, colligitur & concluditur, quòd quicunque vult ſanctificare ſeipſum, & eſſe de reſiduis, quos Dominus vocat, ingredi in ſanctum interius, & in Palatium, quod eſt Triclinium & Paradiſus, debeat ſe præparare ad veſtibulum, ut per gradus aſcendat, ab inferiori ad ſuperiorem, donec perveniat ad coronam ſupremam ſanctam. Et ſic ſolvitur objectio, quæ nobis antea movenda & proponenda erat; Quare, & quam ob rem, quid item viderint Viri Synagogæ magnæ, Authores myſteriorum accentuum, quòd inceperint & in principio ſignârint Sarka, eiq; primum locum aſſignârint, ut ſedeat ſuper ſolio ipſius Malchuth, & non potius alium accentum in principio collocârint, ut. v. g. Jetibh, Peſik, aut ſimilem aliquem. Longè ſanè æquius fuiſſet, ut inciperent a Tiphcha, qui* eſt

eſt Accentus primus in Lege, ſub voce בראשית, *&c.* Author hujus libri eſt incertus: ſed ex ſtylo, materia, & incertitudine authoris, videtur eſſe unus ex antiquioribus. Hic 1. tribuit Originem accentuum Viris Synagogæ magnæ: 2. dicit, quòd accentui Sarkæ primatum ſeu primum inter accentus locum tribuerint, cùm longè ſatius fuiſſet, ut Tiphchæ daretur: 3. aſsignat illi ſedem ipſius Malchuth in Arbore & Emanatione Cabaliſtica: cujus rei rationes poſtea ex Cabala deducit, quas videre poteſt, qui his delectatur, & librum habet.

R. Aſarias in Meor Enájim fol. 42. col. 2. Cabaliſticam adfert rationem, quare litera Jod in Nomine Tetragrammato notetur cum Scheva ſimplici, non cum Chateph pathach, *ut conjunctio ſeu combinatio literarum & punctorum non ulterius, quàm ad numerum 72. aſcenderet.* Et de Accentibus ſcribit idem cap. 59. fol. 180. b. ואמר: כי בראותנו המקובלים. מיחסים גם להם סודות באמור יהכן שנתקבלו מסיני. כי אם היו אחרי כן המצאה: מי משלנו ה׳ יודע מחשבות: אדם אם המה הבל *Et ſanè, cùm videamus, Cabaliſtas attribuere illis* (Accentibus) *quoq; ſecreta vel myſteria, uti viſum, ſequitur, illos eſſe acceptos è monte Sinaj. Nam ſi eſſent nova inventio alicujus è nobis, Deus, qui novit cogitationes hominum, ſcit, annon vanitas eſſet, &c.* Ergo ex ipſius ſententia, in Accentibus quoque quæſiverunt myſteria Cabaliſtæ.

Similes etiam expoſitiones reperias in Commentario R. Bechaj in Legem, & apud alios.

Quin & videas illos *Myſteria* æquè *ex Punctorum*, ac ex Literarum, *Nominibus, Ordine, Situ & Figurâ*, elicere. Hac de re agitur in tertia parte libri גנת אגוז *Ginnas egos*, cujus author R. Joſeph ben Gecatilja, qui ante 200. circiter annos vixit, quiq; Reuchlino magnopere commendatus erat: ſic enim de eo ſcribit lib. 1. Cabalæ ſuæ: *Hactenus quidem rei meæ familiaris penuriam chartaceam, quam cæteris non ſolebam, certè vobis peregrinis planiſſimè aperui: at meâ tamen ſententiâ nemo unquam de iſta ſcripſit arte uſq; dudum artificioſiùs, nemo diſtinctius, nemo lucidius, quàm R. Joſeph bar Abraham Caſtilienſis, civis Salamitanus, tria hujus facultatis volumina ſtudioſè molitus, quibus omnem Cabaliſtarum inſtitutionem fecit clariorem; Primum, de Dictionibus; Secundum de Literis, & Tertium volumen de Punctis. Ejus libri titulus extat* גנת אגוז, *id eſt*, Hortus nucis, *juxta Salomonis Cantica*; In hor-

tum nucis deſcendi, ut viderem amœna virgulta. *Apparet,* Nucem hanc *eſſe ut pomum aureum argenteo retiaculo incluſum, &c.* Hic ergo author inter plurima alia dicit, *quinq; Literarum ordinibus, Palati ſc. Dentium, Linguæ, Labiorum, & Gutturis, reſpondere quinq; Vocales ſonos, & hæc ita inter ſe cohærere, ut nec Literæ ſine vocalibus poßint moveri, nec Vocales ſine literis pronunciari.*

Quinque Vocales præcipuas ponit iſtas, & hoc ordine diſponit; *Cholem, Schureck, Chireck, Tzere, Kametz,* & dicit; כי אלו דחמשה מיני ניקוד המורות לנו סוד הכונות כל העולם בין תכונות היסוד בין תכונות הבנין בין תכונות התנועה כיצד החלם הוא מכון כנגד עולם העליון שהוא עולם השכל והשורק הוא מכון כנגד יסוד העולם האמצעי שהוא עולם החומר · והחירק הוא מכוון כנגד יסוד עולם השפל שהוא עולם ההרכבה · ואלו הן שלש נקודות יחידות פרטיות: וכו׳ · ותדע לך כי אלו ג׳ הנקודות הן היסודות והן מורות תכונת שלשת היסודות שהן עליון תיכון תחתון · ואמנם תכונת צירי הוא המורה בנין גמור מאחר אשר תכונת תנועת צרי בתכונת שתי נקודות מרה שאין כן בג׳ נקודות היסודיות ולפיכך נקראת תנועת צרי בתכונת בנין · וכמו כן תנועת קמץ היא סוד התנועה בענינים שאנו עתידים לבאר בע״ה · ואם כן תדע לך כי כל היסודות שבעולם על יסוד הנקודות הן מיוסדים בין יסוד בין בנין בין תנועה *Iſtæ quinq; ſpecies punctorum docent nos ſecretum diſpoſitionum totius mundi; diſpoſitionem, inquam, tùm fundamenti, tùm ædificii, tum etiam motûs. Quomodo?* Cholem *diſpoſitum eſt ex adverſo* (i.e. reſpondet in ſua diſpoſitione) Mundo ſupremo, *qui eſt Mundus Intelligentiæ;* Schureck *reſpondet in diſpoſitione ſuâ Mundo medio, qui eſt Mundus Materiæ;* Chireck *reſpondet in diſpoſitione ſua Mundo Inferiori, qui eſt Mundus Compoſitionis, &c. Itaque ſcias, quòd iſta tria puncta ſint fundamenta, & doceant diſpoſitionem trium elementorum, Supremi* (quia Cholem eſt ſupra literam) *Medii* (quia Schureck eſt in medio literæ) *Infimi* (quia Chireck eſt infra literam). *Verùm diſpoſitio ipſius* Tzere *docet de Aedificio, quia conſtat ex duobus punctis, quod non contigit in punctis præcedentibus fundamentalibus. & hac de cauſa vocatur Vocalis* Tzere, Diſpoſitio ædificii. *Et ſic Vocalis* Kametz *eſt myſterium ipſius Motus, propter cauſas quas ſum explicaturus. Unde colligere potes, quòd omnia fundamenta quæ ſunt in Mundo, ſint fundata in fundamento Punctorum, &c.*

In ſpecie deinde agit de Vocalibus ſingulis, & earum myſteriis.

Primò

Primò agit de Vocalibus ſimplicibus,quæ nimirum unico conſtant puncto; Cholem ſc. Schureck, & Chireck. Videamus ſtrictim è multis pauca:

De CHOLEM habet tria integra folia, & ſic de eo orditur: *Scito, mi frater, quòd ſupremum omnium Punctorum, & fundamentum ſummum, ſit arcanum Puncti Cholem, quod ſemper reperies ſupra literam. Hoc punctum totum eſt purus putus Intellectus. A prima alphabeti litera, uſq; ad Jod, quæ decima, nullius literæ nomen effertur cum Cholem, præterquàm Jod, quòd ſit decima: Quodvis autem decimum vocatur ſanctum. Præterea jam audiviſti, literam Jod eſſe ſymbolum mundi ſupremi, qui eſt Mundus Intelligentiæ. Jam, his ita poſitis, attende ad motum, qui movet mundum ſupremum, qui eſt ſupra eum: Hinc cognoſces, quòd Punctum Cholem ſit ſanctum ſanctorum; cùm moveat mundum decimum, qui eſt mundus Intelligentiarum, &c. Similiter, ſi attendas, deprehendes, quòd literæ Koph, quæ eſt decima Denarii, moveatur cum Cholem: hinc colliges, quòd Cholem ſit movens decima omnia: Cùm verò omne decimum ſit ſanctum, & movens decima, ſanctum ſanctorum: Neque invenies in toto Alphabetho literam, quæ cum Cholem efferatur præter has duas, &c.*

Cognoſcere etiam debes, quodnam ſit Secretum τȣ̃ *Cholem.* Cholem eſt *Teſtis, qui teſtatur de Deo quòd ſit* הוה והיה ויהיה (Qui eſt, Et fuit, Et erit) *per ſecretum numeri* 78. (Nam חלם in literis continet 78. totidem הוה והיה ויהיה). Hîc obſerva ex numero nominis captari myſterium.

Poſtea venatur myſteria ex tranſpoſitione literarum hujus nominis חלם: *primò* illud *transformat per metatheſin* in מלח, *adducto loco illo Num.*18.19. ברית מלח עולם; *unde elicit, quòd* מלח federis *ſit conſervatio* עולם *mundi: deinde eandem confert vocem cum* חסדו, *& adducit locum Davidis ex Pſ.*136.1. Confitemini Domino, quia bonus, quia in ſæculum חסדו; *notans, quòd ſingulos illius Pſalmi verſus concludat cum Cholem; tùm quòd vox hæc* חסדו *in Cholem deſinat, tùm quòd vox* חסדו *in numeris cum* חלם *congruat, & quoque* 78. *conficiat, quod dicit eſſe* סוד חלם *ſecretum ipſius Cholem, &c.*

Poſt multa progreditur ad Chateph-Kametz & Kametz chatuph, vocalem affinem vel analogam τȣ̃ Cholem: ומאחר שעוררנוך על ענין נקודת חלם יש לנו לעוררך עוד בענין שנקודת חלם נסמכת לו על צד הנטייה להברה ולא עצם ההברה ממש ונקוד זה הרכבת שני מיני ניקוד והוא סוד שני נקודות הנקרא שבא קמץ גוטה

להברת חלם לאוו חלם דווקא · תדע לך כי אלו הנקודות הנקראים שבא קמץ סודו כעין החשמל ובאמת כי כעין החשמל ולא עין החשמל כמו שאמרנו נוטה להברת חלם ואיננה חלם וכו׳

Poſteaquam diximus de Puncto Cholem, monendus quoq; nobis es de puncto ei affini, reſpectu inclinationis ad ejus ſonum, non ſoni ipſius revera. Hoc autem Punctum eſt compoſitum ex duabus Punctorum ſpeciebus, & eſt ſecretum duorum punctorum, vocatum Scheva-Kametz, inclinans ad ſonum Cholem, non quod Cholem ſit abſolutè. Scias itaque, quòd hæc duo puncta, quæ vocantur Scheva-Kametz, *ſecretum ſint illius apud Ezech. 1. verſu 4.* כעין החשמל *Sicut color Chaſchmal; veriſſimè!* ſicut color Chaſchmal; *non,* Color Chaſchmal, *ſicut diximus, quòd declinet ad ſonum Cholem, non, quòd ſit Cholem, &c.* Poſtea prolixè comparationem hanc deducit, &c.

De Schureck & Kibbutz hæc, è multis, habet: *Scito, quòd punctum Schureck ſit in medio literæ, & ſymbolum ſit elementi mundi medii, qui perficit mundum materialem, mundi ſc. ſphærarum, &c.* Et mox: *Ex his igitur quæ dicta ſunt, habes teſtimonium clarum, Punctum hoc medium appellari* שרק, *propterea quòd ſit* קשר שש *vinculum ſex extremitatum, quæ determinantur in Sphæra, cujus fundamentum eſt Schureck* (Nota, hîc ex שרק per tranſpoſitionem literarum fieri קשר, & literam ו Vau, cui Schureck inſcribitur, eſſe Senarium. Ideo autem dicit eſſe קשר Vinculum, quòd mundus ſphærarum ſit medius inter ſuperiorem & inferiorem, &c.) Item: *Nunquid vides etiam, Schureck quandoque notari cum tribus punctis, uno ſupra alterum poſito, quo denotatur, quòd quaſi ſuſpenſum ſit inter ſuperiora & inferiora: Et cùm medium ſit, reperitur nonnunquam cum puncto unico in medio, nonnunquam cum tribus, eo quòd colligatum ſit ipſi Cholem ſupernè &* ־ִ *Chireck infernè. Sciendum tibi etiam, quòd Schureck cum tribus punctis inclinet quoad figuram ad Vau, ſicq; Schureck denotat Sex, ſi intelligas myſterium ſenarii. Hinc reperies punctum Schureck unicum perpetuo in medio literæ Vau, quòd ſit myſterium Senarii, &c. Mox etiam monet, vocem* שרק *facere in numeris 600.* שש (Sex) *etiam 600.* Item *quod hæc vox* שרק *per* צירוף *ſive variam combinationem literarum ſexies poßit tranſponi & transformari; ut,* שרק, שקר, רשק, קשר, קרש, *&c.*

De Chireck; *Punctum hoc, quod vocatur Chireck, eſt nota fundamenti mundi inferioris: etenim ſicuti Chireck legitur infimum trium punctorum: ſic mundus inferior eſt infimus trium mundorum. Et ſcito, quòd hoc*

hoc Punctum חרק Chireck *ſemper ſit myſterium inveſtigationis: & per myſterium puncti hujus nos verſamur in mundo hoc inferiori. Annon animadvertis mi frater, quòd* קרח (Korach, ex חרק per tranſpoſitionem) *ſit infrà, ſicut dicitur*; Et deglutivit eos & קרח Korach, Numer.26.10. *Scito etiam,* חִרק לְעוֹלָם שַׁח כי *quòd* חרק (Chireck) *ſemper ſit* שַׁח *humile, & in imo ſedeat* (Nota, quomodo ex voce חרק deducat שח humile; חרק in numeris eſt 308. totidem שח) *Obſerva quoq́, cùm dicitur*; Faciens mirabilia עַד אין חֵקֶר abſque inveſtigatione, Jobi 9. v.10. *perinde eſſe, ac ſi diceret*; עַד תכלית הַחקִירָה הַמְּעוּטָה *uſq́, ad finem inveſtigationis minimæ, quæ infra eſt.* Attende etiam, cùm dicitur; מֵרָחֹק *A`longinquo Dominus apparuit mihi*, Jerem.31.6. quòd per חֲקִירָה inveſtigationem, quæ fit per vias ſeu modos τῶ חרק *Chireck, ingrediamur ad intelligibilia, & videamus Deum Benedictum, &c.* (Nota רחק per tranſpoſitionem ex חרק), &c. Item de differentia præeminentiæ & præſtantiæ horum trium punctorum, ſcribit: *Dignitas & præſtantia τῶ Chireck, non eſt tanta, quanta τῶ Schureck; nec dignitas τῶ Schureck, tanta, quanta τῶ Cholem: hoc enim eſt ſupra omnia: Neq́, etiam poſſumus diſcernere inter ſe hæc puncta, niſi mediantibus literis ſive conſonis: itaque ex apprehenſione iſtorum punctorum diſcito judicare de apprehenſione Dei Opt. Max. Quod ſi enim non poſſumus apprehendere aut dignoſcere iſta puncta, quæ tamen oculis conſpiciuntur, niſi mediante figurâ aliâ; quanto minus poterimus apprehendere Eum, quem nulla creatura vidit unquam, aut videre poteſt, quiq́, non eſt noſtræ naturæ, &c.*

Vocales compoſitas facit tres, quæ nimirum pluribus, quàm uno, conſtant puncto; *Tzere, Segol, Scheva*; quas dicit reſpondere ædificio trium mundorum.

TZERE, dicit, *reſpondet ædificio mundi ſuperioris: ædificium enim mundi ſuperioris eſt ædificium ſimplex, duarum nimirum rerum, Innovationis ſc. & Formæ. Ad hoc denotandum, Tzere notatur cum duobus punctis rectis juxta ſe invicem poſitis, non verò unum ſupra alterum: nulla enim hîc eſt compoſitio, nihilq́, ad compoſitionem inclinans, ſed ædificium ſimplex. Nunquid vides, quòd Tzere etiam cum duobus punctis fundamenti quaſi rationem habeat; quòd iſta puncta ſint ſimplicia. Et ſi conſideraveris myſterium* א, *invenies quod ſit* אש Ignis, *reſpectu nimirum Elementi Ignis, hæcq́, res eſt præſtantiſſima & profundiſſima, &c.*

SÆGOL *reſpondet ædificio Mundi medii, cujus rei teſtes clariſſimi ſunt*

ſunt Figura & Nomen ejus; Mundi, inquam, Sphærarum. Quemadmodum enim omnis Sphæra eſt rotunda, ſic nomen hoc סֵגוֹל *ſignificat* Rotundum, *quaſi* סְגַלְגַּל *quo Rabbini noſtri pro* Rotundo, Orbiculari *utuntur: Et quemadmodum figura Sphæræ eſt orbicularis: ſic figura τοῦ Segol eſt orbicularis, ita ut omnia hîc teſtentur de Mundo ſphærico, &c. Puncta Segol ſunt tria. ſicut nullus orbis eſt ſine his tribus proprietatibus, longitudine, latitudine, & profunditate: Sic omnis ſphæra habet ſupremum, medium, & infimum, &c. Sed & ipſæ literæ Nominis hujus puncti teſtantur de Diſpoſitione Sphæræ: Qualibet Sphæra habet* ס״ו *66. partes, & ex iſtis* ס״ו *66. partibus exſtruuntur* ג״ל *33. ædificia, quia ex binis conſtruitur ædificium: & hinc exſurgit nomen* סֵגוֹל*: quia eſt myſterium* ס״ו ג״ל*. Sic itaque Segol teſtatur de partibus ſphæræ, & domibus ejus. Mox etiam myſterium ponit in toto numero hujus nominis* סֵגוֹל*, qui facit 99. &c.*

De Scheva dicit, *illud reſpondere Mundo inferiori, qui eſt Mundus Compoſitionis. Quemadmodum itaq; Mundus hîc inferior nec ſubſiſtit nec regitur à ſeipſo, ſed movetur & ſubſiſtit virtute cæterorum Mundorum ſuperiorum: ſic Scheva quoque non movetur à ſeipſo, niſi illud reliqua puncta moveant, vel antecedentia, vel conſequentia, &c. Et quandoquidem pronunciatio ipſius Scheva eſt rapidiſſima, propter puncta illud moventia, motumq; ejus cogentia; idcirco motus ejus eſt continuus, & quòd compoſitiones ejus ſint velociſſimæ, & momento tranſeant, &c.*

Aliquando Scheva conjungitur cum Segol ֱ*, ut in voce* בְּאֵרוֹת*; ſicuti mundus inferior avellitur ad medium: ſed neutrum reliquorum punctorum conjungitur cum Tzere: quia mundus ſuperior eſt abſtractus à reliquis mundis, &c.*

Hinc progreditur ad conſiderationem *Pathach* & *Kametz*, quas dicit eſſe Secretum vel myſterium *Motûs mundi*: Tria enim prima puncta unica, *Cholem*, *Schureck*, *Chireck*, habere rationem *fundamenti*: Tria altera, *Tzere*, *Segol*, *Scheva*, habere rationem *Aedificii*: Duo hæc, *Pathach* & *Kametz*, habere rationem motûs, &c. Pathach ſcribit denotare *Apertionem* ſeu principium motûs: פתח Pathach enim ſignificat Aperire: *Kametz* concluſionem ſeu finem motûs; קָמַץ *Kamatz* enim ſignificat *Conſtringere*, *Concludere*, &c. Rationem etiam reddit, quare Pathach conſtet ex ſimplici lineâ rectâ; Kametz verò ex linea recta cum puncto. Sed deſiſto, ne his tædioſum reddam lectorem. Qui volet, ipſemet hunc & alios authores conſulat & inquirat. Nos ex plurimis paucisſima hi

ma hi

·ina in Lectoris gratiam delibare voluimus, ad guſtum aliquem ei præbendum.

His de rebus agere quoque videtur ספר התמונה *Sepher hattemúnah*, uti colligere eſt ex eo, quod R. Jekutiel ſcribit in libro לוית חן *Lijjas chen* cap. 2. in quo agit de Literis & Vocalibus. ודע שיש טעמים נגלים ונסתרים בשמות האותיות וסדרן וצורתן וכן בתנועות ואף שהטעמים מתוקים מדבש ונופת צופים ורובם הם דברים עתיקים וסודות עמוקים יורדי אל אבני בור החכמה הנעלמת כאשר גלוי ומפורסם ליודעי בינה בספר התמונה ובספרים אחרים hoc eſt, *Scitò, quòd ſint rationes manifeſtæ & occultæ, de Nominibus, Ordine, & Figurâ literarum & Vocalium, & quòd rationes illæ ſint dulciores melle, & deſtillatione favorum mellis, atque pleræque antiquæ* (per Cabalam traditæ & acceptæ), *myſteriaq́; profunda, deſcendentia ad lapides* (fundum) *Sapientiæ occultæ, quemadmodum declaratum & explicatum eſt ſcientibus intelligentiam in libro* Temúnah, *& in libris aliis, ubi profundè & latè explicant hæc in malis aureis illis* (in libris illis) *quæ tamen neque vident, neque audiunt, neque odorantur, niſi ſingulares & peculiares quidam, quibus Deus indidit Spiritum rectum, & cor mundum, quiq́; ingreſſi ſunt in Paradiſum, atque manu ſuâ acceperunt de fructu via illorum parum balſami & parum mellis.*

Sed & Chriſtiani, notitiâ aliquâ doctrinæ Hebræorum Cabaliſticæ imbuti, horum mentionem faciunt.

Archangelus de Burgo-novo, in explicatione Concluſionum Cabaliſticarum Pici Mirandulæ, ſub finem ferè libri, ſuper hanc Pici Concluſionem; *Per modum ſine punctis legendi in Lege, & modus ſcribendi res Divinas, & Unialis continentia, per indeterminatum ambitum rerum Divinarum nobis oſtenditur*; inter cætera hæc ſcribit; *Literæ Hebraicæ, quæcunq; vel quotcunq; copulantur, mutæ ſunt, & ſine vita aut prolatione, & veluti corporum mortuorum fruſta, & hoc quouſq; apponantur puncta, quibus quodammodò vivunt; & ſi vivunt, proferuntur, vel, motum habent, ut Hebræi dicunt, nec adhuc pleno motu gaudent, niſi Accentus apponantur, qui ſunt tanquam vires operativæ, & motibus, & influxibus ſupernis correſpondentes. Unde, ſi quis Hebræum idioma benè pronuntiare ſciat, ſecundum accentuum rationem, totam cæleſtem & ſupramundanam Harmoniam repræſentat, dum Sacram Scripturam debitâ prolatione in proprio idiomate ſcriptam legit, quod nulli alii literarum contextui contingere videmus. Et hinc ſacrorum eloquiorum, ac Hebræi idio-*

matis dignitatem deprehendere poſſumus, quod in Literis repræſentat omnes compoſitorum partes, in Punctis autem omnes formarum vivificantium modos, in Accentibus verò omnes debitas operationes, ſuis principiis caleſtibus & divinis correſpondentes. Nam ex his non dicam ſpecies tantùm, ſed individua creaturarum producuntur. Tribus igitur characteribus variis eſt inſignita ſacra Biblia, Literis, videlicet, Punctis, & Accentibus, quæ in homine tria repræſentant, Partem ſcilicet Materialem, partem Formalem, id eſt, animam, idq; per Puncta, Unionem cum Deo, idq; per Accentus: nam Accentus uniunt ſententiæ ſententiam. Dicit igitur Concluſio; *quòd Textus Sacræ Scripturæ, ex quo habet præſentare res Divinas, & præſentare non poſſunt, niſi proferantur; & proferri non poſſunt, ſine punctis; Requiritur ergo, ut Textus Legis habeat puncta. Sed quoniam Gloſſatores Legem tantùm exponunt, ideo ſine punctis ipſi gloſſas ſuas notare poſſunt: quia ad ipſos non pertinet, primò præſentare Divina. Dicit ergo;* Per modum legendi ſine punctis (*loquitur de expoſitoribus & gloſſis*) & modus ſcribendi res divinas (*ſcilicet cum punctis, & loquitur de Textu Bibliæ*) & unialis continentia, (*ſicut enim figulus ex eadem maſſa poteſtatem habet unum vas componere in honorem, alterum in contumeliam, illud tribuendo varias formas ita, quòd de ſe eſt indeterminatus ad omnes formas: à ſimili, quando diverſas literas conſonantes habemus, poſſumus eiſdem multigenas vitas & formas, id eſt puncta, addere, &c.* Et mox: *Sicut ergo literæ ſunt materiales compoſitorum partes, ex eis omnibus modis poſſibilibus conjunctis, deprehendere poſſumus numerum rerum creatarum, qui ſupputari poteſt, proferri verò nequaquam, niſi ab eo qui numerat multitudinem ſtellarum, & capillos capitis, & arenam maris, & pluviæ guttas. Ex omnibus enim literarum combinationibus, ſecundum regulas ſecretiorum Theologorum infallibiles, abſque punctorum aliqua immixtione, hic numerus reſultat, videlicet hoc modo* 1124002590827 719680000: *Si verò permixtiones cum punctis adduntur, erit numerus nec expreſſibilis, nec ſupputabilis a nobis, Deo tamen cognitus &c.* Et iterum: *De Punctis vide quæ digeſſi ſuper arte Cabalizandi.*

Idem in Cabaliſtarum Selectioribus [illegible] ciſionibusque dogmatibus, fol. mihi 153. b. *Eſt etiam Apex* [illegible] *& Accentus, quæ duo* (ſcil. Puncta & Accentus) *ſimul cum literis de ſubſtantia [illegible] eloquii ſunt, ut dicunt ſecretiores Theolog.* (id eſt, Cabaliſtæ). *Nam Literæ Legis Corpus faciunt, Puncta animam tribuunt, & mobile reddunt corpus illud: Accentus autem dant Spiritum, vitam cæleſtem, & conſonantiam*

harmonia

harmoniæ cælorum conformem: unde illa tria complent, & perficiunt Legem, ut facientia eam quodam modo vivant.

Hinc etiam ſcribit Cornelius Agrippa de Vanitate ſcientiarum cap. 47. de Cabala: *Alteram verò ejus* (Cabalæ) *ſcientiam vocant de Mercava, quæ eſt de ſublimioribus divinarum, angelicarumq; virtutum, ac ſacrorum nominum & ſignaculorum contemplationibus, quædam quaſi ſymbolica Theologia, in qua Literæ, Numeri, Figuræ, res, & nomina, & elementorum apices, ac lineæ*, Puncta & Accentus, *nomina ſunt profundiſſimarum rerum, & magnorum arcanorum ſignificativa.*

Ex his nunc liquere poteſt, quid Cabaliſtæ de Punctorum origine, antiquitate, & authoritate ſenſerint, & num ita ſit, ut Elias & Elianiſtæ ſcribunt, Cabaliſtas omnes tùm antiquos, tum recentiores, nullas omninò Allegorias, aut myſticas interpretationes extruere ex Punctis vocalibus & Accentibus, ſed altum de iſtis apud eos eſſe ſilentium. Plura ſine dubio inveniet, qui plures habet libros, & plus temporis talibus quærendis impendere volet. Hoc tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, Nullos Hebræorum antiquiùs ſentire de Punctorum Origine, quàm Cabaliſtas. Qui factum, cùm tam multa de Punctis & Accentibus apud Cabaliſtas paſſim occurrant, quòd illorum nullus Tiberienſium horum Inventorum, vel Inventionis tàm recentis meminerit? An nemo illorum ſcivit, quod tamdiu poſt ipſos revelavit Elias?

Sed occurrendum hic quoque adhuc eſt *Exceptionibus* quibuſdam, quas adferunt Antagoniſtæ.

ELIAM quod attinet, vix credo, ſi vel hodiè adhuc viveret, illum contra hæc aliquid excepturum fuiſſe, quem, meo judicio, unus Aben Eſra, ſed malè ab ipſo intellectus, uti ſuprà vidimus, in hanc ſententiam induxit. Nam Zoharis & reliquorum librorum authoritatem vix rejecturus eſſet.

ELIANISTÆ verò varia effugia habent.

1. *In dubium*, dicunt, *meritò vocari poſſe librorum Zohar & Bahir, antiquitatem, ex quibus nempe antiquiſſima proferuntur teſtimonia; eò quòd conſtet, quàm ſint Judæi in propria hiſtoria peregrini, quam antiquitatis rerum ſuarum ignari, quam denique frequentes & pudendi ἀναχρονισμοὶ in ipſorum libris.*

2. *quòd major futura eſſet librorum illorum authoritas, ſi tàm antiqui eſſent, quam Judæi clamant.*

3. quòd fieri poſsit, ut libri iſti ſint ψευδεπίγραφοι, & non genuini illi, qui olim hoc nomine extiterunt, ſed nothi & ſpurii, quales alii quoque circumferuntur.

4. quod, licet genuini ſint, interpolari facilè potuerint, & inter transſcribendum multa iis inferciri. Imò inſulta iſta loca eſſe, vel libros illos eſſe ψευδεπιγράφους recentesq́ꝫ, vel hinc liquere; quòd Accentuum & Punctorum nomina atque appellationes quamplurimas commemoret iſtud Zohar, quorum Nominum ne ullum quidem veſtigium extet in Talmud, quod 400. aut 500. demum annis poſt Zohar conſcriptum. Non enim eſſe probabile, ut in libro antiquiori hæc extent, in recentiori verò tantum de illis ſilentium, cùm tamen occaſio ſæpe illa commemorandi adfuerit, &c. Hæc Revelator Arcani Punctationis.

℟ ad ea 1. Quod controverſiam illam de Antiquitate libri Zohar attinet, rectè illa eſt intelligenda. Movetur enim illa huic libro non ſolùm a Chriſtianis, ſed etiam a Judæis, ut videre eſt in libro Parentis mei de Abbreviaturis, in רשב״י; & tamen nullus Judæus authoritatem libri illius in dubium vocat, uti nec Elias ipſe. Quid itaque? Quæſtio eſt de Scriptore & ut ita dicam Conſarcinatore farraginis Traditionum illo libro contentarum, non de doctrina ipſa, ejuſq́; authore, quem R. Simeonem ben Jochaj eſſe, nullus Hebræorum dubitat, ſaltem majoris partis. Quæritur ergo; An ipſemet doctrinam illam ſuam hoc libro, ſtylo, formaque conſcripſerit? Hîc ajunt quidam; non ipſummet R. Simeonem, ſed ejus filium, horumque diſcipulos, iſta congeſsiſſe & comportaſſe. Quomodo verò? ut ſua propria commenta & ſomnia ſub tanti viri nomine ederent ac venditarent? Nequaquam: ſed ut ea, quæ à Patre & Præceptore audiverant & exceperant, poſteritati conſervarent, & ab interitu vindicarent. Non ſuum autem, ſed R. Simeonis nomen præſcripſerunt, quia ille doctrinæ author erat, & religio eſt Judæis magna, aliena pro ſuis venditare, adeoque vel in unico dicto authoris nomen reticere. Hæc eſt mens Judæorum, qui antiquitatem hujus libri in dubium vocant.

Similis ratio eſt Talmudis ipſius. Quia illud congeſtum eſt & digeſtum; Miſchna quidem à R. Jehuda Sancto, 200. circiter; & Gemara a Raf Aſſe, demum 400. annis poſt Chriſtum; hinc multi putant, Talmud non eſſe antiquius. At verò illi nihil aliud fuerunt, quam collectores & ἐκλογεῖς Veterum Traditionum, ſua tamen quandoque

quandoque etiam addentes, ſed ſub ſuo nomine. Unde qui putat, non antiquiorem doctrinam contineri in Talmud, næ is graviter errat. Annon Chriſtus ipſe in Evangelio diſertè digitum intendit ad Traditiones quaſdam, quæ totidem verbis hodiè in Talmud extant, quod tamen eo tempore nondum fuit? Eadem eſt ratio libri Tanchúmah, Mechilta, & quorundam aliorum.

Neque hoc vel novum, vel Judæorum proprium. Nam & de *Homero* ſcribunt nonnulli, *illum Carmen ſuum non in literis retuliſſe, ſed memoriæ commendatum, ex cantilenis poſtea compoſitum fuiſſe, eamq; ob cauſam multis in locis diſcrepare*, ut Joſephus teſtatur lib. I. contra Apionem, & tamen omne ejus operis artificium, ingenium, omnisque laus Homero adſcribitur. Sic ſcribit Poſtellus in libro de Originibus cap. 22. *Etiam aliqui crediderunt (quibus tamen ipſis non acquieſco facilè) Homerum ipſum olim literis caruiſſe, ſuumq; poema cantando, multos illud docuiſſe: quod multorum auditorum illius memoriâ recuperatum, in tot libros quorundam diligentiâ excreverit; Rhapſodiaq; nomen inde habuerit. Sibi faciunt hujus rei fidem, quòd in illis libris ſunt multa abrupta, aſyndeta, & tam magno viro indigna.*

Placet etiam hic adponere judicium eruditiſsimi Viri Johannis Seldeni, Angli, qui in lib. De Jure Naturali, & Gentium, juxta diſciplinam Hebræorum, ita hac de re ſcribit: *Si cui verò hæc dubium forſan occurrat, Utrum Corpori & Scriptoribus Talmudicis, hujuſmodi in rebus, quatenus Hiſtorica ſunt; id eſt, quatenus in eis pro Jure qualicunque Hebraicis veteribus recognito atq; uſitato traduntur, fides ſit habenda? eò ſc. quod Corpus illud, quâ jam habetur contextum, Scriptoreſq; illi cæteri, ſæculorum ſunt Templi Urbiſq; excidio recentiorum; næ is forſan etiam dubitabit de Juſtiniani ſeu Triboniani fide, dum Modeſtini, Pāpiniani, Florentini, Alpheni, Proculi, Celſi, & ejuſmodi aliorum, qui trecentis aut circiter ſunt Juſtiniano annis vetuſtiores, ſententias atq; ſcita Juris alibi non reperta, nedum quando Leges duodecim Tabularum, quæ plurimis etiam ſæculis hiſce anteverterunt, in Digeſtis, alibíve, enarrat memoratve. Paribus ſane, fidei detrahendæ atque depretiandi, ratio ſequeretur, quoties in Catenarum authoribus, Patrum aliquot priſcorum nomina, quorum opera ac lucubrationes ipſæ alibi non extant, occurrunt; ſeu quoties ſimiliter apud Galenum, Medicorum veterum, veluti Archigenis, Aſclepiadis, Philoxeni, Critonis, Lamponis, aliorumq; ejuſmodi, qui ipſo multo vetuſtiores, alibi non habentur, medicamenta ac opiniones afferuntur. Simile in re Mathe-*

matica dicendum de Euctemonis, Metonis, Calippi, Eudoxi, Attali, aliorumq́; id genus complurium obſervationibus ac ſcitis, quæ a recentioribus, utpote Ariſtotele, Hipparcho, Ptolemæo, Proclo, Pappo, Vitruvio, & aliis ejuſmodi ſolummodo traduntur. Simile item de authoribus priſcorum ſæculorum innumeris, quorum ſive fragmenta, ſive ſenſum, beneficio recentiorum, veluti Athenæi, Laërtii, Stobæi, Strabonis, Plinii, Plutarchi, Scholiaſtarum Græcorum, Agellii etiam & Livii, aliorumq́; aliquot Hiſtoricorum, tantùm debemus. Et rationem dubitandi ſive in Jure, ſive in Theologia, ſive in re Hiſtorica, ſive uſpiam alibi, ex hac ſola cauſa admittere, nihil aliud eſt, quàm univerſæ fermè antiquitati, ipſiq́; hiſtoricæ rerum veritati, perperàm nimis & moroſiùs reluctari. Hæc ille.

Chriſtianos quod attinet, paucos ex illis quoque vidi, qui hujus libri antiquitatem omninò elevent, aut ſaltem rationibus id faciant. Et qui feciſſent, cùm pauciſsimi hactenus fuerint, qui illum vel viderint, vel legerint, vel legere potuerint; contrà, non pauci ſunt, qui eam agnoſcant?

Picus Mirandula in Præfat. in ſuum Heptaplum hunc Simeonem vocat *Simeonem antiquum*; procul dubio non tantùm propter ipſius ſæculum & ætatem, ſed reſpectu ſuorum horum ſcriptorum: *De his item quæ vel Jonathas, vel Onkelos, vel Simeon antiquus Chaldaicè tradiderunt, &c.* Sanè hic Simeonis hujus ſcripta inter antiquiſsima Hebræorum monumenta refert.

Reuchlinus etiam hujus libri Antiquitatem non diſputat in libris ſuis Cabaliſticis.

Archangelus de Burgo-novo in ſua Apologia contra Petrum Garziam f.14. ſcribit: *Et propterea nulla te capiet admiratio, quòd Rabbi Simonis principis Cabaleorum, pariter & divi Dionyſii monumenta, tanto temporis tractu latibulis & tenebrarum caligine abſcondita jacuerunt. Quod ſi Eccleſiaſticas ſimul & Thalmudeorum hiſtorias inſpicias, & Dionyſii ſcripta cum Rabbi Simonis dogmate conferas, plane reperies utrumque coætaneos, & circa ſacratiſsimæ crucis Domini, & Hieroſolymitani excidii tempora floruiſſe: amborum quoque dictata, pari tenore, & ſimili contemplandi lege tractare rerum arcana, ſpiritalemq́; ſacri eloquii tradere intelligentiam. Eorundem etiam ſcripta, æquali fermè annorum ſpatio latitaſſe, & eodem quaſi tempore prodiiſſe in lucem.*

Genebrardus in ſua Chronologia fol. 311. nec libri ζοhar nec authorem R. Simeonem ben Jochaj, in dubium vocat, imò antiquiorem

quiorem eum, quàm Hebræi ipſi, facit. Ponit enim ejus ſæculum 87. annis ante Chriſtum natum. Et tamen Genebrardus iſte Punctorum antiquitatis hoſtis fuit acerrimus. Unde apparet, illum vel parum ſui memorem hæc ſcripſiſſe, vel librum Zohar nunquam vidiſſe, & quid eo contineretur, ignoraſſe. Sic Andreas Maſius, & alii.

Et mirum eſt, hujus libri, & ſimilium antiquitatem in hac cauſa tantopere in controverſiam trahi: in aliis verò quæſtionibus de Religione contra Judæos, ubi veritati teſtimonium perhibent, magna ſæpè cum pompa illos adduci & jactari.

Et certè non valdè novum, ſed benè antiquum eſſe, & circa illa tempora, quibus attribuitur, conſcriptum, arguit tùm Lingua & Idiotiſmus; qui talis, qualis circa tempora Chriſti in uſu, & quidem, quod probè notandum, ubique, per tam vaſtum opus, conformis & ſibi ſimilis, quem nullus Judæorum, inde à 500. 600. & amplius annis, tam conſtanter fingere aut æmulari potuiſſet; Nec novum, vel frivolum, ex ſtylo, de antiquitate alicujus libri judicare: tum Res ipſæ, & Commentandi genus, quæ non ſapiunt novitatem.

Excipit hîc Arcani punctationis Revelator; *Sed quid ego immoror ac laboro in convincenda novitii iſtius Zohar novitate? cùm doctiſſimus Buxtorfius, Punctorum antiquitatis patronus diligentiſſimus* (in Abbreviatura ריב״ש) *illius Zohar authoritatem elevet, & variis argumentis libri illius novitatem arguat. Ut mirum mihi videatur, eum poſtmodum, (quaſi facti eum pœnituerit) in ſua Tiberiade uſum eſſe libri illius authoritate ad probandam punctorum antiquitatem; maximè verò, cùm ea omnia loca, quæ ab eo ibidem proferuntur, deſumpta ſint ex Zohar novo, quod ſecundum ipſum anno Chriſti duntaxat 1603. excuſum eſt Cracoviæ. Cujus novi Zohar fidem & antiquitatem elevat rurſus ipſe Buxtorfius in Bibliotheca ſua Rabbinica in voce* זהר.

Varia hîc ſunt, ad quæ vel ideò diſtinctè & conſideratè reſpondendum, quia Parentem meum attinent.

1. Verum eſt, Parentem meum ibi quædam producere, quæ videntur ſuſpectam reddere poſſe tantam libri antiquitatem, quantam Judæi ei tribuunt; verùm non aſſertivè & definitivè, ſed dubitativè, ut illi facere ſolent, qui quæſtionem aliquam in utramque partem diſputant; aut potiùs ex aliorum ſententia. Unde *primò* hoc pacto concludit; *Dubia itaq; non immeritò eſt apud doctos tanta libri*

libri hujus antiquitas. Dicit argumenta adeſſe, quæ non ſine cauſa doctis viris dubiam reddant ejus antiquitatem, non quòd ipſe dubitet. *Secundò* verò etiam novum argumentum in contrarium profert, pro ejus antiquitate: Pergit enim: *Et tamen, ſi ante quingentos annos primùm natus, vel etiam paulò ſuperiùs, quid authorem ejus permovit, ut à tanta vetuſtate nomen quæreret, & tale quidem, quod a Cabaliſtica doctrina nullam antiquitatis laudem poſſidebat? nam etiamſi per totum Talmud celeberrima hujus Rabbi Simeonis memoria ſit; non tamen ob Cabalam illud eſt, ſed ob deciſiones Juridicas, & ſententias in dubiis quæſtionibus graviſſimè & prudenter latas.* Ad hoc Argumentum nihil reſpondet, neque illud elevat Pater meus: unde apparet, illi non omninò improbatam fuiſſe alteram ſententiam de libri hujus antiquitate; maximè ſi conferantur, quæ in eodem libro, in Recenſione Bibliothecæ Rabbinicæ, de hoc libro ſcribit: & cùm *Tertio* loco etiam ſubjungat; *Qui diligentiùs librum legerunt, dicunt authorem ejus meminiſſe hiſtoriarum quarundam, quæ novitatem ſapiant. Eas recenſere, & in publicum producere, dignum operæ pretium eſſet. Faciat, qui poteſt, & cui libri copia.* Ergo non vult, ſatis probatam eſſe adhuc libri novitatem. Quemnam his verbis indigitet, *Qui diligentiùs librum legerunt,* mihi non conſtat. Ego nullum hactenus Chriſtianum novi, qui diligenter hunc librum legerit, præterquam Poſtellum: ſed is neque hoc ſcripſit, neque cum judicio legit. Privatis puto literis ab Amico tale quid ad ipſum ſcriptum eſſe.

2. Cùm itaque nihil in Abbreviaturis aſſertivè & definitivè, ex ſua ſententia, contra libri hujus Antiquitatem in medium adferat Pater meus, fruſtra inconſtantiæ & pœnitentiæ inſimulatur ab Arcani punctationis Revelatore; fruſtra miratur, cur ejus libri authoritate uſus ſit in Tiberiade ſua, ad probandam punctorum Antiquitatem. Qui enim rem aliquam in utramque partem diſputat, & in medio relinquit, is libertatem ſibi reſervat, poſtmodum in quamcunque vel voluerit, vel conſultiùs per δευτέρας φροντίδας judicaverit, partem propendendi. Adde quòd neque in Tiberiade ex propria ſententia & definitivè illa, ut & quæcunque de illa materia illic diſputavit, propoſuerit Pater meus, ſed ex Hebræorum ſententia. Nam reſponſionem ad primam Eliæ objectionem ſic orditur: *Reſpondent Rabbini ad hanc ejus rationem, &c.* Et poſtquam aliquid de hujus libri antiquitate protuliſſet, ſcribit iterum diſertè: *Ego verò nihil*

nihil hic aſſero, ſed aſſero Hebræorum ſententiam. Quâ fronte itaque inconſtantiæ & pœnitentiæ redarguitur?

3. Quòd verò gravius etiam crimen impingere vult Parenti meo, quaſi pro teſtimoniis ex veteri Zohare, hoc eſt, ex eo qui pro eo venditatur, teſtimonia ex Zohar novo ſuppoſuerit, in eo quàm bonâ fide cum Parente meo egerit, videat: Facit hoc iſtis verbis: *maximè verò cùm ea omnia loca, quæ ab eo* (Buxtorfio) *ibidem* (in Tiberiade) *proferuntur, deſumpta ſint ex Zohar novo, quod ſecundum ipſum anno Chriſti 1603. excuſum eſt Cracoviæ.* Dicit nempe, illum uti authoritate & nomine Zoharis veteris, ſed producta ejus teſtimonia eſſe ex Zohar novo.

Sed pace D. Cappelli aliter ſe res habet: Duo teſtimonia quæ pag. 76. edit. in 4°. habentur, & quædam, quæ habentur pag. 78. deſumpta ſunt, non ex Zohar novo, ſed ex illo, quod habetur pro antiquo. Plura adhuc etiam producere potuiſſet, ſi è re & neceſſarium judicaſſet. Certus ſum, Arcanorum revelatorem, arcanos iſtos libros, quamvis, ipſius judicio, novos, nunquam inſpexiſſe. Et tamen vult myſteria revelare.

4. Denique & illud nimis præcipitanter ſcripſit, quod ad elevandam Parentis mei authoritatem porrò addit; *Cujus novi Zohar fidem & antiquitatem elevat rurſus ipſe Buxtorfius in Bibliotheca ſua, in voce* זהר. Nihil enim quicquam ibi habet Pater meus, quod facere poſſit ad elevandam authoritatem iſtius libri. Dicit: *In eo Medraſch multa de Punctu vocalium & accentuum habentur, quæ ſi eſſent ejus antiquitatis, ut Judæi volunt, multum haberent ponderis.* Quid in his verbis quæſo eſt, quod libri alicujus antiqui authoritatem poſſit elevare? Non dicit, illa non eſſe ejus antiquitatis, ut Judæi volunt; ſed; *Si eſſent, &c.* An hoc eſt elevare? Neque de toto Zohar novo, ſed de Medraſch Schir Haſſchirim tantùm loquitur, ex quo ſolo etiam teſtimonia illa ſunt deſumpta, quamvis verum ſit, in ipſo etiam Zohar talia teſtimonia reperiri. Itaque nihil hactenus, quod cauſſam Antiquitatis punctorum deſtruere, vel adverſarios juvare poſſit, ſcripſit Pater meus.

At, inquit גלי רזיא Arcanorum Revelator; *Eſto, ſint libri illi antiqui: at potuerunt interpolari, potuerunt loca iſta à recentioribus quibuſdam inferciri.*

℞. A poſſe ad eſſe, non valet Conſequentia. Potuerunt enim

etiam non interpolari, potuit nihil iis inferciri, vel ſaltem hoc non potuit. Et in hac materia hoc non factum eſſe, id mihi argumento eſt, quod hujus rei teſtimonia non uniuſmodi, ſed plura, non in uno loco, ſed pluribus, in ipſo etiam Zohar antiquo, non novo, habeantur: nec directè Antiquitatem punctorum adſtruant, ea vel Eſræ, vel Moſi adſcribendo, ſed indirectè, oblique, & incidenter, occaſione datâ. E.G. in Zohar Lev. col. 16. dicitur de Nomine Tetragrammato יהוה, quando vocis אלהים puncta ſubſcripta habet, כתוב רחמים ונקוד אלהים Scriptum eſt miſericordia (hoc eſt Tetragrammaton) & punctatum Elohim, &c. Quæ cauſa hujus interpolationis? *ut iſto obtentu novum hoc punctationis inventum commendatius poſteritati redderet,* inquit noſter Revelator. At quid ipſum ad hoc movere potuit? monſtret, ante Eliam inter Judæos unquam de hac re dubitatum vel diſputatum fuiſſe. Mirum, ni Tiberienſes ſuos iſtam imaginariam farturam feciſſe mox dicat. Nam ipſorum fuiſſet hoc officii, quod recenter excogitarunt, poſteritati hac ratione commendare.

5. ait; *Et certè vel ipſe titulus Novi Zohar, ſatis indicat, nuperum eſſe commentum, ejuſdemq; propemodum farinæ ſcriptum, ut ſunt in Vulgata Bibliorum editione* τὰ παραλειπόμενα *Libri Eſthera, aut Libri Danjelis addititia capita.*

℞ Titulus hic ab editore, non ab authore, huic libro eſt additus: non quòd novum & nuperum cenſuerit commentum; ſed quòd poſt editum Zohar antiquum, iſta demum, quæ in illa editione omiſſa erant & deerant, in antiquo exemplari Manuſcripto invenerit, & de novo reſtituerit. Itaque Titulus hic nihil probat, quin imò negat, dum inquit, *contineri* eo, כְּל: שחסר מזוהר ישן שנדפס מקדמת דנא מסויים מקומו שנמצא מכתיבת יד בצפת תובב *ea quæ deſunt in Zohar antiquo, antea edito, & deſumpta eſſe ex antiquo exemplari Manuſcripto, invento Hieroſolymis, notataq; eſſe ſingula loca, ubi deficiunt.*

6. *Imò verò inſarta eſſe hæc loca, hoc videtur ipſi evincere, quòd in Talmud nulla fiat punctorum expreſſa mentiò, quod tamen multò recentius eſſe ſtatuitur.*

At neque hoc argumentum quicquam probat, uti mox videbimus, ubi & hujus rei cauſam inveſtigabimus.

Mirum verò cùm non tantùm ex Zohar, ſed & ex libro Bahir, qui

qui multo antiquior habetur à Judæis, quàm liber Zohar, teſtimonia prolata ſint à Patre meo, Revelatorem arcanorum non hujus quoq; libri novitatem detexiſſe. Mirũ cùm Eliæ authoritas in hoc argumento tanti ſit apud ipſum ponderis, ut eum pluris hac in cauſa faciendum arbitretur, quàm reliquorum omnium Judæorum contra ſentientium ſuffragia, illum non in amplectenda hujus libri antiquitate ei ſubſcribere, de qua eum ſupra audivimus loquentem.

Adde his omnibus, quòd nos non alia ratione poſſimus Antagoniſtæ Argumento præſenti ſatisfacere. Argumentatur ille pro Punctorum novitate ex eo, quòd nulla ipſorum mentio fiat in libris Cabaliſticis, quòd Cabaliſtæ nec antiquiores, nec recentiores, pro more ſuo, myſteria in illis quærant vel inveniant.

Nos refutamus hoc ex illis libris, qui nobis ſunt ad manus, & quos Judæi pro talibus unanimi conſenſu habent, ſummæ, mediæ, & infimæ ætatis. Cabaliſtarum chorus univerſus quantus quantus Antiquitati punctorum favet. Et cùm hoc non tantùm neget de veteribus, ſed etiam de recentioribus, mirum, illum antiquitatem teſtium diſputare jam velle: Aut, cùm veterum & recentiorum Cabaliſtarum mentionem facit, dicat nobis quæſo, quinam ipſi ſint veteres illi Cabaliſtæ, de quibus hoc negat; & ſi hoc dixerit, porro etiam dicat, unde ipſi conſtet, illos revera veteres eſſe. Quin & oſtendimus, non ſolùm mentionem Punctorum ab illis fieri, ſed punctationem etiam inter myſtica & arcana reponi, ad Dei proprietatem, quam *Chochma* vocant, ipſorum ſcaturiginem referri, myſteria ab illis inde elici & deduci, & ſimilia. An verò probabile eſt illos hoc facturos, ſi tam novitia illa ſciviſſent, vel credidiſſent? an integros hac de re libros conſcripturi? an divinam originem illis tributuri fuiſſent? Et an Judæi ante quingentos, ſexcentos, 700. 800. 900. annos omnes ita ſtupidi, ita rerum ſuarum inſcii fuerunt, ut non ſcire potuerint, quid uno vel altero ſæculo ante ipſos ſit factum. Sed hæc alibi urgebuntur. Monſtret Antagoniſtæ vel unicum Cabaliſtam, ſive antiquum ſive recentem, qui vel minimo indicio ſuæ ſententiæ faveat. Pura, mera & maxima eſt ἀνεβρωσία, dicere, Cabaliſtas Punctorum novitatis eſſe patronos. Si libri & authores, quos habemus ſint recentes, ſaltem doctrina eſt antiquior. Sed ſatis de Cabaliſtis.

Caput VI.

De Tertio Teſtimonio muto, Silentio ſcilicet in Talmudicis Hebræorum ſcriptis, de Punctorum & Accentuum notis, ac figuris.

De Cabaliſtis vidimus. Agendum nunc etiam de Talmudicis & videndum, *An ſatis firmum ab ipſorum authoritate contra Punctorum Antiquitatem ducatur teſtimonium: & an verum ſit, nullam nec expreſſam, nec tacitam, nec generalem, nec ſpecialem, Punctorum & Accentuum mentionem à Talmudicis fieri?*

Negant hoc Punctorum novitatis advocati; & aliquot argumentis hanc ſuam Negativam probant; primò Generali, ſecundò, aliquot magis Specialibus. *Generale* ipſorum argumentum eſt tale:

Nulla neque in Miſchna, neque in Gemara, hoc eſt, in toto Talmud ſit punctorum vocalium mentio: nullius etiam ullius Accentus nomen aut figura exprimitur ullibi.

Ergo Talmudicorum tempore ignotæ adhuc fuêre figuræ Punctorum & Accentuum.

Ratio conſequentiæ eſt, quòd, ſi extitiſſent, utique non omninò reticuiſſent.

℟ *Primò* negatur in hoc argumento Conſequentia, ut ſuprà de Cabaliſtis quoq; vidimus. Etenim alia eſt ratio Talmudis, alia eſt ratio Scriptorum Grammaticorum, & Commentariorum Biblicorum. Talmud potiſsimùm verſatur in explicandis Ritibus & Juribus, unde nemini mirum magnoperè videri debet, ſi ad minutias iſtas explicandas non deſcendat. Mirum'ne cuipiam videri debet, ſi in Corpore Juris, nulla vel Literarum, vel Vocalium, vel Diſtinctionum & Notarum ſcriptoriarum, Abbreviationum, aliarumque ejuſmodi rerum Grammaticarum mentio? An hinc quis firmiter ſatis concludet, nihil horum tùm temporis adhuc extitiſſe?

2. non

2. non ſequitur: In Talmud, ſeu Corpore Talmudico nulla fit mentio Punctorum: Ergo tempore Talmudicorum non extiterunt. Ratio: quia R. Jehuda Hakkadoſch hoc corpus collegit & in illud, quod ipſi videbatur, congeſsit, &c. 3. quæ conſequentia; Talmudici nullam faciunt punctorum mentionem: Ergo Tiberienſes quidam illa excogitarunt, hoc eſt, Utopiani, qui nunquam in rerum natura fuerunt, quorum nullus Hebræus ſcriptor, præter Eliam, mentionem unquam uſpiam fecit. 4. Punctationem hodiernam, quam Maſorethicam vocant, hoc eſt, hanc eandem Sacri codicis lectionem, quam hodie habemus, jam tempore priſcorum Talmudicorum in uſu fuiſſe, hoc argumento ſit; quòd apud Talmudicos nullibi vel unum locum alio ſenſu, quàm noſtra hodierna præ ſe fert punctatio, adductum legamus. Id verò quî fieri potuiſſet, ut non vel ſemel aberrarent, ſi & illi non alios, quàm Codices non punctatos habuerunt, vel punctati codicis gnomone directi fuerunt? In plurimis receſſerunt LXX Græci: Receſſerunt & ſeducti fuerunt, Interpretes Chaldæi, Onkelos, Jonathan: Receſſit doctiſsimus Hieronymus. Qui factum, quòd Talmudici nunquam? An illi doctiores fuerunt his omnibus? An ἀναμάρτητοι? Licet n. non punctata ſint Talmudicorum ſcripta, tamen ex ſenſu, ex antecedentibus & conſeqq. facilè liquet, quomodo legerint, & legi voluerint loca à ſe citata. Et cùm, ut infrà videbimus, diverſas explicationes adferunt; fundamentum tamen ſemper ponunt in מִקְרָא hoc eſt, eâ lectione, quam Puncta hodiè exprimunt.

Secundò negatur Antecedens quoque: Quia verò in eo diverſa componunt & conjungunt, & ſic fallaciam Compoſitionis & Diviſionis committunt, accuratè illud eſt examinandum.

Tria dicunt; *1. Nullam Punctorum & Accentuum in Talmud fieri mentionem in genere.*

2. Nullam ullius Puncti Nomen in Talmud legi.

3. Nullam Accentus aut Puncti ullius figuram in Talmud exprimi.

Videamus de ſingulis: Retogradò verò gradu in excutiendis illis progrediemur, Quæritur itaque,

I. *An omninò certum & exagonium ſit, nullas Accentuum vel Punctorum figuras exprimi in Talmud?*

Elias & Elianiſtæ ſic arbitrantur. Unde probant? Ex Talmudicis codicibus. Quibus? Impreſsis ſuperiore ſæculo Venetiis & Baſileæ, & fortè quibuſdam manuſcriptis, hodie extantibus. An verò hinc ſequitur, omnes veteres Codices Talmudicos ubique terrarum, & omnium ſæculorum, in univerſum, illis caruiſſe? Annon potuerunt illa Scribæ poſteriores, vel ex pigrita, vel negligentiâ, vel etiam ex conſuetudine, aut compendii causâ, omittere? Non improbabile hoc eſſe, vel inde apparet, quòd Hebræi teſtentur, inſigniora & ſelectiora vetera exemplaria manuſcripta Miſchnica, quæ Textum Talmudicum continent, qui ſecundo Chriſti ſæculo conſcriptus vel collectus eſt, & Punctis & Accentibus, notata fuiſſe; ut ſcilicet non minor circa Scriptionem eſſet Legis oralis, quàm Legis ſcriptæ, perfectio, dignitas, & majeſtas.

Ephodeus in Præfatione elegantiſsimâ libro ſuo præfixâ, ubi de Accentibus agit, hac de re ita teſtatur: ודע כי הדרך הזה מהשיר בטעמים הנזכר עם שהיה מיוחד למקרא כבר נהגו בו הקודמים ג״כ במשנה והיו קוראים אותה בקבוצים הנבחרים בטעמים ועל דרך קריאת המקרא לפי שהיא כולה או רבה כללים על התורה שבעל פה ולזה בחרו בם הקריאה העוזרת על השמירה בלבבות , ולזה תמצא כל ספרי המשנה הקדומים כתובים עם הנקוד והטעמים h. e. *Præterea ſcito de modo iſto cantillandi juxta accentus, de quo hactenus dictum, quòd licet proprius ſit Textui Biblico, eo tamen Veteres quoque uſi ſint in Miſchna, eamq; legerint ſcripſerintq;, in ſelectioribus quidem libris & exemplaribus, cum Accentibus, plane ut ipſum Textum Biblicum, idq; ideò, quia Miſchna tota, aut ſaltem magna ex parte, continet doctrinam Legis oralis, unde eam rationem legendi obſervare voluerunt, quæ maxime memoriæ conducit. Hinc invenies omnes libros Miſchnicos antiquos, ſcriptos cum Punctis & Accentibus.* Et Capite nono, ubi de Nominibus Adjectivis, & formâ illa participialium פועל · הולך, dicit, Sapientes Iſraelis, ut differentiam facerent inter Nomina verbalia hujus formæ, & Participia, addidiſſe verbalibus in fine Literam Nun, ut גוזלן חומסן · בועסן. & addit, וכן מצאתים כתובים ומנוקדים במשניות קדומות ועתיקות שהיו אצלי h. e. *Et ſic inveni iſta Nomina ſcripta & punctata* (nempe cum Vau & Cholem) *in antiquiſsimis Miſchnajoth, quas penes me habeo.* Sic cap. 26. וכבר העירני אל כל זה מה שראיתיו בכתבי יד מדויקות ומנוקדות שנכתבו זה שלש מאות שנה בבקיאות חמר hoc eſt,

De his omnibus commonefecit me, quod vidi in Miſchnájoth correctis & punctatis, quæ ſcripta ſunt 300. ab hinc annis in valle Chamar, &c.

Idem teſtatur R. Aſarias in Meor Enajim, cap. 59. fol. 180. col. 2. ואני בשבר הימים אשר עבר זקוק קצת ספרים על ידי ראיתי שני ספרים מהם קדמונים מת״ק שנה עם הנקודות וטעמים מפסיקים, hoc eſt, *Et ego quoque ante aliquot annos, inter libros quoſdam per meas manus tranſeuntes, vidi duo exemplaria Miſchnica, quingentis annis antiquiora, cum punctis & accentibus diſtinguentibus.*

R. Joſeph del Medico, in libro מצרף לחכמה fol. 10. col. 1. וראיתי משניות בבי עם הנגינות ואם בתורה שבע״פ כך כש״כ בתורה שבכתב hoc eſt, *Vidi in Synagogis Iſraeliticis Miſchnajoth cum notis Muſicis* (Accentibus). *Si itaque id obſervatum in Lege Orali, quanto magis id decet in Lege ſcripta?*

Quin & ipſæ Additiones Talmudicæ huic rei teſtimonium perhibent in fine Libri Megillah: היו רגילים לשנות המשניות בזמרה לפי שהיו שונין אותן על פה ועל ידי כך היו נזכרים יותר hoc eſt, *Solebant legere Miſchnájoth ſeu Traditiones Talmudicas cum cantu: oraliter enim illas diſcebant,* (legebant): *& hac ratione melius memoriæ conſuluerunt, vel, tenacius retinuerunt* lecta.

Hinc itaque apparet, non omninò certum eſſe, quod Punctorum novitatis Patroni dicunt, Nullas figuras Punctorum & Accentuum extare in Talmud. Quod ſi in Miſchnajoth hoc uſitatum & uſurpatum fuit, quæ eſt antiquior, quanto magis idem obſervari potuit, ubi neceſsitas poſtulavit, in Gemara? Imò, probabile id eſſe, mox videbimus, ubi eos ipſos locos, quos Elianiſtæ pro ſe proferunt, contra ipſos retorquebimus. An Maſorethæ & Punctatores Tiberienſes poſt-Talmudici iſta quoque antiqua exemplaria Miſchnica Punctis & Accentibus diſtinxerunt? An illi conſuetudinem cantu Miſchnajoth legendi, primi introduxerunt?

II. Quæritur; *An nullum omninò ullius Puncti vel Accentus Nomen in Talmud legatur?*

Dicunt Elianiſtæ, quòd non. Nos non diffitemur, ſed ultrò damus: Sed negamus, inde ſequi, Puncta vel Figuras punctorum eo tempore nondum extitiſſe. Nam 1. fieri poteſt, ut tùm nulla adhuc certa nomina habuerint: ſed excogitata illa demum ſint à Grammaticis, quâ de re alibi in hoc Tractatu plura dicentur.

2. Si

2. Si puncta, ubi neceſsitas poſtulavit, figuris expreſſa fuerint, uti probabile eſt, quid opus fuit ea nominare, vel ulteriùs deſcribere?

III. *An nulla planè Punctorum & Accentuum nec explicita, nec implicita, in Talmud fiat mentio?*

Aſſerit hoc domus Eliæ: Hebræi cæteri contradicunt. Et hanc ſententiam qui tenent, hi aliquot loca in medium proferunt, quibus ſententiam ſuam tuentur, uti videre eſt in Tiberiade Patris mei cap. 9. Quia verò illa in dubium vocant alteri, ulteriùs nobis ſunt examinanda, & ab heterogeneis expoſitionibus vindicanda.

PRIMUS locus, in quo Hebræi volunt Punctorum mentionem fieri, extat in Talmud Hieroſ. Megilla cap. 4. & Babyl. Megillah cap. 1. fol. 3. & Nedarim fol. 37. col. 2. Loca iſta ſunt hic repetenda, & Lectori ob oculos ponenda.

In Talmud Babylonico ſic legitur: מַאי דכתיב וַיִּקְרְאוּ בַסֵּפֶר בתורת האלהים מפורש ושום שכל ויבינו במקרא · ויקראו בספר תורת האלהים זה מקרא : מפורש זה תרגום · ושום שכל אלו הפסוקים : ויבינו במקרא זה פיסוקי טעמים ואמרי לה אלו המסורו׳ שכחום וחזרו ויסדום hoc eſt, *Quid ſibi vult, quòd ſcribitur Nehem. 8. v. 8.* Et legerunt in libro illo, in Lege Dei, explanatè, & appoſuerunt intellectum, & intellexerunt (vel, intelligere fecerunt, intelligibilem reddiderunt) lectionem? *Per hæc verba;* Et legerunt in libro illo, in Lege Dei; *intelligitur Textus Hebræus; per,* Explanatè, *intelligitur Targum ſeu expoſitio Chaldaica: per hæc verba,* Et appoſuerunt intellectum; *Verſus; per,* Et intellexerunt lectionem; *intelliguntur Diſtinctiones Accentuum; Alii verò voluerunt intelligi Maſoras, vel Traditiones. Obliti enim eorum fuerant, ſed tunc reſtaurarunt ea.*

Sic in Talmud Hieroſolymitano: ויקראו בספר בתורת האלהים זה המקרא : מפורש זה תרגום · ושום שכל אלו הטעמים : ויבינו במקרא זה המסורות ויש אומרים אלו ההכריעים ויש אומרים אלו ראשי הפסוקים h. e. Et legerunt in libro illo, in lege Dei; *Hic eſt Textus Hebræus;* Explanatè; *hoc eſt Targum;* Et appoſuerunt intellectum; *Hi ſunt Accentus;* Et intellexerunt lectionem illam ſive Scripturam illam; *Hoc dicitur juxta quoſdam de Maſoreth vel Traditionibus; juxta alios, de Pauſis diſtinguentibus; juxta alios de Principiis verſuum.*

Mentio

Mentio fit in his locis quod ad præſens inſtitutum facit, Accentuum, & Maſoret, vel Maſorarum ſeu Traditionum. Elias & Elianiſtæ volunt hoc intelligi non de Figuris Scripturæ, ſed de poteſtate & ſono vocis expreſſo.

Videamus quomodo Hebræi veteres & recentiores iſtam explicationem intellexerint.

R. Salomonis gloſſa eſt: פְּסוּקֵי טְעָמִים *Pauſationes vel Diſtinctiones accentuum ſunt* פְּסוּקֵי הַנְּגִינוֹת אלו הַנִּקּוּד וְהַטְּעָמִים *Pauſationes modulationum, Punctatio videlicet & Accentus.*

Rabbi Niſsim; פְּסוּקִים *Verſus* hîc ſunt נְקוּדוֹת הַמַּפְסִיקוֹת בֵּין פָּסוּק לְפָסוּק *Puncta diſtinguentia inter verſum unum & alterum. Vocat ea autem Eſras* שׂוּם שֶׂכֶל Appoſitionem intellectus; *quia per illa homo cognoſcit differentias verſuum.* Sic פִּסּוּקֵי טְעָמִים *Pauſationes Accentuum indigitat per* Intellectum ſcripturæ; *quia per Accentus Scriptura melius intelligitur.*

Rabbi Bechaj in Comment. ſuis hinc elicit, Rabbinos ſtatuiſſe שֶׁגַּם הַטְּעָמִים שֶׁבַּתּוֹרָה נִתְּנוּ מִסִּינַי *quòd etiam Accentus Legis dati ſint in monte Sinaj.*

Excipiunt ad hæc quoque Novatores, gloſſatorum horum verba de Sono duntaxat, non de Figura vel Scriptura, intelligenda.

℞ Sed hoc faciunt contra Hebræorum mentem, & futilis tantùm eſt argutia. In Zohar Exodi colum. 368. loco ſuprà cap. 4. allegato explicatur hoc de דִּיוּקְנִין *Iconibus ſive figuris.* Et ne hîc quoque excipiant, intelligi ſimiliter id quod hodiè per דיוקנין figuras ſignificatur, mox ibidem quæritur; Cùm iſtæ דִּיוּקְנִין traditæ ſint Moſi in monte Sinaj, quî fiat, quòd Liber Legis hodiè ſine illis ſcribatur?

R. Aſarias in Meor Enájim par. 3. cap. 59. ſcribit: אֵין סָפֵק כִּי הַלְּשׁוֹנוֹת הָאֵלֶּה שֶׁאָמְרוּ אלו הַטְּעָמִים אלו ההכרעות וּרְאָיוֹתֵיהֶם מַטִּים יוֹתֵר לְהַאֲמִין שֶׁכַּוָּנָתָם ז״ל הִיא עַל צוּרַת הַטְּעָמִים מַמָּשׁ לֹא עַל הַהַכָּרָה לְבַדָּהּ: hoc eſt, *Non dubium eſt, quin locutiones illæ, ubi dicunt,* Iſti ſunt Accentus: Iſtæ ſunt Pauſæ; *& rationes ipſorum, magis inclinent ut credamus, quòd intentio ipſorum fuerit de Figuris accentuum ipſis, & non de ſono duntaxat.*

Ephodeus cap. 5. והמניח והממציא לאלה הטעמים לפי דעת החז״ל הוא עזרא הסופר וסמכו זה לאמרו ושום שכל אמרו ושום שכל אלה הטעמים, ודרש נאה הוא והדבור מסבים לגדר הטעמים כי יתנו שכל באמת בכתוב hoc eſt, *Author verò Accentuum iſtorum, ex ſententiâ Rabbinorum noſtrorum b. m. eſt Eſra Scriba, fundantq́; hanc ſuam ſententiam in eo, quod dicitur Neh. 8.* Et apponendo intellectum: *Dicunt enim*; ושום שכל Et apponendo (appoſuerunt) intellectum, *hoc eſt, Accentus. Elegans expoſitio, & ſermo congruens cum definitione Accentuum! Revera enim addunt intellectum ipſi Scripturæ.* Et hic ergo quoque de Figuris intellexit.

Authoris libri Coſri explicationem mox videbimus quoque.

Sic apparet, quomodo Hebræi hæc loca Talmudica accipiant. Et certè ſi verba Talmudica probè conſiderentur, vix aliter, ſine violenta & manifeſta detorſione, capi poterunt.

Primò enim non ſicco aut levi pede prætereundum, quòd in verbis His Talmudicis non ſimpliciter dicatur, אלו פסקים *Iſtæ ſunt pauſationes, ſive diſtinctiones*; quod omninò ſatis fuiſſet, ſi nudos ſonos intellexiſſent: ſed cum adjectione, אלו פסוקי הטעמים *Iſtæ ſunt Pauſationes Accentuum*, ex quo apparet, illos aliud intellexiſſe per טעמים, & quidem aliquid certi & definiti. Et vox טעם perpetuo & continuo uſu apud Hebræos uſurpatur & intelligitur על רשמים וסימנים *de ſignis atq; figuris ſcriptis*, non de ſonis. Vide Ephod. & infrà cap. 14.

Dicit quidem Revelator; *Vocem* טעם *accipi poſſe pro* Re *&* Rei ſigno: *& Hîc intelligi de* Re, *non de* Signo.

Ego verò dico, in ipſius cerebro ita poſſe accipi: ſed non in libris Hebræorum, neq in hoc præſenti loco. *Res* denotatur voce פסוק, *Signum* voce טעמים. Producat, ſi poteſt, unicum locum apertum, in quo טעם de Re ſola, non de Signo ſimul, accipiatur. Omnes hujus hominis probationes ſunt à Poſsibili: *Poteſt ita eſſe. Poteſt ſic intelligi*: & à Non neceſſario: *Non neceſſe eſt ſic intelligi, &c.* Sed à Poſſe eſſe ad Eſſe: & à Non-neceſſario indefinito ad contrarium Neceſſarium definitum & certum N. V. C.

Secundò attendendum, quomodo Hebræi explicent, & explicationem ſuam fundent in loco illo Nehemiæ: Nehemias dicit; *Et appoſuerunt intellectum*; Talmudici gloſsâ ſuâ explicant; *Hi ſunt Accentus*, q. d. *Et appoſuerunt Accentus.* Non autem appoſuerunt

primi

primi Sonos: hi enim procul dubio jam antea fuerunt: Ergo Figuras. Hinc ex iſtis verbis colligit Ephodeus, Talmudicos Eſram facere authorem Accentuum. Utraque vox hic eſt conſideranda; non ſolùm nomen טְעָמִים *Accentus*: ſed & verbum שָׂמוּ *Appoſuerunt*.

Tertiò dico; accuratiùs penſiculanda eſt etiam vox המסורת. In quibuſdam libris eſt ſingulare, אלו הַמָּסֹרֶת *Hæc ſunt Maſora*: in aliis plurale, אלו הַמָּסוֹרוֹת *Iſta ſunt Maſoræ, ſeu Traditiones*, quam lectionem ego præfero: quia mox ſubjungitur pronomen relativum itidem plurale. Obliti enim *earum* fuerant, & tunc reſtaurarunt *ea*.

Hebræi intelligunt per hanc vocem Traditiones Maſoræ, circa rectam lectionem & ſcriptionem vocum quoad Literas, Vocales, & Accentus.

Arcani punctationis Revelator hanc expoſitionem Primò vocat in dubium; *eò quòd poſſit commodè intelligi de ea parte Maſoræ, quæ ſpectat Literas,: non autem de ea, quæ Puncta & Accentuum apiculos ſpectat.*

Ego verò pariter dicere queo; *poſſe etiam* commodè non de hac tantùm Maſoræ parte, ſed de Tota intelligi, reſpectu Literarum, Punctorum, & Accentuum.

Deinde omninò rejicit eam, & negat, per hanc vocem מסורות ullam Maſoræ partem intelligendam, Dicit; *Videri ſibi, Rabbi Niſſim non benè cepiſſe mentem Gemaræ in iſtis verbis* המסורות, *quorum hic omninò videatur eſſe ſenſus, ut referantur ad præcedentia de Diſtinctionibus verſuum & Accentuum, q. dicere voluiſſent; Diſtinctiones iſtæ verſuum & Accentuum ſunt Traditio* πατροπαράδοτος *jam ab ipſo Moſe ad nos per Traditionem derivata.*

Subtilis ſanè explicatio, & quæ nulli unquam Rabbinorum venit in mentem. Mirandum hujus viri acumen, qui meliùs Rabbinis ipſis Gemaram intelligit, quod inter Chriſtianos rariſsimum, ſi modò fides ipſi & conjecturis ejus habenda! Verùm nos exiſtimamus, illum hic potiùs prodere ſuam, & Linguæ Hebrææ, & rerum Hebraicarum, imperitiam. Terminus enim iſte apud Hebræos nunquam legitur eo ſenſu, quem Revelator ex ſuo ingenio producit: ſæpiùs autem ſenſu priore.

Videamus nos, quomodo Hebræi hanc vocem מסורת explicent, & intelligant.

In Coſri par.3. §. 28. אם תשלוט ההקשה על אלה והדומה להם תמנה הספרים כולם באותיות תחלה ואחר כן במלות ואחר כן בחבורים ואחר כן בנקוד ואחר כן בטעמים וישתנו הענינים וכמה פסוקים יכול האדם להעתיק ענייניהם אל הפכם בהעתקת אחד מאלה המסורות כל שכן כולם hoc eſt, *Si rationi in iſtis, & ſimilibus, dominium concedamus, toti mutabuntur libri, in literis, vocibus, ſententiis, punctatione, & accentibus, & ſic res ipſa quoque mutabitur. Et quot quæſo verſus poteſt homo in alium & contrarium transſmutare ſenſum, mutatione vel unius* המסורות *ex iſtis Maſoris, nedum omnium?*

Idem ibidem §. 31. ומה תחשוב על אשר תקנו המקרא בפסוקים תחלה ואחר כן בנקוד ואחר כן בטעמים ואחר כן במסורות על שמירת המלא והחסר עד אשר מנו אותיותיה וביררו כי ויו דגחון חצי התורה ושמירת כל נכרי מקמץ ופתח וצרי וסגול יוצא מן ההקשה וכו׳ hoc eſt, *Et quid videtur tibi de eo quòd ornarunt vel inſtruxerunt* (Viri Synagogæ magnæ) *Scripturam Diſtinctione in verſus, Punctatione, Accentibus, Maſoris* (המסורות) *de obſervandis ſc. plenis & defectivis, eouſque ut etiam literas numerarint, & explicârint, quòd litera Vau in voce* גחון *media ſit litera Legis; de vocibus item irregulariter cum Kametz vel Pathach, Tzere vel Segol, punctatis, &c.*

Ex his duobus locis apparet, quid authori libri Coſri (quem tamen Elias pro ſua producit ſententia) ſint המסורות *Maſoræ* vel *Traditiones.* In priori loco videtur ita vocare totam accuratam ſcriptionem Codicis ſacri circa literas, voces, puncta, & accentus. Nam poſteaquam horum omnium mentionem feciſſet, ſubjungit; *Et quot quæſo &c. per mutationem unius ex iſtis* Maſoris. In poſteriori manifeſtè reſpicit ad locum Talmudicum de quo agimus, & quid illic per *Maſoras* intelligat, ipſemet explicat; Obſervationes nempe Criticas, partim de vocibus plenis & defectivis, partim de literis, & ſimilibus, partim etiam de vocibus irregulariter punctatis. Inprimis verò obſervandum, quòd licet in loco Talmudico, de quo agimus, Punctationis nulla fiat mentio, hic tamen author in hac recenſione eam non omittat. Unde manifeſtè apparet, illum in hac fuiſſe ſententia, Punctationem ab Eſra provenire. Hinc ſcribit Jehudah Muſcatus in ſuis ad hunc locum gloſſis: כוון בזה למאמר נדרים פ׳ אין בין המודר וכו׳ Hoc eſt, *Reſpexit in his verbis ad locum illum Talmudicum in Nedarim, cujus ſupra mentionem fecimus.* ואולם עם היות הנקוד בלתי נזכר ונפקד במאמר

בְּמַאֲמַר נְדָרִים אעפכ לֹא רָאָה לְהַפְרִידוֹ מֵחֲבֵירָיו כִּי לְדַעְתּוֹ כּוּלָם נִתְּנוּ כְּרוֹעֶה אֶחָד וְיַחְדָו נוּסְדוּ וְאֵין בֵּין זֶה לְזֶה כִּמְלוֹא נִימָא אוֹ שֶׁנִּכְלַל שָׁם עִנְיַן הַנִּיקּוּד בְּאָמְרָם בְּסֵפֶר תּוֹרַת הָאֱלֹהִים זֶה מִקְרָא וִיהִיֶה עִנְיָנוּ אוֹפַן הַקְּרִיאָה עִם הַנִּיקּוּד כִּי בִלְעָדָיו לֹא יָרִים אִישׁ אֶת לְשׁוֹנוֹ עַל הַקְּרִיאָה *Et quamvis nulla, in loco Talmudico, fiat mentio Punctationis, illicq; deſideretur; attamen noluit eam author noſter ſeparare a reliquis, quod ex ejus ſententia omnia data ſint à Paſtore uno, & ſimul fundata, nec ulla ſit inter illa differentia: aut quòd ex ejus ſententia comprehenſa ſit Punctatio his verbis;* In libro Legis Dei, זה מקרא Hæc eſt lectura vel lectio, *ut per* מקרא *intellexerint rationem legendi cum punctatione. Nam abſque ea nemo linguam ſuam poteſt attollere ad lectionem*, hoc eſt, nemo poterit Scripturam legere. Ex hoc itaque loco etiam apparet, authorem hunc nequaquam in ea fuiſſe ſententia, Tiberienſes primùm puncta Textui Sacro appoſuiſſe, uti Elias & Elianiſtæ voluerunt.

Sic utitur hac voce par. 2. §. 80. וְאַחַר זֶה מַעֲלַת הַנִּקּוּד וּמַסּוֹרֶת שֶׁבַע הַמְּלָכִים וכו׳ *Poſthac etiam Punctatio, & Maſoreth ſeu Traditio ſeptem Regum*, id eſt, punctorum vocalium.

Pro hac voce ſimplici ſæpius etiam dicunt דִּקְדּוּקֵי הַמַּסּוֹרֶת vel דמַסּרוּת *Minutiæ, ſubtilitates Grammaticæ Maſoreth*; quibus omninò probabile eſt, illos non tantùm intelligere obſervationes de literis, circa plena & defectiva, ſed & de vocibus anomalè & irregulariter punctatis, quod non ſine cauſa & rationibus factum, quas cauſas etiam Lege orali comprehenſas & traditas eſſe, volunt. Sic Moſes Mikkótzi in Præfatione ספר מצוות גדול *Sepher Mitzvoth gádol*, inter ea, quorum traditio per Legem Oralem habetur & habenda eſt, recenſet quoque has דִּקְדּוּקֵי הַמַּסּוֹרֶת *Obſervationes Criticas Maſoræ*, his verbis; וְכֵן כָּל דִּקְדּוּקֵי הַמַּסּוֹרֶת וְסִימָנֵיהֶת שֶׁבַּתּוֹרָה וְטַעְמֵי הַנְּקוּדוֹת וְהַתְּלוּיוֹת שֶׁבַּמִּקְרָא לֹא יָדַע פִּתְרוֹנָם כִּי אִם בְּתוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה *Sic expoſitio omnium minutiarum Maſoræ, & ſignorum* (puto illum intelligere Diſtinctionem in capita & verſus) *in Lege, rationes Punctorum, & Literarum ſuſpenſarum in Lege, non cognoſci poſſunt, niſi per Legem Oralem.* Et hanc ſuam ſententiam confirmat poſtea ex loco iſto Talmudico Nedárim, de quo agimus. Unde apparet, quomodo & ille hunc locum totum, & in eo vocem hanc מסורה vel מסורת intellexerit; nempe, non ſolùm de Literis, ſed & de Punctis. Ut planè contra mentem He-

bræorum omnium Revelator hanc expoſitionem è proprio ſuo cerebro infeliciter progenuerit. Videatur etiam Ramban in Præf. in Legem. Nempe, ſicut circa literas volunt non ſine ratione factum eſſe, quòd quædam voces plenæ (hoc eſt, cum expreſſo Jod vel Vau) ſcribantur, aliæ defectivæ; ita non ſine ratione factum volunt, quando vox aliqua irregulariter & præter conſuetudinem eſt punctata, &c.

Vocantur autem iſta à Veteribus מַסּוֹרֶת Traditio, quòd ſint מַסּוֹרֶת הַקַּבָּלָה מִסִּינַי *Traditio oralis Sinaitica*, ut R. Jehudah Muſcatus loquitur, hoc eſt, quòd oretenus inde à Moſe fuerint tradita & propagata; non uſque ad Maſorethas iſtos imaginarios Tiberienſes, ſed uſque ad Eſram, qui primus Cabalam, ſeu Legem oralem, ex ſententia Hebræorum, publicavit, uti iterum Nachmanides docet in Præfatione ſua in Legem, & non obſcurè ipſe author libri Coſri par. 3. §. 31. ubi dicit; *Voces irregulariter punctatas, & totam artem punctandi & accentuandi, non eſſe* מוּפְקֶרֶת *deſtitutam* (ratione certâ, confuſam, erroneam): ſed fundatam בְּעִלּוֹת וּבְמַסּוֹרוֹת *in certis cauſis & Maſoris ſeu Traditionibus*; longè nempe aliter, quàm Revelator noſter. Et hæc vera & genuina eſt expoſitio ſententiæ Hebræorum.

Secundus locus, qui à Patre meo producitur ex Hebræorum ſententia, extat in Nedarim fol. 37. col. 1. Diſputant illic Doctores; An liceat docere Legem pro mercede? Sunt, qui affirmant, alii negant, alii limitant. Quidam dixerunt, licitam eſſe שְׂכַר שִׁמּוּר *Mercedem obſervationis* & inſpectionis puerorum, ut ſc. domi maneant, audita repetant, non diſcurrant, non ſint petulantes, &c. Alius quidam R. Jochannan dixit, שכר פְּסוּק טְעָמִים Etiam *mercedem pauſationis vel diſtinctionis accentuum* licitam eſſe.

Multis verbis totum hunc locum reſolvit Revelator, ſed præter neceſſitatem.

Quæritur duntaxat, *Quid hic quoque per* פְּסוּק טְעָמִים *intelligatur?* Et hoc ſine magno negotio expediri potuiſſet.

Excipit ergo 1. *Hic per* טְעָמִים *non Signum, ſeu Figuram accentuum intelligi: ſed Rem ſeu Poteſtatem.*

Ego contrà regero, hac voce non *Rem ſolam*, ſed & *Signum* intelligi. *Res* enim, ut antea dictum, intelligitur voce פָּסֵק. Probo hanc meam rationem inde; quòd hæc vox nullibi eo ſenſu, quem

Reve-

Revelator ponit, apud Hebræos legatur. Præſupponit, vocem טַעַם utrumque ſignificare, ſed nullâ authoritate, quàm propriâ, quæ ſuſpecta, probat. Gratis etiam ſibi ſumit, פְּסוּקִים *Diſtinctiones*, & פְּסוּקֵי טְעָמִים *Diſtinctiones accentuum*, eſſe unum & idem (vide eum lib.2. cap.5. §. 8.). Et licet hæc omnia ipſi concederentur, nondum tamen ſequeretur, Accentus tùm temporis nondum extitiſſe: Potuerunt enim eſſe, ſed non in vulgari uſu, non in omnibus & ſingulis exemplaribus, ut & hac ratione Lex ex non punctatis codicibus ſæpè potuerit & doceri & diſci: Multò minus hoc ſequeretur, Maſorethas Tiberienſes Accentus inveniſſe.

Hinc docet author libri עֲרוּגַת הַבֹּשֶׂם Talmudicos loca non pauca certâ ratione expoſuiſſe, quòd Accentuum, quos ibi invenerunt, rationem habuerint, Ex. Gr. In Sanhedr. f.108. Diſcipuli domus R. Iſmaëlis docuerunt; *Etiam ſuper Noam ſententiam Judicialem a Deo latam fuiſſe.* Probarunt hoc ex eo quod ſcriptum eſt, כִּי נִחַמְתִּי כִּי עֲשִׂיתִם וְנֹחַ *Quia pœnitet me, quòd feci eos: Et Noah*, Gen.6.7. Quomodo? Quia vox ונח *Et Noa*, notata eſt cum accentu Sakeph gadol, qui ſiſtit orationem, & docet, ad aliquid obſervatu dignum ibi eſſe attendendum; illam ſcil. vocem ſeorſim eſſe legendam, & cum præcedentibus etiam jungendam. Exo.22. v.4. legitur, אִם תִּמָּצֵא בְיָדוֹ הַגְּנֵבָה מִשּׁוֹר עַד חֲמוֹר עַד שֶׂה חַיִּים שְׁנַיִם יְשַׁלֵּם *Si inveniatur in manu ejus furtum, à bove ad aſinum, ad ovem, viva duo rependet.* Hinc docuerunt Rabbini, duo viva, non mortua eſſe rependenda. Quomodo? הִפְרִידוּ תֵּבַת חַיִּים מִתֵּבַת שֶׂה מִפְּנֵי שֶׁמָּצְאוּ הַטַּרְחָא בְּתֵבַת שֶׂה שֶׁכֹּחוֹ לְהַעֲמִיד בְּקֶצֶת *Separarunt diſtinctionem* Viva, *a voce* שה Ovem, *quia invenerunt Tarcha in dictione* שֶׂה, *cujus vis eſt aliquatenus ſiſtere orationem.* Ezech.44. v. 22. legitur; וְהָאַלְמָנָה אֲשֶׁר תִּהְיֶה אַלְמָנָה מִכֹּהֵן יִקָּחוּ *Et viduam, quæ fuerit vidua, ex Sacerdotibus* (id eſt, quidam Sacerdotes) *accipient.* Jonathan interpretatur, juxta expoſitionem allegoricam Rabbinorum, (in Kidduſchin fol. 78. col. 2.) שְׁאָר כָּהֲנַיָּא יִסְבוּן *Reliqui Sacerdotes accipient*; innuens, Viduam permiſſam eſſe reliquis Sacerdotibus communibus. Unde hoc deſumpſerunt? Author hic ait; יָצָא לָהֶם זֶה מֵהַזָּקֵף קָטֹן אֲשֶׁר עַל תֵּבַת אַלְמָנָה שֶׁהוּא טַעַם מַפְסִיק *Collegerunt hoc ex Accentu Sakeph Katon, quo notata eſt vox* אלמנה, *qui eſt Accentus diſtinguens, &c.* Sic alia ibidem adducit loca, quæ Rabbini allegoricè expoſuerunt, oſtendens, quòd

quòd id fecerint habito reſpectu certo Accentuum quorundam, quos ibi invenerint: כִּי כָל מִלֵּי דְרַבָּנָן אַסְמְכִינְהוּ אַקְּרָא *eò quod omnia verba Rabbinorum fundata ſint in Scriptura*; in his verò expoſitionibus nulla alia ex Scriptura adduci poſsit ratio, quàm ex Accentibus, pro defendenda ipſorum expoſitione.

II. Excipit; *Si Signa vel Notæ Accentuum intelligerentur, & tum temporis jam fuiſſent, legendi ratio fuiſſet expedita, ac nullo negotio vel Abecedarii pueri quadriennes & quinquennes, brevi temporis ſpatio, (ut hodiè fit) edoceri potuiſſent totam legendi rationem, &c.* Vide eum lib.2. cap.2. §. 4.

℞ 1. Omninò fuiſſet ratio expedita legendi, ſi, ut hodiè, exemplaria punctata ubivis, & apud omnes, in uſu fuiſſent, At hoc negant Hebræi, ut ſuo loco videbimus.

2. Non eſt hìc ſermo de noſcendis figuris Accentuum: hoc enim non adeò eſt difficile: ſed de diſcenda illorum פָּסוּק, ſeu poteſtate tùm in diſtinguendo, tùm in canendo. Hoc, qui vel Talmudicorum tempore tam facile & expeditum fuiſſe, vel hodiè eſſe, putat, & tam brevi temporis ſpatio comprehenſibile, næ is parum ipſe hæc vel intelligere, vel conſiderare videtur. Operoſa res eſt, veram & accuratam, vocalium omnium & accentuum pronunciationem, naturam, vim, poteſtatem, & differentiam, in legendo, diſtinguendo, cantillando, intelligere, & obſervare poſſe, quorum omnium cognitio, unà cum lingua ipſa, à tempore inde Templi ſecundi inter Judæos vehementer decrevit. Pauci ſunt Judæi hodiè, qui hæc jactare poſsint.

3. Meminerit Revelator, quid ſuprà revelaverit cap.4. de Lege, in Synagogis Judæorum aſſervatâ, & ſingulis Sabbathis, ad lectionem ſacram uſurpatâ, ſine ullis Punctorum & Accentuum notis. Nempe non ita ſimpliciter, negligenter, & ſuperficialiter diſcunt Judæi Legem legere, ut nos Hebraicè legere diſcimus; ſed ad eam perfectionem, ut eam etiam, juxta omnes punctorum & accentuum diſtinctiones, ex tempore in volumine illo publico, notis iſtis deſtituto, promptè & expeditè queant legere.

4. Licet quoque tùm temporis lingua Hebræa adhuc in majori uſu & notitia fuerit inter Judæos, quàm hodiè; certum tamen hoc eſt, id inter paucos, & non niſi inter doctos ac eruditos fuiſſe, inprimis ratio Grammatica Linguæ, & minutiarum Grammaticarum,

carum, anomaliarum, &c. Prolixè hac de re agit Ephodeus in Præfatione Grammaticæ ſuæ, & in ipſo libro cap. 7. ubi etiam docet, Talmudicum ſtudium nimium, cauſam fuiſſe non poſtremam, contempti, neglecti, & ſegniùs tractati ſtudii Biblici.

III. Excipit: *Si tum temporis Puncta & Accentus, ſeu à Moſe, ſeu ab Eſra, jam extitiſſent, nullâ ſpecie potuiſſent Talmudici Doctores decernere, licere mercedem accipere pro docenda Punctorum & Accentuum ratione; cùm extra controverſiam de Lege fuiſſent. Lex verò tota cùm gratis ſit docenda, nullo jure potuiſſet permitti, ut hæc pro mercede doceantur, &c.*

℞ 1. Si hæc ratio firma eſt, tum militat non minùs contra Revelatoris expoſitionem, quàm contra noſtram. Nam Poteſtas quoque & modus diſcendi vel legendi Legem, ſecundum diſtinctionem punctorum & accentuum, fuit à Moſe, & ab ipſo per Traditionem continuam conſervata & propagata, ac per conſequens etiam, multoq; magis, de Lege. Quomodo itaque id potuiſſent de Poteſtate Accentuum permittere & concedere?

2. Quidni hic color potuiſſet prætexi, quòd differentia aliqua ſit inter Conſonantes & Vocales: quia, ut ſupra vidimus, ſtatuunt Legem datam eſſe in monte Sinaj ſine Punctorum & Accentuum notis, notasque has poſtea demùm ab Eſra fuiſſe additas. Potuerunt ergo diſtinguere, & dicere; De Lege, prout Moſes eam in monte Sinaj accepit, & ut à Moſe nobis tradita eſt, non licet, &c.

3. Non ſimpliciter pro Accentibus merces decernitur: ſed pro intelligenda illorum Vi, proprietate ac poteſtate, quod propriè non eſt de Lege ſcripta. Hinc ſcribit R. Aſcher: לְנגן הַמִּקְרָאוֹת כְּהִלְכָתָן וְלָאו דאורַייְתָא הוּא ושרי ליטול שָׂכָר עָלָיו *Modulari vel cantillare decenter Scripturas, quod non eſt de Lege; & proinde licitum, mercedem pro eo accipere.* Sic Rabbenu Niſsim: מְלַמְּדִין לָהֶם טְעָמִים דְּלָאו מִדְּאוֹרָיְתָא נִינְהוּ הִלְכָּךְ לָא הָווּ בִּכְלַל חוּקִים וּמִשְׁפָּטִים *Docent eos accentus, qui non ſunt de Lege, &c.*

Neque excipi poteſt; *Ne quidem hoc permitti potuiſſe, ſi Eſram illorum authorem credidiſſent vel ſtatuiſſent;*

Nam Lex vocatur *Lex Moſis*, non *Lex Eſræ*: diſputant de Lege, ut à Moſe eſt tradita, non ut ab Eſra inſtaurata.

Neque aliter locum hunc Talmudicum intellexerunt Talmudici, illorumque gloſſatores, præcipuè R. Salomon, quicquid dicat

M

Revelator. Diſertè enim dicit, שֶׁמְּלַמְּדוֹ נִקּוּד וּטְעָמִים *Quia docet eum Punctationem & Accentus.*

4. Quis dixit Revelatori, *Non licere Judæis mercedem accipere pro labore docendi Legem ſcriptam?* Hoc nec Miſchna, nec Gemara expreſsè docet. Et R. Moſes ben Majemon ſcribit diſertè contrarium in lib. Jad par. 3. in הלכות נדרים cap. 6. §. 7. מְלַמְּדוֹ תוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה · שֶׁהֲרֵי אָסוּר לִיטּוֹל עָלֶיהָ שָׂכָר · אֲבָל לֹא תוֹרָה שֶׁבִּכְתָב שֶׁנּוֹטְלִין עָלֶיהָ שָׂכָר hoc eſt, *Licitum eſt ei docere Simeonem* (à quo ex voto nullam ipſi licet accipere utilitatem) *Legem oralem: quia vetitum eſt pro ea mercedem accipere: ſed non licet ipſum docere Legem Scriptam, quia pro hac ſolet merces accipi.* Et in Commentario Miſchnajoth, in Nedárim cap. 4. docet; *Licere mercedem accipere pro labore docendi Legem ſcriptam,* במקומות שֶׁפָּשַׁט המנהג בזה *in iis ſc. locis, in quibus conſuetudo hæc invaluit;* לְפִי שֶׁזֶּה הַשָּׂכָר הוּא מִדִּין הַטְּעָמִים וְהַתְּנוּעוֹת *eò quòd hæc merces accipiatur propter Accentus & vocales.* Sic & Bartenora.

Tertius locus, qui pro Punctorum Antiquitate ex Talmud producitur, extat in Talmud Berachoth fol. 62. his verbis: מִפְּנֵי מָה אֵין מְקַנְּחִין בְּיָמִין אֶלָּא בִּשְׂמֹאל · רַב נַחְמָן בַּר יִצְחָק אָמַר מִפְּנֵי שֶׁמַּרְאָה בָּהּ טַעֲמֵי תוֹרָה hoc eſt, *Quamobrem non ſolent abſtergere ſordes manu dexterâ, ſed ſiniſtrâ? Raf Nachman, filius R. Iſaac dixit, Propterea quòd eâ oſtendit Accentus Legis.*

Hinc concludunt Hebræi; Si manu fuerunt oſtenſi Accentus Legis; Ergo neceſſe eſt, Accentus eo tempore jam extitiſſe: quia oſtendi non potuiſſent, niſi ſignati adfuiſſent.

Excipit Revelator, *Hunc quoq; locum de re ipſa & de poteſtatibus Accentuum accipiendum; quod illi, qui ſacram lectionem docebant, digito indicarent, ubinam, hoc eſt, quibuſnam in Vocibus ſeu ſyllabis, ſedes accentus eſſet, ut illic inter legendum audiretur, ubi efferri debuit.*

Reſponſio hìc eadem eſt quæ antea: 1. Vocem טעם Hebræis non tam Rem, quàm Signum rei denotare. Et obſervandum, hìc non, ut in præcedentibus duobus locis, dici פִּיסּוּק טְעָמִים *Diſtinctiones vel Modulationes Accentuum:* ſed ſimpliciter, טַעֲמֵי *Accentus.* Emphaticum verbum etiam eſt, quod non dicitur מְלַמֵּד *Docet* ſed מַרְאָה *Videre facit eâ Accentus Legis.* Ergo fuit aliquid Viſibile, quod oculis videri, & manu oſtendi potuit, quod ſine res ipſa arguit.

2. Nega-

2. Negatur iterum hæc conſequentia; Docebant Rem ſeu Poteſtatem. Ergo nullæ planè tunc adhuc erant notæ. Nam, ut ſuprà vidimus, & infrà pluribus oſtendemus, docent Hebræi, extitiſſe quidem jam figuras Punctorum & Accentuum; ſed non uſitatum fuiſſe tunc, ſive id ex religione, ſive ex negligentia & deſuetudine acciderit, ut paſsim in omnibus exemplaribus adſcriberentur & exprimerentur.

3. Sic intellexerunt & explicarunt Hebræi, & ipſe etiam R. Salomon, ordinarius Talmudis gloſſator, his verbis: טעמי תורה נגינות טעמי מקרא של תורה נביאים וכתובים בין בנקוד של ספר בין בהגבהת קול ובצלצול נעימות הנגינה של פשטא דרגא ושופר מהפך - מוליך ידו לפי טעם ראיתי בקוראים הבאים מארץ ישראל.

Verba hæc R. Salomonis, Revelator quidem contortâ interpretatione ad ſuam ſententiam confirmandam, trahere & inflectere conatur: Sic enim ille reddit; *Accentus Legis* hic ſignificant *modulationem Muſicam*, quæ deſignatur per *Accentus Textus Legis, Prophetarum, & Hagiographorum; Sive ea ſit in punctatione ſignata in libris; ſive in elevatione vocis, & in Cymbalo* (aut quolibet organo Muſico) *amæna modulatio Accentuum Paſchta, Darga, & Sophar mahapac, deducit manum ejus* (cantoris ſc. ſive lectoris) *pro ratione modulationis, quod vidi fieri a Lectoribus, qui venerant e terra Iſraelis.* Sed male & fruſtrà. Vera & genuina illorum interpretatio eſt hæc; *Accentus Legis, hic* (in præſenti ſc. loco Talmudico) *ſunt Modulationes Accentuum Scripturæ; Legis videlicet ac Prophetarum, & Hagiographorum; tùm quoad Punctationem librorum, tùm quoad Elevationem vocis, & tinnitum ſuavitatis modulationis Paſchta, Darga, Schophar mehypach, &c. Pro varietate nempe Accentus ducit vel movet manum ſuam* (Lector), *ſicut vidi in quibuſdam Lectoribus, qui venerunt è terra Iſraelis.*

Notet Lector diligenter contra Revelatoris expoſitionem; *primò*; בין geminatum hic non habere vim Conjunctionis Diſjunctivæ *Seu, Sive*; ſed eſſe Conjunctivam ſeu Connexivam, & ſignificare, *Tùm hoc, tùm illud*; vel, *Tam* hoc, *quam* illud: *ſecundò* צלצול hic non ſignificare *Cymbalum*: ſed eſſe Nomen verbale, ſignificans Actionem, ut apud Latinos Nomina in IO, formæ ſc. דבור, ſed ex literis geminatis. Nam צִלְצוּל pro Cymbalo nuſpiam legitur, ſed צֶלְצָל: & alium ſenſum habere, arguit, quòd manifeſtè

conſtruatur cum ſeqq. duobus Nominibus Subſtantivis, eſtque exemplum Rectionis per plura Subſtantiva. Nec unquam me legere memini, Textum Legis, Prophetarum, & Hagiographorum in Cymbalis modulatum fuiſſe, exceptis fortè quibuſdam Cantionibus Sacris, Levitis & Cantoribus traditis: *tertiò* pronomen Affixum in יָדוֹ non relativè vertendum, *Manum ejus*, ſed reciprocè, *Manum ſuam*.

Senſus itaque horum Rabbi Salomonis verborum germanus eſt iſte: *Mentem Talmudicorum hic eſſe, Eum qui docet Sacram Textus Hebraici Lectionem, digito indice manus dexteræ indicare Accentus ſingularum vocum, tùm quoad Puncta, id eſt, notas & ſigna in libris extantia: tùm quoad Elevationem ac depreſſionem vocis, hoc eſt, vim ac poteſtatem illorum in varia vocis elevatione & inflexione, pro diverſa ſcil. accentuum ratione*; non verò ut Revelator fingit; *Sive Accentus illi ſint ſignati punctulis in ipſo Codice, (quomodo hodiè ſunt, & tempore Jarchii erant) ſive ſolâ vocis elevatione exprimantur, &c.* Non hoc vult, ſed utrumque conjungit, *tùm in Signatura librorum, tum in Elevatione ac moderatione vocis.* Provoco ad omnes Hebraicæ linguæ peritos, ad omnes Rabbinos, utrum aliter, quàm ego propoſui, accipi & intelligi poſsint ac debeant R. Salomonis verba. Docent illa expreſsè, ipſum ſtatuiſſe, נִקּוּד שֶׁל סְפָרִים *Punctationem ſive ſignaturam accentuum* Tempore Talmudicorum jam fuiſſe. Ex quo proinde ſimul hoc liquet, perperàm à Revelatore alias quoque R. Salomonis gloſſas ad nudam Vocalium & Accentuum poteſtatem reſtringi.

Et, ſi maximè interpretationem hanc ejus admitteremus, quod tamen nullo modo facere poſſumus, nec ſic tamen cauſæ ſuæ patrocinium inveniret in R. Salomonis verbis: Tùm enim hæc illius mens foret; *Accentus Legis hîc* (nempe apud Talmudicos) *denotare Modulationem Accentuum, ſive illi per Punctationem expreſſi fuerint, ut manu oſtendi potuerint:* (quia nempe non omnia exemplaria punctata erant) *ſive ſolam illorum poteſtatem docuerit.* Exprimit nempe his verbis R. Salomon Talmudiſtarum mentem. Ergo etiam, quocunq; modo accipiantur ejus verba, manifeſtè in hac fuit ſententia; Tempore Talmudicorum jam fuiſſe נקוד שֶׁל סֵפֶר *Punctatione librorum.* Et in hunc ſenſum omnes Hebræi verba R. Salomonis accipiunt. Revelator verò noſter doctior & perſpicacior eſt illis omnibus.

Quartus

QUARTUS locus Talmudicus extat in Codice Talmudico חגיגה *Chagigah* fol 6. col. 2. Diſputant illic de loco Exodi 24. verſu 5. וישלח את נערי בני ישראל ויעלו עלת ויזבחו זבחים שלמים לה׳ פרים *Et miſit* (Moſes) *pueros filiorum Iſrael, & obtulerunt holocauſta, & ſacrificaverunt ſacrificia pacifica, Domino, Juvencos.* Cùm hîc duarum ſpecierum Sacrificiorum fiat mentio, Holocauſtorum nempe, & Pacificorum, ac utrique vox פרים *Juvencos*, ſubjiciatur, quærunt; *An hæc vox ad utramq; ſpeciem referenda, tam ad Holocauſta, quàm ad Pacifica, ut ambo ex Juvencis conſtare debuerint?* Vel, *An diverſæ quoq; ſpecies animalium adhiberi debuerint, Agni ſc. & Juvenci?* Dubitantes illic, & quærentes, quomodo ex Textu probari poſsit, diverſas adhibendas fuiſſe Animantium ſpecies, Mar Sutra, Doctor Babylonicus, provocat ad Diſtinctionem Accentuum. Verba ſunt hæc: בעי רב חסדא האי קרא היכי כתיב׃ וישלח את נערי בני ישראל ויעלו עולות כבשים ויזבחו זבחים שלמים לה׳ פרים או דילמא אידי ואידי פרים הוו למאי נפקא מינה מר זוטרא אמר לפסוק טעמים ׃ רב אחא בריה דרבא אמר לאומר הרי עלי עולה בעולה שהקריבו ישראל במדבר מאי פרים הוו או כבשים הוו תיקו hoc eſt, *Quæſivit Raf Chaſda, Iſte verſus Scripturæ, ubi ſcriptum eſt,* Et miſit pueros filiorum Iſraelis, & obtulerunt holocauſta, & ſacrificaverunt ſacrificia pacifica, coram Domino, Juvencos; *an holocauſta ex Agnis fieri debuerunt? Aut an fortaſsis hæc & illa ex Juvencis conſtiterunt? Quomodo hoc egreditur inde?* (hoc eſt, quomodo iſte verſus me hoc docet, vel, quomodo poſſum hoc ex eo diſcere?) *Mar Sutra reſpondit, Per diſtinctionem Accentuum.*

R. Salomonis gloſſa hîc eſt ad vocem בנגינות Per modulationes: *Si dicas, duas fuiſſe ſpecies, pauſanda tibi vel diſtinguenda eſt vox* עולות *per Athnach, ſicut nos illud legimus, vel per Sakeph Káton, Accentum nempe aliquem diſtinguentem ſermonem præcedentem à ſubſequente ſi verò dicas, Unam fuiſſe duntaxat ſpeciem, legendum tibi eſt per aliquem reliquorum accentuum, qui non diſtinguunt, veluti Paſchta aut Reſiah.*

Ubi iterum obſervandum; R. Salomonem non rem ipſam explicare, ſed mentem Talmudici illius Doctoris Mar Sutræ exprimere: ac quod ille duabus vocibus dixit, לפסוק טעמים *Per diſtinctionem Accentuum*, id ipſe pluribus deſcribit & explicat, ac

propterea ſtatuit, Accentus jam eo tempore Notis & Nominibus ſuis extitiſſe. Quis enim quæſo ſibi imaginari poſſet, Accentus etiam non diſtinguentes in legendo tàm accuratè diſcerni potuiſſe, ſi nullæ illorum figuræ extitiſſent, quod tamen innuit R. Salomon, & quidem ex Talmudicorum mente?

Ut proinde fruſtra hîc iterum excipiat Revelator; *Non ſequi ex hoc loco Talmudico, ſignatum jam tunc fuiſſe Accentum illum in voce* עלית*: ſed hoc tantùm, Inter legendum obſervatum fuiſſe Accentum illum.*

Nam præter authoritatem R. Salomonis 1. regeri poteſt, ut antea, Concedi ipſi totum hoc poſſe; non tamen ſtatim ſequi, Nullo modo, & nullibi tùm extitiſſe. Communiter enim tunc temporis non punctatis codicibus utebantur.

2. Niſi extitiſſent, & lectio Præceptoris fundamentum certum habuiſſet, facilè potuiſſet excipi, Non figendam eſſe illic diſtinctionem, nullam pauſam eſſe faciendam; maximè cùm per Copulativam Vau omnia videantur connexa eſſe & cohærere.

Excipit porrò; *Si punctati Codices fuiſſent, non fuiſſet locus quæſtioni & dubitationi illi: Accentus enim adſcriptus non ſiviſſet moveri hoc dubium.*

℞ Negatur Conſequentia. Duplici enim modo Hebræi exponunt Legem: vel ſecundum nudas Conſonas, ut ſupra viſum, & mox iterum videbimus, quomodo infinitos ferè ejus exponendi modos inveniunt: vel ſecundum Conſonas, & Vocales, & Accentus ſimul.* Et hæc proponunt non ex dubitatione, ſed diſputandi, & ingenii acuendi atque oſtentandi gratiâ, quod in Talmudica lectione diligenter notandum.

His quatuor locis, à Patre meo in Tiberiade productis, addamus nos Quintum, ex Codice Talmudico Megilla cap. 4. fol. 32. c. 1. אָמַר רַבִּי יוֹחָנָן כָּל הַקּוֹרֵא בְּלֹא נְעִימָה וְשׁוֹנֶה בְּלֹא זִמְרָה עָלָיו הַכָּתוּב אוֹמֵר וְגַם הוּא נָתַתִּי לָהֶם חֻקִּים לֹא טוֹבִים hoc eſt, *Dixit R. Jochanan, Quicunque legit Scripturam abſq; modulatione & Miſchnam ſine Pſalmodia, de eo dicit Scriptura*; Ecce dedi ipſis ſtatuta non bona, Ezech. 20. 25.

Gloſſa R. Salomonis: *Per* נְעִימָה Modulationem *intelliguntur hic* פִּסְקֵי הַמִּקְרָאוֹת *Accentus Scripturarum.*

Ex hoc loco apparet, tempore Talmudicorum per modulationem Muſicam, cujus indicta & notæ ſunt Accentus, Scripturam & Miſchnam

Miſchnam lectitatam fuiſſe, ut ſuprà quoque jam auditum. Sic dicunt alibi; הַקּוֹרֵא בַתּוֹרָה בַּטְּעָמִים מוּבְטָח לוֹ שֶׁטּוֹעֲמִין לוֹ מֵעֵין הָעוֹלָם הַבָּא וְאִם יִקְרָא הַטַּעַם שֶׁהוּא כְּלְעֵיל מִלְעֵיל וּמִלְּרַע מִלְּרַע יִנָּצֵל מִכָּל רַע שֶׁכָּךְ הִיא דַּרְכָּהּ שֶׁל תּוֹרָה שֶׁהִיא מָגֵן וְצִנָּה וכו׳ hoc eſt, *Qui in lectione Legis obſervat Accentus, is certus eſt, quòd guſtaturus ſit* (Nota alluſionem in nomine טַעַם & verbo טוֹעֲמִין) *delicias vitæ futuræ: &, ſi legerit vocem penacutam penacutè, acutam acutè, liberabitur ab omni malo* (nota iterum alluſionem in vocibus מִלְּרַע & מִכָּל רַע): *quia hæc eſt conſuetudo vel ratio legis* (ſic debet legi), *&c.* in Præfatione libri מנחת הכהן.

An autem quis ſibi imaginari poteſt, hoc fieri potuiſſe, ſi non ſcripta hujus rei extitiſſent veſtigia? Ut maximè concederemus, Punctationem vocalium memoriâ retineri potuiſſe, quis credat, Accentuum, quorum tanta varietas, rationem, poſt Prophetarum maximè tempora, & tam graves populi Judaici calamitates & perſecutiones, ita exactè & tenaciter, uſque ad Maſorethas Tiberienſes, ſervari, & propagari potuiſſe? Sed de hoc quoque alibi iterùm fuſiùs dicendi dabitur occaſio.

Hactenus de iſtis.

Qui Negativam propoſitæ quæſtionis ſententiam defendunt, etiam Loca quædam Talmudica in ſpecie proferunt, ex quibus evincere conantur, Talmudicorum temporibus Puncta & Accentus nondum fuiſſe.

Talmudici, inquiunt, *nullam faciunt mentionem Punctorum, etiam cum opportuna ipſis admodum eſſet occaſio illa commemorandi.*

Ergo illorum tempore non fuerunt.

Hic quidem iterum, ex fundamentis præcedentibus, negari poſſet Conſequentia, quæ ipſis probanda eſſet.

Quia verò Antecedens probant, videamus, quâ ratione, & quàm firmis tibicinibus illud fulciant:

Talmudici, ajunt, *ſæpiùs contendunt inter ſe de varia nonnullorum Scripturæ locorum lectione, quæ oritur ex varia Punctorum Vocalium & Accentuum aſſignatione, nec tamen vel Punctorum & Accentuum mentionem faciunt, vel etiam figuras & notas illorum exprimunt.*

Ergo illorum tempore Puncta nondum fuerunt.

Nam ſi fuiſſent, non tam alto ſilentio illa ubique præteriiſſent, ſaltem alicubi vel uno in loco mentionem illorum feciſſent.

Antece-

Antecedens illuſtrant & declarant aliquot locis Talmudicis, quæ videnda & expendenda.

Primò *proferunt Vulgatum illud Axioma Talmudicum, quo dicunt;* אַל תִּקְרָא כָּךְ אֶלָּא כַּךְ *Ne legas ſic, ſed ſic*; Ex. Gr. Jeſa. cap. 54. 13. legitur in punctatis hodiernis codicibus, וכל בָּנַיִךְ למודי יהוה Et omnes *filii tui* erunt edocti à Domino. Hîc annotant Talmudici in diſputatione quadam, in fine libri Berachoth, אל הקרא בָּנַיִךְ אלא בּוֹנַיִךְ *Ne legas* בָּנַיִךְ, *ſed* בּוֹנַיִךְ.

Hîc, inquiunt, *erat certè locus dicendi*, Ne legas בָּנַיִךְ per Kametz, ſed בּוֹנַיִךְ per Cholem, *indicatis ſc. Vocalium Nominibus, vel expreſſis Vocalium figuris. At neutrum ab illis fit, ſed ſolas Conſonarum figuras exprimunt & adſcribunt.*

Sic in libro Talmudico Sota fol. 5. col. 2. & in Moëd Katon fol. 5. 1. ad verba hæc Pſal. 50. v. 23. ושם דרך, *ſcribunt*; אל תקרא וׂשם אלא וׁשם *Ne legas* וְשָׂם, *ſed* וְשָׁם.

Dicendum hîc erat, inquiunt, Ne legas וׂשם per Schin Smol, ſed legas וׁשם per Schin Jamin: *aut ſaltem ſignanda erant in vocibus puncta illa. Neutrum autem faciunt.*

Secundò *adducunt aliud Axioma Talmudicum, quo dicunt,* יש אם למקרא ויש אם למסורת *Eſt mater Scripturæ, & eſt mater Maſoræ.*

In nonnullis, ajunt, *vocibus ambiguæ lectionis ſolent Talmudici hoc dictum uſurpare, & eo variam vocis dubiæ lectionem deſignare*: ut, Ex. Gr. An Levit. 12. 15. legendum ſit שִׁבְעִים, an שְׁבֻעִים: quia Conſonantes nudæ utramque lectionem admittunt: Qui receptam lectionem tuentur, dicunt יש אם לְמִקְרָא *Eſt mater Scripturæ vel lectionis, Ita ſolet legi*: qui alteram, dicunt, יש אם לְמָסוֹרֶת *Eſt mater ſcriptionis*, Scriptio per nudas Conſonantes hanc lectionem quoque admittit.

Hîc ergo, dicunt, *erat etiam locus vel Nomina punctorum commemorandi, quibus utraque vox ſcribitur, aut legi poteſt: vel ipſas Vocalium notas appingendi, ſi tum aliquæ extitiſſent. At neutrum faciunt. Ergo.*

Tertiò *locum magis ſpecialem producunt ex Talmudico libro Bava bathra cap. 2. fol. 21. ubi Joab dicitur interfeciſſe Magiſtrum ſuum* (vel ſaltem, interficere voluiſſe) *quòd eum docuiſſet legere* זֵכֶר Maſculum, *pro* זָכָר Memoriam.

Hic

Hic utique erat etiam locus commemorandi nomina Vocalium Kametz & Segol, vel earum figuras appingendi. Cùm verò neutrum fiat, manifeſtè apparet, nullas tùm temporis adhuc fuiſſe. Hæc illi pro ſua ſententia.

℞ *Primò*, quod Argumentum ipſum attinet, negatur in eo ea Antecedentis pars, quâ dicitur, *neque etiam figuras vel notas Punctorum Vocalium à Veteribus Talmudicis expreſſas fuiſſe.* Nam quòd illud ex hodiernis codicibus Talmudicis impreſsis, vel etiam quibuſdam MSS. probant, aut probare poſſunt, non ſufficit. Nam nec ullæ Miſchnájoth hodiè ampliùs Punctis & Accentibus animatæ uſpiam conſpiciuntur: & tamen teſtantur Judæi, olim antiquas Miſchnas ita fuiſſe. Unde quidni etiam in Gemara adhiberi potuerunt, ubi locus & circumſtantiæ id requiſiverunt? Et his temporibus non amplius tanta eſt neceſsitas, cùm beneficio Typographiæ punctata exemplaria ubique habeantur, unde non neceſſe judicant illa in iſtiuſmodi quoque libris uſurpare.

Secundò negamus, in pleriſque his locis aliquam neceſsitatem, vel ſingularem opportunitatem fuiſſe, ſeu Nomina ſeu Figuras punctorum exprimendi, uti ex accuratiore Dictorum iſtorum Talmudicorum explicatione liquebit, quam neceſſe eſt inſtituere, non ſolùm propter hos Novatores, ſed & propter alios, qui his dictis abutuntur ad probandum, Sacrum contextum Hebræum jam olim à Judæis fuiſſe corruptum ac depravatum: & quia pauci ſunt, qui illa rectè intelligant.

Primum itaque allatum *Axioma* quod attinet, ſciendum,

I. Talmudicos inter diſputandum ſæpè locos Scripturæ adducere, quibus non ex recepta & conſueta legendæ alicujus vocis ratione, ſed ex aliâ ab eâ diversâ, & ad ſcopum ſuum inflexâ, & accommodatâ, ſuum propoſitum probare aliquo modo conantur. Id cùm faciunt, ſolent dicere, אַל תִּקְרָא כָּךְ *Ne legas ſic* (ut ſc. vulgò vox illa in libris legitur & ſcribitur) אֶלָּא כָּךְ *ſed ſic* (aliter ſc. quàm in Bibliis ſcribitur).

II. Fit ab illis hæc mutatio vocum, propriè non vocalium ſolùm, ſed & conſonantium atque adeò integrarum vocum ratione, has immutando; ac per conſequens eatenus tantùm Vocalium ratione, quatenus ſc. alia vox alium habet ſenſum, & alias requirit vocales; & nihil aliud ſunt hæc, quàm exempla ejus,

quod ſuprà dictum de Lege, vocalibus deſtitutâ, varios ſenſus admittente.

III. Hæc vocum immutatio & varians lectio, non fit ab ipſis vel ex aliqua dubitatione, vel ex contentione & diſceptatione, quaſi ſc. vel de vera lectione dubitârint, & aliam introducere voluerint, vel de diverſa horum locorum lectione *inter ſe contenderint*, ut Revelator ſcribit lib.1. cap.5. p. 28. neque ſunt *circa variam lectionem alicujus vocis conjectura*, ut iterum ſcribit cap.11. p.90. ſed, ut rectè ac verè ſcripſit Pater meus in Tiberiade cap.9. *quòd literali ac genuina vocis lectioni & explicationi voluerint aliam adjungere; non ad verum vocis ſenſum tradendum, ſed ad alium quendam allegoricum inde eliciendum* עַל דֶּרֶךְ אַסְמַכְתָּא *per modum diſputandi opinabilem, levi ſubſidio, non firmâ probatione ſuffultam.* Quia enim infinitam Verbi Dei amplitudinem eſſe credunt, & hoc principium habent; Ad varios ſenſus ex illo eliciendos, licere hac ratione per vocalium, conſonantium, vocumque immutationem, verba Scripturæ inflectere & contorquere, modò nullus Verbo Dei, vel Analogiæ fidei contrarius ſenſus prodeat, hinc eſt, quòd hanc ſibi libertatem tam licentiosâ manu ſumant. Neque probationis loco hanc novam lectionem in medium proferunt, ſed ſigni tantùm memorialis loco, ut ſc. eſſet סִימָן בְּעָלְמָא לְזִכְרַת דְּבַר הַמְקֻבָּל *Signum aliquod, & memoriale doctrinæ traditæ.* Sic ſcribit de hac re author libri ערוגת הבשם cap.26. ר״זל קִבְּלוּ אִישׁ מִפִּי אִישׁ לִמּוּדִים רַבִּים ודִינִים ולְמַעַן לא יִשָּׁכְחוּ מִפִּיהֶם וּמִפִּי זַרְעָם הִצִּיבוּ לָהֶם צִיּוּנִים ע״פ אָמְרָם אין התּוֹרָה נִקְנֵית אֶלָּא בְּסִימָנִים שֶׁנֶּ׳ שִׂימָהּ בְּפִיהֶם א״ת שִׂימָהּ אֶלָּא סִימָנָהּ וכן הַצִּיבִי לָךְ צִיּוּנִים עָשׂוּ צִיּוּנִים לַתּוֹרָה וְעַל דְּרָכִים רַבִּים הִצִּיבוּ צִיּוּנִים וְהא׳ מֵהֶם הוּא אֵת כַּךְ וְהִסְתַּיְּעוּ מִיִּתּוּר הַכְּתוּבִים לִדְרוֹשׁ מַה שֶּׁקִּבְּלוּ וכו׳ hoc eſt, *Rabbini noſtri, benedicta memoria, acceperunt quiſq; ex ore alterius varias doctrinas variaq; judicia. Ne itaq; hæc oblivione intercciderent vel apud ipſos, vel apud poſteros ipſorum, conſtituerunt ſibi certa ſigna memorialia, juxta iſtud ipſorum vulgatum*, Non comparatur vel acquiritur Lex, niſi per ſigna, *ſicut ſcriptum eſt;* שִׂימָהּ in ore ipſorum, Deut.31.19. *Ne legas* שִׂימָהּ (Pone illud) *ſed* סִימָנָהּ (Signum ejus). *Item;* Statue tibi צִיּוּנִים ſigna, Jerem.31.21. *Fecerunt itaque ſigna & monumenta Legi, & in viis multis conſtituerunt iſta monimenta* (hoc eſt, varios iſtorum ſignorum modos conſtituerunt) *ex quibus hic quoque unus eſt, quando*

ducitur,

dicunt, Ne legas ſic, ſed ſic: *& ex copia Scripturarum auxilium ſibi quæſiverunt, ad explicandum id quod tradiderunt.* Hæc ille. Huc facit quod R. Moſes Ægyptius in libro *More* par. 3. cap. 43. ſcribit de Allegoricis iſtis Rabbinorum expoſitionibus: *Sunt inſtar ænigmatum, quorum ſenſus intelligentibus non eſt dubius: iſta enim docendi ratio illis temporibus admodum trita fuit ac uſitata, E. G. Dixerunt Rabbini noſtri b. m.* Scriptum eſt; ויתד תהיה לך על אזנך Deut. 23. 13. Ne legas אזנך ſed אזנך: docet enim, quòd homo digitum ſuum auribus ſuis infigere debeat, cùm obſcænum aliquod verbum audit. *Mirum equidem eſſet, ſi magnus iſte Doctor Talmudicus R. Kappara, qui hoc dixit, crediddiſſet, verſum hunc ita exponendum & intelligendum eſſe, ut per* יתד *ſive* Paxillum *intelligatur* Digitus, *& per* אזנך Arma, *ſive* Inſtrumenta *intelligantur* Aures. *Non exiſtimo quenquam ſanæ mentis id dicturum. Verum eſt Alluſio & Aenigma elegans, quod hanc nobis doctrinam in mentem revocat: Quâ ratione prohibitum eſt rem obſcænam dicere, eâdem quoque prohibitum eſſe eam audire. Et hoc tanquam parabolam aliquam illuſtrem expoſitioni verſus literali adjecit. Atq; hic eſt ſenſus omnium illarum expoſitionum Allegoricarum, in quibus dicitur,* Ne legas ſic, ſed ſic. Sic ſcribit Aben Eſra in libro יסוד מורא, portâ primâ: כי הגמרא שהוא פי׳ המשנה הוא על דרכים רבים וכלם עד נכונה כי מהגמרא נדע כל המצות אשר יעשה אותם האדם וחי בהם רק אין נכון למשכיל להיותו ריק מחכמת המקרא׃ כי כאשר ימצא בגמרא כתוב שנאמר לא ידע באי זה ספר הוא ואם הוא עד פשט או אסמכתא בעלמא כי ברוב חכמתם ופלפולם יוציאו דבר מתוך דבר והם ידעו הפשט מכל הדורות הבאים אחריהם hoc eſt, *In Gemara, quæ eſt explicatio Miſchnæ, variæ obſervantur viæ* (explicandi Scripturam) *eæq; omnes rectæ ſunt. Nam ex Gemara ſcire poſſumus omnia præcepta, quæ obſervare debet homo, ut per ea vivat. Veruntamen non convenit intelligenti & prudenti, ut imperitus ſit lectionis Biblicæ. Nam aliâs cum in Gemara invenerit ſcriptum;* Sicut dictum eſt; *non ſtatim ſciet, in quonam libro id ſcriptum ſit: vel an id allegetur juxta ſenſum literalem, an verò allegoricè, & per modum vulgaris & communis rationis? Nam Gemariſtæ, pro ſua ſapientia & ſubtilitate, v[illegible] unt rem unam ex altera, meliusq; ſciverunt ſenſum literalem, quam omnes generationes poſt ipſos venientes.* R. Jehuda Muſcatus in Comment. libri Coſri par. 3. ad §. 31. ומה שאמרו אל תקרי כך אלא כך אין להבין ממנו העדר הנקודות

lic; *ex eo minime concludi poteſt,* [illegible]
Nam quamvis clariſſimè & certiſſimè ſciverint, quomodo vox punctata aut punctanda ſit; tamen voluerunt fundare ſuam expoſitionem allegoricam ſuper lectione alia, quæ literis illis applicari & accommodari potuit: omnia verò duntaxat loco qualiſqualis rationis & indicii, vel memorialis. Fusè hac de re etiam agit R. Aſarias in Meor enajim cap.15.fol.75. & 76. ubi inter alia ex additionibus Talmudicis R. Jeſchajæ: הָא לָךְ כְּבוֹאַר שֶׁלֹּא אָמְרוּ הַמִּדְרָשִׁים עַל דֶּרֶךְ אֲמִתַּת וְעִקָּר אֶלָּא לְהַרְבּוֹת טְעָמִים לְמִקְרָא לְדָרְשׁוֹ בְּכָל הַפָּנִים *En clarè hinc vides, quòd Medraſchim ſive expoſitiones allegoricæ Rabbinorum non fiant ab ipſis ſecundum veritatem & fundamentum; ſed ad multiplicandos ſenſus Scripturæ, eamq; quibuſcunque modis exponendam.* Sic ſcribit ר״שבא ſive Rabbenu Schimſchon bar Abraham: כַּוָּנַת חֲכָמֵינוּ בְּמִדְרָשׁוֹת הָאֵלֶּה הִיא לְהַסְמִיכָם אֶל הַכְּתוּבִים בִּלְשׁוֹנוֹת שֶׁלֹּא יִשָּׁכַח זִכְרוֹנָם מִפִּינוּ לֹא שֶׁהָיְתָה כַּוָּנָתָם כְּלָל לְפָרֵשׁ הַכְּתוּבִים כָּכָה: hoc eſt, *Intentio Rabbinorum noſtrorum in allegoricis iſtis expoſitionibus eſt eas certâ ratione in quibuſdam Scripturæ locis fundare, ne memoria illorum oblivione inter nos deperderetur: non quòd ullâ ratione exiſtimârint, loca illa Scripturæ ita exponenda eſſe.* Videantur etiam in hunc ſenſum quædam apud Authorem libri Coſri par.3. ſ. 73. Ex hoc eodem fundamento, *quod Scripturam liceat explicare* בְּכָל פָּנִים שֶׁאֶפְשָׁר *quibuſcunq; modis id fieri poteſt,* profluxerunt ſpecies illæ Cabaliſticæ; *Gematria,* quâ per Literarum æquivalentem proportionem Arithmeticam; *Atbaſch,* quâ per Literarum permutationem; *Notaricon,* quâ per alluſiones & anagrammatiſmos, Scripturam explicant, ut & aliæ, סוֹפֵי תֵּיבוֹת, רָאשֵׁי תֵּיבוֹת, צֵירוּף, תְּמוּרָה &c. Non quòd hujuſmodi ſenſus, quos per has artes eliciunt, primariò ab authoribus & Scriptoribus Sacris fuerint intenti; ſed quòd exiſtiment, ſic licere facere, modò nihil contra fidem, pietatem, & bonos mores inde eliciatur, & quòd hoc pertinere putant ad Majeſtatem Legis ſuæ. Primarium enim fundamentum ſemper ponunt in מִקְרָא ſive פְּשָׁט hoc eſt, ſenſu literali, qui perpetuò cum punctatione convenit, ut mox videbimus. Unde etiam dicunt; אֵין הַמִּקְרָא יוֹצֵא מִידֵי פְּשׁוּטוֹ *Non egreditur Scriptura ulla ex ſenſu*

ſenſu literali ſuo, hoc eſt, *Nullus eſt Scripturæ locus, qui non ſuum habeat ſenſum literalem & ſimplicem.* Pergamus.

IV. In hac regula non admodum neceſſe fuit, ut vel Puncta adderentur, vel Nomina illorum exprimerentur: quia ratio legendi; vera quidem, plana fuit ex contextu Biblico, quam ſemper exprimit prius lemma; fictitia & allegorica, ex præcedenti ſententia, ad quam ſemper poſterius hujus dicti lemma reſpicit & refertur: neque de Punctis illic, ſed de tota Voce eſt quæſtio.

Sed illuſtremus hæc exemplis, ut Lector illorum veritatem ipſemet quoque videre ac dijudicare queat.

In Talmud Tractatu Sota cap.1. fol.4. col. 2. variæ extant ſententiæ morales de Superbia, & Superbis. Quidam Ula dicit inter alios; *Hominem ſuperbum eſſe aut perinde facere*, כְּאִילוּ בָּנָה בָּמָה *ac ſi exſtrueret* במה *excelſum.* Affert pro hac ſua ſententia locum Jeſa. cap.2. v.22. *Deſiſtite ab homine, cujus halitus eſt in naribus ejus: nam* במה *reputatus eſt ipſe.* Ut hoc dictum accommodet ad ſuum propoſitum, addit; *Ne legas* בַּמֶּה *Pro quo*; (ut in textu eſt) ſed בָּמָה *Excelſum.* Vide & in Jalkut ex Beráchoth: Ibi dicit Raf: הַנּוֹתֵן שָׁלוֹם לַחֲבֵירוֹ קוֹדֶם שֶׁיִּתְפַּלֵּל כְּאִילוּ עָשָׂהוּ בָּמָה *Qui ſalutat proximum, antequam oraverit mane, perinde eſt, ac ſi faceret, vel haberet ipſum pro Excelſo* (altari idololatrico). Ad probandum hoc, adducit hunc eundem locum, *ſicut dicitur*; Quia במה reputatus eſt; *Ne legas* בַּמֶּה in quo, (*uti ſc. eſt punctatum, & ſicut legitur*) *ſed* בָּמָה Excelſum (*quomodo etiam abſentibus punctis legi poteſt*).

Ibid fol. 5. col. 1. Mar Ukba hanc profert in eandem rem ſententiam; כָּל אָדָם שֶׁיֵּשׁ בּוֹ גַּסּוּת הָרוּחַ א הקב״ה אֵין אֲנִי וְהוּא יְכוֹלִין לָדוּר בָּעוֹלָם *De omni homine, in quo eſt elatio Spiritus, dicit Deus, Ego & ille non poſſumus una habitare in mundo.* Ad colorem huic ſuæ ſententiæ inducendum, profert locum Pſal.101. v. 5. *Elatum oculis & latum corde*, אוֹתוֹ לֹא אוכל *eum non poſſum* (ſc. ferre), & addit, Ne legas אותו *Eum*, ſed אִתּוֹ cum eo *non poſſum*, ſcil. habitare.

Fol.13. 1. ad Geneſ.49.21. *Naphtali eſt cerva emiſſa, dans verba* שפר (Pulchritudinis) ſcribunt; *Ne legas* שֶׁפֶר Pulchritudinis, ſed סֵפֶר Libri, ad præcedentia verba probanda, per alluſionem.

Fol.12. col. 2. ad locum Pſalmi 3. v. 5. Dentes impiorum שִׁבַּרְתָּ *Confregiſti. Ne legas* שִׁבַּרְתָּ *Confregiſti*, ſed שִׁרְבַּבְתָּ.

Fol.37. col.1. ad verba Pſal.68. v.18. *Benjamin parvus* רָדֵם; ſcribunt; *Ne legas* רֹדֵם *Dominator eorum*; *ſed* רַד יָם *Deſcendit in mare*; ad fabulæ nempe præcedentis illuſtrationem, quâ dixerunt; Cum Iſraëlitæ juxta mare ſtetiſſent, tribus inter ſe litigaſſe, quænam prima tranſiret. Dum hæ ita inter ſe contenderent, tribum Benjamin proſiliiſſe, & primam in mare deſcendiſſe, juxta hoc dictum.

Fol.28. col.2. ſcribunt: אין נותנין כוס של בְּרָכָה לְבָרֵךְ אֶלָּא לְטוֹב עַיִן *Non dant poculum benedictionis, ad benedicendum ſuper eo, niſi ei qui benigno eſt oculo.* Ad hanc ſententiam afferunt locum Prov.22. v.9. *Benignus oculo ipſe* יְבוֹרָךְ; & dicunt; *Ne legas* יְבֹרָךְ Benedicetur; *ſed,* יְבָרֵךְ Benedicet.

Sevachoth fol.115. col.2. ad Exo.29. v.43. *Et ſanctificabitur* בִּכְבוֹדִי; *Ne legas* בִּכְבוֹדִי *In gloria mea*; ſed בִּבְכוֹרַיי *In primogenitis meis*; ad præcedentem illic ſermonem de Primogenitis alludendo, & locum inflectendo, &c.

Sic quamplurimis in locis. Non diſputabo nunc, quàm ritè id à Judæis fiat, &, an licitum ſit in hunc uſum Scripturæ verbis uti, atque inſtar cerei, in qualvis formas & ſenſus eam immutare. Neque id hujus eſt loci, vel præſentis inſtituti.

Hinc verò judicare poterit jam cordatus Lector, hæc & ſimilia loca Talmudica, *nec Eliæ* favére, qui eò videtur inclinare, ac ſi hæc argumentandi ratio ex dubitatione vel contentione aliqua profecta eſſet, *neq; Revelatori*, qui ſubtiliùs ita ſe hinc argumentari poſſe putat; *Quum Talmudici dicunt*; Ne legas ſic, ſed ſic; *nunquam dicunt*; Ne legas ſic per Kametz, Tzere, &c. vel cum Athnach, Sakeph, &c. *expreſſo vocalium & accentuum Nomine, vel eorum figurâ adſcriptâ; ſed ſimpliciter dicunt*; Ne legas ſic, ſed ſic; *expreſſis ſolis & nudis Conſonantium figuris. Ergo nondum exſtabant eo tempore Vocalium & Accentuum figuræ.* Fruſtra, inquam, ſic quoque hinc ratiocinatur Revelator. Non eſt enim illic diſputatio, Cum quibus vocalibus illæ voces legi, pronunciari, aut notari debeant. Itaque non erat etiam locus, illarum nomina commemorandi. Mutatio illa accidit tam in Conſonantibus, quam in Vocalibus, imo magis in Conſonantibus, quàm in Vocalibus, aut ſi alicubi in Vocalibus tantum, id merè fit per Accidens. Unde utrarumque nomina hac ratione exprimi debuiſſent. At Conſonantium nomina quoque illic non comparent; cum tamen extra controverſiam ſit, Conſo-

nantes iſta nomina jam habuiſſe.. Ratio, quia hoc non eſt ipſorum ſtyli. Sed nulla etiam id requirebat neceſsitas. Nam cùm integræ voces mutentur, & quidem magis Conſonantium, quàm Vocalium reſpectu, & ex præcedenti ſententia ſemper liquere poſſit, quonam in nova hac lectione, quam in veræ locum ſubſtituunt, reſpiciant, quia hæc ſemper ad præcedentem ſermonem refertur; facile cuilibet eſt divinare, quomodo voces illæ legendæ ſint. דוק ותמצא.

Quod verò Arcani Revelator addit; *Illos etiam debuiſſe Accentuum Nomina vel Figuras in hujus Axiomatis exemplis apponere*; eo prodidit, ſe non accuratè ſatis iſta exempla examinaſſe. Nullum enim hactenus mihi ſe exemplum in hoc Axiomate obtulit, in quo ex Accentuum ratione vel immutatione aliquid elicere, vel probare aut illuſtrare conentur..

Nihil itaque ad rem facit prima hæc Regula Talmudica.

Secundum Axioma Talmudicum quod proferunt, hoc videlicet; יש אם למקרא יש אם למסורת *Eſt mater Lectionis: & eſt mater Maſoræ vel Traditionis*; non magis ad rem facit, quàm præcedens. Imperitam & impertinentem ejus explicationem, quam Revelator, ex neſcio quo, adducit, & confutat, miſſam facimus. Nam nec anonymus ille Author, nec Revelator, hujus effati vim eſt aſſecutus.

Senſum ejus ut rectè aſſequamur, tres hæ veniunt conſiderandæ voces 1. אם, 2. מקרא, 3. מסורת.

1. Vocem אם quæ *Matrem* propriè ſignificat, Hebræi hic explicant per עקר *Radix*, *Fundamentum*, *Principium*; *Senſus* ſcilicet hujus loci, cui ſit ad ſcopum præſentem innitendum. Author libri כריתות *Kerithut* fol. 9. col. 1. ſcribit, *Matrem vocari, non Patrem, quòd primò & immediatè pariat & edat ſenſum eum, cui ſit innitendum; ut mater immediatè liberos in lucem edit; pater verò mediante matre.*

2. Per מקרא *Mikra*, intelligunt Textum Biblicum, ſeu communem & receptam legendi rationem ſecundum puncta regularia, ſicut illa in Textu Biblico habetur & exprimitur. Uno verbo, *Literam, Literalem ſeu Grammaticam lectionem & ſenſum.*

3. Per מסורת Maſſoreth, *Traditionem*, innuunt Myſticam & allegoricam aliquam vocis illius expoſitionem; vel ſecundum eaſdem

dem quidem conſonas, ſed aliis vocalibus animatas; vel in alium ſenſum aliâs tractas & explicatas per Traditionem aliquam, ſeu à Maſorethis, ſeu ab aliis, acceptam.

Uſus verò hujus Axiomatis Talmudici hic eſt. Cùm de re ſeu quæſtione aliqua diſputant, ac in diverſas ſententias abeunt, ſæpè accidit, ut uterque duorum diſſentientium fundamentum ſuum in uno eodemque Scripturæ loco, imò & in eadem voce, ponant; Unus ſc. in communi & receptâ lectione; Alter in lectione myſticâ & allegoricâ, eadem illâ voce, aliis vocalibus animatâ, vel aliter explicatâ; Prior dicit, יֵשׁ אֵם לַמִּקְרָא *Eſt mater Lectionis*, q.d. *Mea ſententia innititur communi & receptæ lectioni, cum punctis & vocalibus propriis*, Senſui Literali; Poſterior dicit; יֵשׁ אֵם לַמָּסוֹרֶת *Eſt mater Traditionis*; q.d. *Ego meam ſententiam elicio & educo ex ſenſu myſtico, & lectione vel expoſitione aliquâ per Traditionem accepta, quâ didici, hanc vocem, pro infinita fæcunditate Legis, ſic quoq; poſſe legi & explicari.*

Hîc verò probè notandum & obſervandum, quòd utriuſque hujus Principii non eadem ſit authoritas & ſoliditas. *Primarium* principale & perpetuum fundamentum eſt מִקְרָא *Lectio communis & recepta* in textu Biblico, ſenſum ſimplicem & literalem explicans. Huic ſemper innituntur, in hoc perpetuò verum fundamentum ponunt. *Secundarium* & minus principale eſt מסורת *Traditio*, Expoſitio myſtica, allegorica, vel Cabaliſtica. Quando hoc priori contrariatur, & illud evertit, nulla ejus habetur ratio, ſed fundamentum manet in מִקְרָא: quando verò ei ſubordinatur, & ſimul cum eo conſiſtere, atque conciliatio aliqua inter utramque lectionem inſtitui poteſt, utrumque admittunt. Et hoc putant eſſe de ſumma Majeſtate Legis, quòd una & eadem vox, iiſdem literis ſcripta, plures veros, ſanos, nec inter ſe pugnantes ſenſus, parere & admittere poſsit. Hinc ſæpè duobus diſſentientibus, & ad iſta principia provocantibus, ſupervenit tertius, qui dicit; יֵשׁ אֵם לַמִּקְרָא וְיֵשׁ אֵם לַמָּסוֹרֶת *Eſt mater Lectionis, & eſt mater Traditionis*, q.d. Utraque hîc lectio, utraque expoſitio poteſt retineri, neque ſententiæ hæ ſunt contrariæ, ſed ſubordinatæ, unde utraque ſuum locum habere poteſt, non quidem æqualiter & æquali authoritate, ſed ſuo modo, gradu, & reſpectu.

Ut dictis fidem faciamus, audiamus Hebræos ipſos de hac re loquentes.

In

In Sanhedrin fol. 4. col. 1. ubi hoc Axioma occurrit, in deciſione cujuſdam quæſtionis, ubi Maſora ſeu Traditio Lectionem literalem evertit; notat R. Salomon; בתר קריי אזלינן שהיא עקר hoc eſt, *Sequimur Lectionem* (ſc. vulgarem, ſecundum puncta) *quia illa eſt fundamentum, vel principalis.* Et in Toſephos; הכא שמקרא ומסורת מכחשי אהדדי איכא להו יש אם למקרא אבל היכא דלא מכחשי אהדדי דרשי תרווייהו hoc eſt, *Hîc, ubi Lectio recepta, & Maſora ſeu Traditio* (hoc eſt, expoſitio myſtica per Traditionem aliquam accepta) *ſe invicem deſtruunt & evertunt, dicunt*; Eſt mater Lectionis (hoc eſt, ſequuntur Lectionem receptam): *in locis verò, in quibus ſe mutuò non deſtruunt, exponunt vel admittunt utramque.* Exemplum hujus eſt in Seváchim fol. 37. col. 2. אהני מקרא ואהני מסורת *Juvat hîc Lectio, & juvat Maſóreth.*

In Peſachim fol. 86. 2. ſcribunt iterum Toſephos; הכא דליכא למידרש אלא חד דריש מקרא *Ubi non poteſt exponi niſi unum* (hoc eſt, ubi non niſi una vel alterutra expoſitio admitti poteſt) *exponitur Lectio* (vulgaris & recepta). R. Salomon verò notat; ר' שמעון סבר יש אם למסורת שמסר אונקלוס הגר h. e. *R. Simeon exiſtimat eſſe matrem Maſoræ ſeu Traditionis, quam ſc. tradidit Onkelos proſelytus.* Ubi nota, *Maſoram* ſeu *Traditionem* hîc ipſi eſſe expoſitionem Onkeli, paraphraſtæ Chaldæi.

In Kiddúſchin fol. 18. col. 2. ubi agunt de voce בבגדו Exo. 21. v. 8. *Quidam* eam exponunt ex ſignificatione Nominis בגד *Veſtimentum*, (ac ſi ſc. eſſet nomen בגד cum pronomine tertiæ perſonæ ו; ſecundum ſcil. punctationem & lectionem communem, quæ hunc ſenſum regulariter poſtulat): *Alii* volunt habere ſignificationem *Prævaricandi* (ut ſcil. ſit Infinitivus à verbo בגד, cum affixo Pronomine ו, ſicut dicitur בפגעו, Num. 35. 19. 21.) *Alii* utramq; ſignificationem conjunxerunt. Hinc ſcribitur: ר' אליעזר סבר יש אם למסורת ור' עקיבא סבר יש אם למקרא ור' שמעון סבר יש אם למקרא ולמסורת hoc eſt, *R. Elieſer exiſtimat, eſſe matrem Maſoræ* (hoc eſt, ſecutus eſt Maſoram, ſeu expoſitionem aliquam Traditione receptam, quia exponit ex ſignificatione *Prævaricandi*): *R. Akiva exiſtimat, eſſe matrem Lectionis* (hoc eſt, ſequitur lectionem receptam, quam puncta regulari formâ exprimunt, exponendo *Veſtem*): *R. Simeon verò arbitratus eſt, eſſe matrem Maſoræ, & Lectioni*, (hoc eſt, utramque expoſitionem hîc poſſe locum ha-

bere). Videatur de hoc exemplo etiam R. Bechaj folio 94. colum. 1.

Hîc notandum contra nonnullos, per מַסֹּרֶת intelligi *Maſoram* vulgò ſic dictam, ejuſq; expoſitionem, quæ vult בבגדו hîc eſſe ex ſignificatione *Prævaricandi*. Annotat enim ad hanc vocem Maſora, ב׳ בְּתְרֵי לִישָּׁנֵי, hoc eſt, *Bis occurrit in Bibliis*, (in loco ſcil. præſenti Exo. 21. 8. & Geneſ. 39. 12.) *& in duplici ſignificatione*. Atqui in loco Geneſeos ſine controverſia ſumitur pro *Veſtimento*. Ergo vult, in hoc loco eſſe ex ſignificatione *Prævaricandi*.

Sic uſurpat hanc loquendi rationem R. Salomon 2. Par. 22. 11. de notis Keri & Ketif. Citat illic locum 2. Reg. 11. 2. in quo verſu in textu ſcribitur הממותים & in margine Keri, המומתים. Dicit ergo: *Scriptum eſt* הממותים, *&* המומתים *legimus*; ויש אם למקרא *& eſt mater* (ſenſus) *lectioni* (i. e. voci ſcriptæ in textu) ויש אם למסורת *& eſt mater Maſoræ* (i. e. voci notatæ in margine, τῷ Keri). Poſtea utriuſque ſenſum explicat. Et hîc ergo מסורת pro *Maſora* ſumitur. Ut hinc colligatur, τῷ Keri & Ketif rationem R. Salomoni eandem eſſe quæ hujus axiomatis. Simile exemplum in eodem vide Jobi. 19. v. ult.

Aliud exemplum axiomatis hujus vide in Succa fol. 6. col. 2. ubi Toſephos iterum eadem notant quæ antea.

Ex his itaque apparet, has voces non fuiſſe ipſis ambiguæ lectionis, neque hoc dicto denotari *variam vocis dubiæ lectionem*, ut Revelator ſcribit. Perpetuò enim innituntur למקרא *Lectioni* receptæ, ſecundum puncta, nec unquam admittunt מְסוֹרֶת Lectionem aliquam, quæ ſecundum conſonas effingi & efformari poteſt, niſi quando ea non deſtruit מִקְרָא Lectionem uſitatam, literalem.

Atqui, inquit Revelator; *hic erat locus vel Nomina Punctorum commemorandi, quibus utraque vox ſcribitur, aut legi poteſt, vel ipſas Vocalium notulas appingendi, ſi aliquæ tùm extitiſſent. At neutrum faciunt.*

℞. 1. Fateor, majorem hîc fuiſſe cauſam alterutrum horum faciendi, quàm in præcedentis axiomatis exemplis: quia eaſdem hîc conſonas retinent, ſed aliis vocalibus veſtitas.

Neutrum verò factum fuiſſe à priſcis Talmudicis, nondum ſufficienter probatum eſt. Nam quis ſcit, annon olim additæ fuerint vocales iſtis vocibus in quibuſdam libris Talmudicis? Ab authoritate

ritate impreſſorum Codicum Talmudicorum, ad primam & veterem ſcriptionem, mihi non firma videtur conſequentia.

2. Dico: Erat locus nomina Punctorum commemorandi, & non erat: potuerunt hoc facere, & potuerunt quoque commodè intermittere: quia non urgens hîc erat neceſsitas. Nam ex præcedentibus & conſeqq. totaque adeò diſputationis ſerie, mens illorum, & quomodo vocem illam legi voluerint, non obſcurè patuit. Non diſputant Grammaticè, vel de forma vocum, ſed de ſenſu.

3. Si ſtrictè quis cum Revelatore agere vellet, propriis ipſum poſſet verbis conſtringere, & dicere; Extitiſſe tùm quidem Puncta, ſed in Talmudicis libris & diſputationibus prudenter omiſſa fuiſſe, quòd Religione quadam à Punctis abſtinuerint in cæteris libris, præter Biblia. Ad exceptionem enim quorundam, quâ excipiunt; *Nec à Scholiaſtis etiam uſurpari Vocalium aut Accentuum figuras, quamvis certum ſit, eos eſſe figuris recentiores*; ſic reſpondet Revelator cap. 5. §. 12. *Cauſam eſſe hanc, quia Vocalium figuræ non ſunt à Maſorethis excogitatæ, niſi ut earum ſubſidio juvetur Lector in textu ſacro Biblico legendo, non verò ut iis juvetur in aliis libris legendis. Hinc eſt, quòd non uſurpantur à Judæis, niſi in ipſo ſacro textu, & quidem intra textus ipſius ambitum. Nam ne quidem uſurpantur in Vocibus textus, Commentariis interſperſis. Religione itaq; quadam tenentur hac in parte Commentatores, ut ne quod in ſacrum duntaxat uſum excogitatum & primò uſurpatum eſt, adhibeatur in communem & prophanum veluti uſum.* Hoc, inquam, poſſet fortè quis Revelatori reponere: quâ enim ratione hodiè, ex ipſius ſententia, prudenter & religione quadam, etiam in Commentariis Biblicis omittuntur: eadem ratione dici poſſet, omiſſa illa jam olim fuiſſe à Talmudiſtis in diſputationibus ſuis, quòd ab Eſra ad ſacræ lectionis uſum duntaxat excogitata fuerint. Sed nolumus eo telo uti, quia ceu hebes & leve experientiâ ipſâ refutatur. Nam & in quibuſdam nonnullorum Commentariorum editionibus aliquæ voces, quando nimirum neceſsitas requirit, conſpiciuntur punctatæ, & libri Precum Judaicarum omnes, ut & plures alii, etiam prophani libri, punctati extant, ut eſt liber משלי שועלים : מחברות עמנואל, &c. Unde hac reſponſione prodidit, ſe non valdè multos libros Hebræos vidiſſe, & hoſpitem in Judæorum Bibliothecis eſſe.

Tertius locus Talmudicus, qui in hanc rem ab Elia & aſſeclis ejus profertur & urgetur, extat in Bava bathra cap.2. fol.21. In Hiſtoria Regum lib.1. cap. 11. v. 15. legimus, Joabum, militiæ Davidis ducem, intra paucorum menſium ſpatium, excidiſſe omnes *mares* Idumæorum, &c. Hujus hiſtoriæ ſacræ occaſione, hanc Talmudici per Traditionem propagarunt fabulam : כִּי אֲתָא לְקַמֵּיה דְּדָוִד אָמַר לֵיהּ מַאי טַעֲמָא עֲבַדְתְּ הָכִי אָמַר לֵיהּ דִּכְתִיב תִּמְחֶה אֶת זְכַר עֲמָלֵק אָמַר לֵיהּ וְהָא אֲנַן זֵכֶר קָרֵינַן אָמַר לֵיהּ אֲנָא זְכַר אַקְרִיוּן אֲזַל שַׁיְילֵיהּ לְרַבֵּיהּ אָמַר לֵיהּ הֵיאַךְ אַקְרִיתָן אָמַר לֵיהּ זְכַר שָׁקַל סַפְסֵירָא לְמִקְטְלֵיהּ אָמַר לֵיהּ אַמַּאי דִּכְתִיב אָרוּר עֹשֶׂה מְלֶאכֶת יי רְמִיָּה אָמַר לֵיהּ שַׁבְקֵיהּ לְהַהוּא גַּבְרָא דְּלִיקוּם בְּאָרוּר אָמַר לֵיהּ כְּתִיב וְאָרוּר מוֹנֵעַ חַרְבּוֹ מִדָּם וְקַטְלֵיהּ id eſt, *Quum veniret* (Joab) *in conſpectum Davidis, dixit ipſi David; Quæ eſt cauſa, quòd ſic feciſti? reſpondit ipſi: propterea quod ſcriptum eſt,* Delebis זְכַר maſculum Amalek, Deut.25.19. *Dixit ipſi David: Sed ecce nos legimus* זֵכֶר memoriam. *Reſpondit Joab: Me* זְכַר (maſculum) *docuerunt legere, ivitq́, ſtatim & rogavit Præceptorem ſuum, dicens; Quomodò docuiſti me legere? Reſpondit* זכר Memoriam. *Arripuit ergò gladium ſuum, ut eum occideret. Dixit Præceptor; Quamobrem? Reſpondit, ſicut ſcriptum eſt,* Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, Jerem.48.10. *Regeſſit præceptor; Permitte ergo alteri alicui, ut inſurgat contra hunc maledictum: Reſpondit Joab, Scriptum eſt ibidem;* Maledictus, qui cohibet gladium ſuum à ſanguine. *Sic interfecit eum.*

Ex hoc loco concludit Elias; *Ergo, ſi habuiſſent Puncta, & ſcriptum fuiſſet* זֵכֶר *cum ſex punctis, minimè credibile eſt, illum legere & pronuntiare potuiſſe,* זְכַר, *quod tam certum eſt, quàm certò vivo,* inquit.

Reſpondet *Eliæ Pater meus*, ex Præſtantiſſimorum Rabbinorum, R.Salomonis ben Adrat, Rabbenu Niſsim, & R.'om tof bar Abraham ſententiâ; Præceptorem illum non erraſſe in lectione ſua, ſed non attendiſſe ad diſcipulum pravè legentem: deinde, quòd non ſtatim ſequatur, codicem non fuiſſe punctatum, quia talis error potuit etiam præſente libro punctato accidere, diſcipulo errante, & Præceptore non attendente, quòd item facilè fieri potuerit, ut librum habuerit Scripturæ obſoletæ & evanidæ: inſuper, quòd hæc hiſtoria ſit anile figmentum, & commentum Rabbinicum, ac proinde non tanti roboris aut ponderis, ut aliquid inde concludi poſsit vel debeat.

Addo ego; Si maximè hoc admitteretur, ferret iſtud argumentum eos duntaxat, qui Punctorum originem vel à Moſe, vel ulteriùs, arceſſere conantur; non verò eos, qui illa Eſræ adſcribunt. Imò ne illos quidem neceſſariò lædit, quia ſimul hoc quoque ſtatuunt; Licet puncta extiterint, tamen vel non uſitatum, vel non licitum fuiſſe, illa in omnibus codicibus apponere.

Adhæc, annon fieri etiam potuit, ut licet punctatum codicem habuerint, tamen is fortaſsis Scribæ incuriâ & oſcitantiâ depravatus in eo loco fuerit, vel libri inter ſe diſcrepârint? Sic R. Iſaac bar Scheſchet, in ſuis Quæſtionibus & Reſponſionibus, cuidam quærenti ex hoc, & alio ſimili loco, in עבודה זרה, (ubi quæſtio eſt inter R. Iſmaelem & R. Akivam; utrum Cantic. I. v. 2. legendum ſit דודיך an דודיך?) Annon ex illis argui poſsit, codices ipſorum non fuiſſe punctatos? Reſpondet: אף אם הספרים שלהם היו נקודים
אינו קשה אי טעי רבי עקיבה בקריאת אותו פסוק שהרי אפשר
שהיה מחלוקת בזאת המלה בספריהם כמו שיש היום בהרבה
מלות בין מערבאי למדינחאי ובין בן אשר ובן נפתלי, והלא
בחלוף התיבות היה מחלוקת בספרים והיה ספק לחכמים והצרכו
ללכת אחר הרוב וכו' h. e. *Etiamſi libri ipſorum fuerint punctati, tamen non fuit impoſſibile, ut R. Akiva erraret in lectione illius verſus: Nam fieri poteſt, ut diſſenſio ac diſcrepantia circa hanc vocem fuerit in libris ipſorum, ſicut etiamnum hodiè eſt in multis vocibus inter Orientales & Occidentales, ut & inter Ben Aſcher & Ben Naphtali. Et annon varia circa multas voces olim in codicibus erat lectio, de quibus dubitatio erat inter ſapientes, ut neceſſe habuerint ſequi majorem exemplarium partem, ſicuti legimus in Tractatu* סופרים Scribarum, &c. *Sic etiam*, inquit, *non mirari debes de illo Joabi, &c.* Hìc tamen præcedentem reſponſionem poſtea quoque affert & probat. *Et ſic reſpondetur Eliæ.*

Aliter verò iterum arguatur hîc *Revelator*, ut ſuprà; nempe, non ex ipſa Hiſtoria, ſed ex ſcriptione Talmudica, hoc pacto;

Si Talmudiſtarum tempore fuiſſent punctati codices, tùm eo loco, ubi fabulam illam de Joabo narrant, figuras vocalium Kametz & Segol addidiſſent voci זכר, *vel ſaltem nomina illarum expreſſiſſent. At neutrum ab illis factum.*

At ego reſpondeo iterum, ut antea; *Primò*, Conſequentiam non eſſe firmam. Nam hodiè extant figuræ vocalium, & tamen in libris Talmudicis impreſsis non adduntur: quare? quia par-

tim ex libris punctatis addiſcuntur, partim ex doctrina & inſtitutione orali.

Secundò, per contrariam inſtantiam; & concludo ego hinc, Puncta neceſſariò tunc fuiſſe, (cùm Talmud ſcripto mandaretur; ut nempe, cùm oraliter non poſſet ampliùs, per Scripturam propagaretur;) ſive in Bibliis punctatis, ſive etiam in Talmud ipſo. Nam ſi puncta non fuiſſent, cùm ad diſcrimen harum vocum rudioribus inſinuandum, ut alibi, adhibuiſſent אמות הַקְּרִיאָה *matres lectionis*; ut E. G. זָכָר expreſsiſſent זאכאר inſerto Aleph: Sic in Avoda Sara fol. 29. col. 2. ubi quærunt, an Cant. 1. 2. legendum ſit, דּוֹדֶיךָ an דּוֹדֶיךָ, ſanè Orthographiæ ratio requiſiviſſet, ut in דּוֹדֶיךָ poſita fuiſſent duo Jod, דוד״ך ad differentiam alterius. Hoc verò non factum: quare? quia differentia vel ex ſenſu patere potuit, vel ex libris punctatis, vel ex inſtitutione orali addiſci. Si quis hinc concludere vellet, uſum Matrum lectionis tunc nondum fuiſſe, annon exploderetur à Revelatore? Cur non ergo pari jure nobis licet dicere, Ex abſentia punctorum non ſatis firmum argumentum duci pro illorum non-exiſtentia?

Ita ſatis ventilata ſunt quoque Teſtimonia muta, ex Cabaliſtis & Talmudicis deſumpta.

Caput VII.

De Argumento pro Punctorum Novitate ex Antiqua Scriptura Hebraica, quæ hodierna eſt Samaritana, deducto.

PRobare adnititur Arcani punctationis Revelator, ſuam cauſam quoq; ex eo; quòd Vetus Hebræorum Scriptura ſit ea, quâ hodiè Samaritani utuntur. Ea verò cùm punctorum vocalium & accentuum notis careat, concludit, fruſtrà magnam punctis antiquitatem tribui.

Quæ

Quæ de hac quæſtione ſit Hebræorum ſententia, pro virili diſcuſsimus in noſtra de Literis Hebræorum Diſſertatione.

Obſervet tamen eruditus Lector, Revelatorem hic iterum, ut & aliâs, à ſuis in hac cauſa Patronis ſecedere, ſingularemque viam quærere.

Elias etenim, quem pro Numine in Punctorum cauſa veneratur, nec Literarum Samaritanarum authentiam, vel hodiernarum Hebraicarum novitatem agnoſcit: nec iſto argumento, ad cauſam ſuam adſtruendam, utitur; quamvis procul dubio non ignoraverit, quid in Talmud de iſta controverſia extet. At hoc myſterium ei non fuit revelatum, quòd hinc evinci poſsit, Puncta demum à Maſorethis, aliquot à Chriſto nato ſæculis, Tiberiade inventa eſſe.

Joſephus Albo, quem in controverſia de Literis pro ſimulachro ſuo habet, aſſerit quidem, Samaritanas hodiernas eſſe veteres Hebræorum literas; & hodiernas Hebraicas ab Eſra demum, in memoriam captivitatis Babylonicæ, liberationiſq; ex eâ, eſſe introductas: ſed Punctorum Novitatem tamen inde non adſtruxit; multò minùs illorum mobilitatem & incertitudinem, ut à quovis pro lubitu mutari poſsint, ſi ex mutatione illa melior videretur emergere ſenſus. Quin potiùs his contraria ſtatuit, ut alibi in hoc Tractatu teſtimonium ejus adducemus. Ita ut hic quoque Regnum Novatorum ſit diviſum.

Sed & de *Hieronymo*, qui Chriſtianis hanc de Literis Hebræorum mutatis ſententiam authoritate ſuâ perſuaſit, incertum, an ex Revelatoris noſtri, per omnia, ſtet partibus. Revelator ſtatuit, & pro fundamento ponit, Samaritanam Scripturam fuiſſe olim Punctorum vocalium & Accentuum notis deſtitutam. An idem quoque ſenſerit D. Hieronymus, nos in dubium vocamus infrà cap. 11. & dubitationem noſtram, non ſolùm verbis D. Hieronymi ipſis, ſed & magnorum virorum, Theodori Bibliandri, Marci Marini, & Guilelmi Poſtelli authoritate ſuffulcimus, qui noſtro ſenſu verba D. Hieronymi exponunt.

Ad hæc, utut iſta ſe habeant, tamen non ſatis eo argumento probatur; Puncta non ab Eſræ inde temporibus in uſu fuiſſe; imò videant adverſarii, annon præjudicio ſeipſos hac aſſertione gravent.

Nam, cùm dicant, hodiernas literas Hebraicas, fuiſſe olim literas Aſſyriorum, hoc ipſis quoque probandum incumbit, iſtas veterum

terum Aſſyriorum literas olim vocalibus fuiſſe deſtitutas. Nam quidni dici poſsit, illos vocales habuiſſe, & quidem hæc ipſa puncta, & illa fuiſſe unà cum Scriptura conſonantium, ab Eſra apud Hebræos introducta, & Judæis ſuppeditata. Probabilitatem huic ſententiæ conciliare poſsit, quòd & Nomina Vocalium, ex ipſorum adverſariorum ſententia, ſint Babylonica. Ergo videntur omninò ab illis populis originem ſuam ducere. Quando autem id fieri commodiùs potuit, quam tum temporis, cùm Literarum quoque uſus ab ipſis fuit mutuatus?

Ergo non ſatis adhuc probant, quando hoc ſolùm probant, Samaritanorum characteres, qui Veteres ipſis ſunt Hebraici, vocalibus, ſeu punctis eſſe deſtitutos. Idem de Aſſyriorum charactere ipſis eſt faciendum.

Adhæc, poſito, non conceſſo, Aſſyrios iſta puncta vocalia non habuiſſe, cur non etiam magna cum veri ſpecie prætendi poſsit, Eſram, ut novæ & Judæis inſolitæ Scripturæ facilitatem conciliaret, & in lectione Scripturæ Sacræ, omnes errorum fontes & occaſiones præcluderet, ipſummet has figuras excogitaſſe, Verbo Dei addidiſſe, & Babylonicis nominibus ad poſterorum memoriam commendaſſe?

Sed nolumus nunc circa hoc Argumentum eſſe prolixiores. Quia enim viſum eſt Revelatori Diſſertationem iſtam noſtram de Literis peculiari Diatribâ examinare ac ventilare, hinc occaſio fortaſsis, Deo favente, nobis quoque dabitur, prolixiùs, quid de hac Quæſtione ulteriùs ſentiendum ſit, alibi exponere.

Caput VIII.

In quo agitur de Argumento, quo Novitatem Punctorum demonſtrant, ex marginalibus Notis, קרי וכתיב *Keri Uketif dictis.*

PErgunt Punctorum Novatores, & porrò pro Muto Teſtimonio producunt Marginales illas Sacrorum

rum Bibliorum notas, *Keri uketif* dictas, varias lectiones, ut communis fert ſententia, indicantes. Quid hæ ſint, quæ illarum ratio, quæ cauſæ, unius capitis anguſtiis vix includi & comprehendi poſſet. Neque etiam ut argumentum hoc plenè hic tractetur, eſt neceſſarium. Differimus illud in peculiarem locum.

Hinc verò ſic argumentantur;

Conſtat, notas illas eſſe antiquas, & numero ſatis copioſas; (utpote quarum Talmudici ſæpiùs meminerunt, & magna earum pars, quæ hodiè in Bibliorum margine notata eſt, jam olim ab ipſis obſervata & indicata eſt;) nulla tamen harum notarum, ſeu Variarum Lectionum, eſt circa Vocales aut Accentus, ſed omnes verſantur circa nudas conſonas;

Itaque non eſt probabile, cùm illæ notæ fierent & conſcriberentur, figuras Vocalium vel Accentuum in uſu fuiſſe.

Nam 1. ſi harum notarum cauſa fuiſſet Myſterium aliquod occultum, quidni talia æquè ex Vocalibus & Accentibus captari potuiſſent?

2. Si notæ marginales iſtæ ſunt correctiones vocum vitioſè ſcriptarum; procul dubio tales voces corrigendæ æquè & magis occurriſſent circa Vocales & Accentus; cùm longè proclivius ſit in his errare.

3. Ita ſi notæ iſtæ ſunt Variæ Lectiones ex diverſorum codicum collatione ortæ, probabiliter ſanè colligitur, longe crebriores diſſenſiones futuræ fuiſſe reſpectu Vocalium & Accentuum, quàm Conſonantium.

Ergò antiquitùs non fuerunt puncta ullo modo.

Ad hoc argumentum reſpondeo, illud non ſatis firmiter conſtringere Hebræos, qui pro Antiquitate punctorum militant.

Nam *Primò*, quod eos attinet, qui Puncta vel unà cum Literis nata, vel Legem à Moſe jam punctatam fuiſſe, ſtatuunt, illi ſimul hoc volunt, non adſcripta fuiſſe vulgo omnibus exemplaribus, ſed in arcanis & archivis illa reſervata, oraliter verò propagata fuiſſe, quòd Puncta habita fuerint pro parte Legis oralis, ut ſuprà ex Hebræis oſtendimus. Quod ſi ita eſt, non tam frequentes errores hic committi potuerunt.

Secundò, quoad illos, qui Eſram authorem & inventorem Punctorum faciunt, eos planè non ferit iſtud telum. Nam cùm idem Eſras à pleriſque ſtatuatur author notarum iſtarum marginalium, ſi non omnium, ſaltem plerarumque & præcipuarum, quomodo

vel errores circa Puncta & Accentus invenire, vel varias lectiones in codicibus obſervare potuit? Et annon, ut Abarbenel ſcribit, primò potuit exemplaria conferre, & lectionem circa conſonas firmam conſtituere, poſtea demùm ad puncta apponenda progredi, quæ legitima ſanè videtur Scripturam reſtituendi ratio?

Imo hæ notæ, ſiquidem, ut conſtans eſt Hebræorum ſententia, ab Eſra ſint profectæ, eundem valdè probabili ratione punctorum authorem quoque faciunt. Nam ſi tum temporis nulla fuerunt ſigna punctorum vocalium, quomodo voces diverſæ ſcriptionis & lectionis ab omnibus ſine errore legi potuerunt, veluti שימה quod legitur שִׂימָה, id eſt, שׂוּמָה, 2. Sam.13. v.32. Sic לֹא לוֹ, 2.Sam.19.7. &c. Non enim legitur שִׂימָה vel לֹא, ut literæ deſignant, ſed שִׂימָה, לֹא. Quis ſine punctis hoc divinare potuit? Sic ſi voces illas conſideremus, quarum vocales ſolæ adſcriptæ & contextui ſacro inſertæ ſunt, ſanè non videtur probabile, ab alio id, quàm à viro aliquo Propheticæ authoritatis, fuiſſe factum. Qui enim adeò recentes authores tam audaces fuiſſent, ut textui ſacro aliquid inſeruiſſent, de cujus *αὐθεντίᾳ* dubitaſſent? cur non puncta illa adſcripſerunt ſimul conſonis in margine poſitis? &c. Sed nolo nunc ad ſpecialia devenire.

Tertiò, non admittunt Hebræi hanc conſequentiam; *Si harum notarum cauſa fuiſſet myſterium aliquod; tùm æquè captari potuiſſent ejuſmodi myſteria in Vocalium & Accentuum Figuris.* Nam neque in Conſonantium figuris, ut ſuprà quoque docuimus, hîc propriè quærunt aut inveniunt myſteria Hebræi, ſed in Conſonantibus & Vocalibus ſimul, hoc eſt, in tota voce, dum oſtendunt, utramque lectionem certum & commodum exhibere ſenſum, atque utile aliquid docere ac monere. Et hæc ſunt illa myſteria, quæ Hebræi in his diverſis lectionibus volunt recondita. Hinc, ut ſuprà duobus exemplis oſtendimus, R. Salomon in eodem prædicamento videtur collocare notas has *Keri & Ketif*, & axioma illud Talmudicum, יש אם למקרא ויש אם לְמָסוֹרֶת. In hanc ſententiam abit quoq; R. Samuel Arcuvolti in Arúgas habbóſem, quòd diverſæ lectiones iſtæ faciant vel inſerviant להוסיף לְקַח עַל פְּשַׁט הַכָּתוּב *ad doctrinam aliquam ſuperaddendam ſenſui Scripturæ literali*, & לְהַעֲשִׁיר אֶת אֲמָרִים בלמודים מִתְחַלְּפִים *ad ditandum vel locupletandum dicta ſacra doctrinis variis.* Sed, ut ab initio dictum, alibi,

alibi, Deo conatibus noſtris favente, fuſiùs de his agemus; neque paucis explicari poſſunt. Nam, ut rectè alicubi ſcribit R. Aſarias; לא כלם נהיו מסבה אחת ולתכלית אחד *non omnes iſtæ notæ contigerunt ex una & eadem cauſa, neque etiam ad eundem finem*, in Meor enäjim cap. 28.

Quartò; Si hæ notæ indices ſunt dubiæ Lectionis, & varietatis exemplarium, & Puncta ſunt à recentibus Maſorethis poſt-Talmudicis addita; cur perpetuò Voci in Textu ſcriptæ addiderunt puncta Voci marginali competentia? Cur ubique hac punctatione conſtanti ſanciverunt in Lectionibus variantibus, adeoque ſæpè dubiis, Lectionem invariatam & certam? Cur non vel ſemel variaverunt, ut vel neutram vocem, vel Textualem, quando nihil in ea vel dubii vel inconvenientis, ſecundum conſonantes ſuas punctarent? Aut cur non vocem marginalem ipſam, quam legi voluerunt, punctarunt, vel illam ceu legendam, Textui inſeruerunt, alteram verò, quam legi noluerunt, in marginem expoſuerunt? Hac enim ratione notæ iſtæ revera dubiam lectionem indicare videri potuiſſent. Sanè hæc Criſeos ratio non videtur opus adeò recentium, adeò obſcurorum Virorum, quorum ne ullo quidem verbo, aut indicio, meminerit Hiſtoria Hebraica. Cui fiat veroſimile, Tiberienſes quoſdam Magiſtellos privatos, privatâ authoritate, tantam ſibi licentiam, tantam poteſtatem ſumpturos? aut ſi id feciſſent, non ejus rei rationem reddituros, & poſteris tradituros fuiſſe?

Dices; *Illos, ut ſic facerent, per Traditionem* πατροπαράδοτον *accepiſſe.*

Ego verò hoc nego: Nam Traditiones illæ orales authenticæ non durarunt & continuatæ ſunt uſq; ad illorum ſæculum: deinde nego, hanc Traditionem univerſalem fuiſſe. Nam ſi id fuiſſet, tum procul dubio Paraphraſtæ Chaldæi, Maſorethis antiquiores & præſtantiores, eam nec ignoraſſent, nec neglexiſſent vel contempſiſſent. Conſtat autem & probari poteſt, Jonathanem in ſua Paraphraſi non ſolum τὸ *Keri*, ſed aliquando etiam τὸ *Ketiſ*, ſeu vocem marginalem exprimere.

Quintò; Non concludit hoc argumentum omne id quod concludendum erat. Hoc enim duntaxat ex eo ſequitur; *Ergo exemplaria illa, ex quibus hæ notæ ſunt collectæ, non fuerunt punctata:* quod nos concedere poſſumus, & plerique Judæi largiuntur. Hi enim

ſtatuunt; Illos quidem codices, ex quibus Eſras has lectiones eruit, non punctatos fuiſſe, ſed illum Codicem, quem ipſe recenſuit, emendavit, & inſtar Canonis ſequendum conſtituit, Punctis ab ipſo inſtructum fuiſſe, & ab eo hodiernam punctationem totam profectam. Concludendum itaque; *quòd ne quidem Codex ille, qui ab Eſra ex plurium collatione expurgatus ac deſcriptus fuit, Punctorum & Accentuum notas habuerit, aut habere potuerit.* Imò ne hoc quidem neceſſario ſequitur; Si illi codices, quos Eſras tum præ manibus habuit, non punctati fuerunt: Ergo nulli unquam uſpiam punctati antea fuerunt aut extiterunt. Quidni enim aliqui pauci hinc inde in archivis latere potuerunt, & in captivitate Babylonica perire, ut Eſras demum puncta, tanquam vir divino inſtructus ſpiritu, inſtaurarit, reſtituerit, & in uſum revocaverit, perinde ut ipſas antiquas Hebræorum literas? Hinc dicunt priſci Hebræi de Eſra, שֶׁהֶחֱזִיר עֲטָרָה לְיוֹשְׁנָהּ *quod redire fecerit, ſeu reſtituerit coronam* (ſc. Legis & Verbi Dei) *in priſtinum ſtatum, &c.* Sed de his alibi iterum aliquid dicendum erit infrà.

Caput IX.

De Argumento Hiſtorico pro Novitate Punctorum, ex Antiquis Sacrorum Bibliorum Tranſlationibus variis, in genere: & in ſpecie, De LXX. Interpretibus Græcis; An ex illorum Tranſlatione Punctorum novitas evinci poſſit?

Caput octavum *Arcani Punctationis Revelati* his verbis exorditur Author: *Hactenus ſententiam noſtram a Communi, adeoq; univerſali Judæorum conſenſu probavimus.* Nos verò exiſtimamus, ſufficienter

ſufficienter hactenus oſtenſum & demonſtratum eſſe, illum fruſtra circa hoc ſudaſſe, & nihil minus, quàm univerſalem ejuſmodi Judæorum conſenſum, probaſſe. Nam præter Eliæ authoritatem, quæ nulla, neminem produxit Hebræorum, qui ipſius ſententiæ faveat. Omnia allata teſtimonia fuerunt, vel manifeſtè falſa, vel incerta, vel detorta & coacta. Teſtes ab ipſo adducti, fuerunt duplices, Loquentes & Muti. *Loquentes* audivimus, non pro Elia, ſed contra ipſum, pro Antiquitate punctorum, teſtimonium diſerte dicentes, ut Aben Eſra, R. Jehudah Hallevi, & R. D. Kimchi, in quorum teſtimoniis colligendis parum vel fidelis vel diligens fuit Grammaticorum ille ſuo ſæculo doctiſsimus Elias. *Muti* itidem vel nihil ad rem dixerunt, aut ſi quæ ſigna vel indicia hujus rei ediderunt, illa contrariæ ſententiæ longè magis fuerunt faventia.

Præoccupatione poſtea occurrit Revelator Exceptioni, quam ſibi fieri potuiſſe prævidit, de Eſra, Codices Sacros Punctorum vocalium & Accentuum notis inſtruente. Sed ne Argumentorum ſeriem interrumpamus, nolumus nunc quæſtionis hujus tractationem ſuſcipere, ſed in commodiorem locum reſervabimus, & in diluendis contrariis Argumentis pergemus.

A Teſtimonio itaque ad *Argumenta, ex Hiſtoria veluti petita*, progreditur Revelator, & talia quidem, quæ docent, *non modò non à Moſe, ſed ne quidem etiam ab Eſdra, eſſe hodiernos Vocalium & Accentuum apiculos; ſed à Maſorethis, annis propè mille poſt Eſdræ è Babylonia in Judæam adventum.*

Argumentum petitur ex antiquis Sacrorum Bibliorum Translationibus Græcis, Latinis, & ex Chaldaicis Paraphraſibus, ad Hieronymum uſque, hoc eſt, ultra 400. poſt Chriſtum natum annum, hoc pacto;

Translationum & Paraphraſeωn harum authores non uſi ſunt codicibus punctatis, ne quidem Hieronymus ipſe, qui poſt 400. *à Chriſto annum obiit.*

Ergo Punctati codices illorum temporibus non extiterunt.

Antecedens ſic probant; *Innumeri loci ſunt, ex quibus apparet, in-*

terpretes iſtos, alios quidem magis, alios minus, in univerſum verò omnes, ab hodierna noſtrorum Codicum punctatione in quamplurimis locis receſſiſſe, hanc ipſam ob cauſam, quòd ejuſdem vocis conſonas aliis punctis legerint atque animârint.

Ergo nulli eorum temporibus fuerunt punctati codices.

Conſequens verò ſic probant: *Si qui tum fuiſſent codices punctati, iis procul dubio in Paraphraſibus & Translationibus ſuis conficiendis uſi fuiſſent iſti authores. Quare enim aliis uſi fuiſſent, ſi tales extitiſſent? An quòd iis uti noluerint? Hoc vero non probabile eſt: nam ſine crimine illos negligere vel rejicere non poterant: An quòd non potuerint tales habere? Sed nec hoc colorem habet. An LXX. Seniores, Hieroſolymæ, à Sacerdote ſummo, ad tantum Monarcham miſſi, non poſſent alicunde aliquem nanciſci? An etiam Onkelos, & Jonathan, & Hieronymus, non ſolliciti fuiſſent, ut ad concinnandas ſuas Interpretationes punctatum codicem ſibi vel prece vel quovis pretio compararent, &c.*

Hoc argumentum fusè deducit, & ſigillatim de ſingulis, Revelator, variiſque exceptionibus occurrit.

Nimis prolixum eſſet omnia illa repetere, & ad ſingula reſpondere. Itaque, ne vel infirmioris ſtomachi lectorem tædioſum reddamus, vel eundem confundamus, quàm fieri poterit breviſsimis, ac certis quaſi aphoriſmis atque regulis, quid in hoc argumento nobis adhuc conſiderandum videatur, comprehendemus.

Dicimus itaque; Quamvis Argumentum hoc videatur valdè ſpecioſum, & adverſariis Achilleum planè ac invictum, multa tamen adhuc eſſe, quæ robur ac vires ejus infringant & enervent.

I. Rectè probatur Argumenti principalis Antecedens & Conſequens, nondum tamen ſufficienter.

II. Antecedentis enim probationem quod attinet, negamus in eo Conſequentiam. Hanc ex Antecedente non neceſſariò ſequi ſequentibus rationibus oſtendimus; Primò quidem in Genere: deinde in Specie de ſingulis.

I. *In Genere* dico N. V. C. quia ſic etiam poteſt concludi (maximè de LXX. Græcis, & Paraphraſtis Chaldæis). *Ergo punctorum non ſemper habuerunt rationem.*

Potuit hoc ab illis fieri, & quidem ſtudio, ex duplici cauſa; 1. *vel* quòd liberum ſibi ducerent, punctorum habere rationem vel non, & ad conſonantes tantum attendere, vi illius principii, de

quo

quo ſuprà actum, quòd per modum Medraſch liceat Legem בכל פנים *omnibus modis* quibus fieri poteſt, exponere, modò non contrarii ſenſus Legi affingantur, ſed tales, qui ſenſui literali ſubordinari poſſunt. 2. *vel* quòd Græcis ceu gentilibus nec voluerint, nec auſi fuerint, verum Legis ſenſum, juxta punctationem veram tradere; eò quòd Punctationem Hebræi, maximè Cabaliſtæ, ut ſuprà vidimus, referant ad Legem Oralem; prohibitum autem ſemper fuerit, Legem oralem gentiles docere, eamque illis patefacere. Hinc credo natum, quod Talmudici tradunt, in tredecim locis LXX. illos Græcos ſuam interpretationem interpolaſſe, in quibus ſtudio à textu Hebræo receſſerint.

Huc facit, quod ſcribit Andreas Maſius, in Comment. Joſ. p. 71. *Ego verò*, inquit, *de his prolixiùs jam diſſerui, quam inſtituti mei ratio poſtulabat: ſed volebam oſtendere, eos Interpretes nonnunquam certo conſilio, non errore, aliud quam Hebræum habet, reddidiſſe. Id enim compluribus in locis ab illis eſſe factum, viſus mihi ſum animadvertere.* Et p. 65. ex hac diſcrepantia Codicis Hebræi & LXX. non ſimpliciter, nec aſſeveranter concludit, illorum tempore Puncta Vocalia non fuiſſe; ſed, *quòd Vocalium obſervationi operam nullam dediſſe videantur, quarum fortaſſe* (inquit) *nullæ erant eo tempore notæ.* D. Hieronymus Præf. in Jeſaiam: *Unde conjicio, noluiſſe tunc temporis LXX. Interpretes fidei ſuæ Sacramenta Ethnicis prodere, ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent.* Genebrardus ad Pſal. 109. al. 110. ver. 5. ad hæc verba Vulgatæ Verſionis, *Ex utero ante auroram genui te,* quæ aliter ſonant in Hebræo, ſcribit; *Septuaginta hic duntaxat ſequuti ſunt ſenſum, ad illuminandum myſterium Divinitatis Chriſti, & æternæ ejus generationis, idq; fidiſſimè & Prophetice, non quòd aliter legerint, quam nunc habet veritas Hebraica.* Ergo diſcrepantiæ verſionis illorum à Textu Hebræo, non ſemper procedunt ex diſcrepante lectione.

2. Ex antecedente illo ſic etiam poteſt inferri; *Ergo iſti interpretes non uſi ſunt punctatis codicibus in conficiendis ſuis interpretationibus.*

Potuit enim fieri illis temporibus, ut punctata extarent exemplaria, & tamen illi talia non habuerint.

Novi, Adverſarios hanc exceptionem variè eludere: nihil tamen impoſsibile eſſe, nec improbabile, quivis cordatus & nullo præjudicio

præjudicio præoccupatus, fatebitur ac largietur. Nam quàm ſegnes ac ſocordes Judæi iis temporibus circa Legis ſtudium, lectionem, ac ejus conſervationem fuerint, ex Eſræ & virorum Synagogæ magnæ ſtudio liquet, qui, omnium confeſsione, hinc permoti atque adacti fuêre, tàm lectionem, quàm uſum & obſervationem Legis, à variis corruptelis ac depravationibus, corrigere, emendare, atque nitori ſuo priſtino reſtituere. Neque vel illis ipſis temporibus, vel poſt ſequutis, multùm emendati, vel ſummorum horum virorum zelo atque exemplo, ad majorem alacritatem excitati fuêre, ut temporum illorum hiſtoria, ſub toto Templo ſecundo, docet, quibus paulatim, ac magis magiſq́; mortuis ac deficientib. Prophetis, à vero Dei cultu, verbiq́ue divini ſtudio, in pejus ruere, deficere, atque ad aniles fabulas, fabuloſaſq́ue Legis interpretationes, declinare cœperunt. Eo enim tempore nati ſunt, & ſucceſsivis temporibus vires acquiſiverunt, atque indies magis magiſq́ue accreverunt, infiniti illi Legem explicandi modi, pro cujuſvis lubitu & beneplacito, fabuloſæ illæ & allegoricæ expoſitiones, quæ poſterioribus temporibus deinde in vaſtum illud Corpus Talmudicum, & ſimiles libros relatæ fuere. Et conſtat, à Captivitate Babylonica, Linguæ Hebrææ cognitionem vulgò non ſolùm in familiari uſu inter Judæos periiſſe atque deſiiſſe, ſed etiam in Sacris. Vivente enim adhuc Eſdra, Lex Chaldaice jam fuit expoſita, quod & poſt ipſum continuatum fuit, & quidem ita, ut & tales translationes factæ ſint vulgares, uſitatæ, atque etiam in Synagogis paſsim receptæ. Hinc non admodum curioſos illos circa Textum Hebræum, ejuſq́ue veram lectionem, fuiſſe, valde eſt probabile; licet non negemus, ſemper quoſdam fuiſſe, qui hoc & intellexerint, & cordi curæque habuerint. Neque etiam probabile eſt, codices punctatos, etſi extiterint, uſitatos fuiſſe, quia ne Hebræi quidem vulgò uſitati fuerunt. Quæ communis eſt Hebræorum ſententia, quibuſdam id neglectui & conſuetudini tribuentibus, aliis nonnullis etiam ſanctioni alicui, quâ hoc prohibitum fuerit. Sic dicit R. Aſarias in Meor Enajim cap. 8 fol. 48 col. 2. reſponderi poſſe ad hoc argumentum. Accuratiùs verò hoc idem deducit cap. 59. Poſteaquam enim ibi docuiſſet, Puncta jam ævo Moſis, imo ante ipſum, unà cum linguâ nata, & inde ab Adamo profecta, & tamen Legem ſine punctis ſcribi ſolitam, ſic porrò

inter alia ſcribit: אולם לא בכל זאת נכחיש כי גם מעט ההיא
נכתבו הנקודות למיניהם בקצת הספרים ככל הצורך ובפרט על
האבנים כדבר בעל הסמדר שנא׳ וכתבת וגו׳ באר היטב אשר בלתי
הנקוד לא היה הקורא מבינם ומי יבארם לו שם על שפת
הנחל ויהי בהתמיד ישראל לדבר גם בין ההמון בלשונם הקדש
עד חרבן ראשון כמו שזכרנו בפרק הקודם וכ״ש בעזבם את
התורה וקריאתה יתכן שנשתכחו נקודותיה עד שבא עזרא ובהשיבו
אליהם את התורה כתובה בלשון העברי אחר בגלות בבל הוא
והתורה נשתבח מן ההמון כאמור החזיר גם כן נקודותיה, וע״כ
בהתמידם כל ימי בית שני לדבר עוד בלשון ארמי גם בדברי
התורה כמו שהוכחנו היו הנקודות ההם הלוך וחסור ובלתי
נודעים כי אם למעטים. ובפרט חכמי האמת וכו׳ hoc eſt, *Verumtamen non propterea negamus, quòd etiam inde ab eo tempore puncta ſecundum ſpecies ſuas in quibuſdam libris ſcripta fuerint, prout ſcilicet neceſſitas illud exigebat; in ſpecie verò in Lapidibus, ex ſententia authoris libri Semadar, ſicuti ſcriptum eſt*; Et inſcribes lapidibus omnia verba Legis iſtius, explicando vel declarando benè, Deut. 27. v. 8. *quia ſine punctatione non potuiſſet Lector illa intelligere; & quis ipſi ea explicaſſet illic ad littus torrentis? Cùm verò Iſraëlitæ continuò, etiam in vulgo, loquerentur linguam ſanctam, uſq; ad vaſtationem Templi primam, uti capite præcedenti vidimus; maximè verò, cum dereliquiſſent Legem & lectionem ejus, in deſuetudinem & oblivionem videntur puncta deveniſſe, donec veniſſet Eſras. Is cum eis reſtituiſſet Legem Linguâ ſanctâ ſcriptam (quia in captivitate Babylonica, & Lingua Hebræa, & Lex Hebraicè ſcripta, in vulgo oblivioni data erat) reſtituit ſimul ipſis Puncta ejus. Nihilominus cùm toto tempore Templi ſecundi pergerent loqui linguam Aramæam, eaq; etiam in verbis Legis uterentur, ſicuti arguimus, hinc puncta linguæ Hebrææ paulatim deficiebant, ac in deſuetudinem veniebant, ignotaq; erant, paucis quibuſdam & ſingularibus, maximè Sapientibus veritatis, exceptis.*" Hæc ille. Et ſic alii quoque. In quibus neſcio an aliquid ſit, quod vel impoſsibile, vel omninò improbabile cuipiam videri poſsit. De hoc verò alibi iterùm dicetur.

3. Diſcrepantia iſta inter Veteres Interpretes, & Textum noſtrum Hebræum punctatum, deprehenditur non tantùm in Vocalibus, quòd multas voces aliis Vocalibus legerint, ſed & in Conſonantibus, in integris Vocibus, adeoque etiam in Sententiarum

integrarum additione vel omiſsione, in Verſuum diſtinctione, aliiſque modis quamplurimis, uti ex D. Hieronymi Commentariis, & Auguſtini Steuchi Eugubini Recognitionibus in Pentateuchum, aliiſque, eſt videre. Itaque, ſi Adverſariorum Conſequentia valet, valere debebit etiam hæc, illos planè alia exemplaria Hebraica habuiſſe, noſtraque exemplaria Hebræa in his omnibus, ubi diſcrepant, corrupta ac depravata eſſe, aut ſaltem in quamplurimis.

Novimus equidem non deeſſe, quibus nec abſurda nec falſa iſta conſequentia videatur, imò qui eâ utuntur, ad Hebraici textus authoritatem labefactandam. Sed non exiſtimamus ad illorum caſtra adhuc tranſiviſſe, vel ipſorum cauſæ advocatum agere conſtituiſſe, Punctationis Revelatorem.

Longè alias cauſas hujus rei reddidit D. Hieronymus. Ille cauſſam adſcribit quandoque Interpretum *Beneplacito & Arbitrio*; & quidem vel *ſine ratione*; ut cùm dicit; *LXX. ſic transferre voluerunt*, vel *cum ratione*; ut cùm dicit; *Illos ſenſum magis quàm verba ſpectaſſe*: Aliquando *Negligentiæ & oſcitantiæ*; ut cùm ſcribit; *Illos ſimilitudine literarum, elementorum, vel vocum, deceptos, ſic interpretatos eſſe*: Aliquando *Imperitiæ vel Licentiæ ſibi arrogatæ*: ut ubi dicit; Illos aliquid *malè* tranſtuliſſe, *ſuperfluè* quædam addidiſſe. Videatur etiam paſsim Auguſtinus Steuchus.

II. In ſpecie, quod *LXX. Interpretes*, ſive eam Interpretationem, quæ illorum nomen hodiè gerit, attinet, conſtat *Primo*; Doctiſsimorum Virorum hanc eſſe ſententiam, fruſtrà tam ſpecioſo Nomine adeò corruptam & manifeſtè infinitis in locis depravatam interpretationem ornari. Audiamus Doctiſsimum, & in conferendis antiquis Verſionibus diligentiſsimum Druſium in Obſer. lib. 6. cap. 9. *Translatio*, inquit, *ea, quæ vulgò apud Græcos habetur, quin LXX. Interpretum non ſit, nemini hodiè dubium eſſe arbitror. Nam ſi nihil aliud, innumeri in ea loci ſunt, qui arguunt magnam imperitiam ſermonis Hebraici: ſed & negligentiam ſingularem in legendo, & oſcitantiam tantis viris indignam, qui in ea editione non videt, nihil videt. Etſi Euſebius, Hieronymus, paſſim in ſuis monumentis eam L X X. Interpretibus attribuere videtur. Nos quoq;, cùm aliquid inde proferimus, uſitato magis, quàm vero nomine utimur, exemplo videlicet Hieronymi, quem ſuſpicamur, licet crederet, interpretationem eam à viris illis elaboratam minime fuiſſe, ne offenderet Græcos, voluiſſe tamen recepto ſemper nomine appellare.*

appellare. Certè quin dubitaverit ſuper iiſdem authoribus, nihil dubitamus. Nam vel hoc nos in ea opinione confirmat, quòd ſcribat, Joſephum, omnemq; adeò Scholam Judæorum, quinque tantùm libros Moſis a LXX. interpretibus tranſlatos fuiſſe, aſſerere. Et in Scholiis ad hoc caput; *Quod ajo, editionem Græcam, quâ vulgò utimur, LXX. Interpretum non eſſe, benignè intelligendum. Nam non nego, Veteres habuiſſe Verſionem LXX. ſed eam, quæ ad nos pervenit, corruptam eſſe dico, ſic adeò ut viris illis, ſine maxima ipſorum infamia, tribui non poſſit.* Ita ſanè eſt, infinita loca produci poſſent, de quibus conſtat, illa non ſyncerè eſſe translata. Unde vel dicendum, eam eſſe aliam ab illa vetere: vel Interpretes illos non fuiſſe aut tam doctos, ut vulgò laudantur, aut non tam diligentes, aut non fideles, aut aliud ſpectaſſe. Neque hoc noſtro ſæculo demùm ſiniſtrâ hac famâ laborare cœpit iſta verſio. Vetus jam eſt iſta accuſatio. Quod ſi enim LXX. interpretum verſio tàm perfectè expreſsit veritatem Textus Authentici, & ſyncera, nec corrupta habita fuit, quid movit alios Græcos, Aquilam puta, Symmachum, Theodotionem & alios, ut jam tùm novas, & a LXX. paſsim diſcrepantes verſiones, cuderent? Quomodo hi auſi fuerunt tot tamque doctiſsimos viros corrigere? Imò quid opus fuit? Quid movit Origenem, ad Verſiones iſtas omnes tanquam æquales conjungẽdas, & ex eis Tetrapla, Hexapla & Octapla ſua concinnanda? Cur etiam Græcis his Interpretationibus Textum Hebræum, literis Græcis expreſſum, adjungendum duxit? Annon, quòd ejus judicio LXX. Græcorum verſio vel non ſufficiens, vel non ſatis genuina, vel certè Scriptorum & temporum culpâ corrupta fuerit, & ut doceret, omnes has ad Textus Hebræi, quem adjunxit, formam & normam eſſe examinandas & expendendas? Et ſanè hoc ipſo Origenis labore, dum diverſas Tranſlationes Græcas, LXX. Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, in ſua Hexapla & Octapla retulit, credibile eſt, verſionem illam primitivam 70. ſeniorum, multam inde labem contraxiſſe. Unde D. Hieronymus Præfat. in lib. Paral. Origenem hoc nomine magnæ *audaciæ* inſimulat, *quòd in editione Septuaginta, Theodotionis editionem miſcuerit.* Nulla certè ab eo tempore harum omnium integra habetur. Quare etiam jam olim Danjelem, juxta Theodotionis traditionem, Eccleſiæ ſuſceperunt, ut Hieronymus teſtatur Præf. in Joſuam? Ita, quæ cauſa fuit, cur Hieronymus poſt hos omnes,

etiam poſt Origenis laborem, novam linguæ ſuæ verſionem, ex Hebræo cuſam, offerret, ut inter infinitas Græcorum & Latinorum librorum varietates haberent, quò recurrerent? Hoc docet nos ipſemet cùm alibi, tùm imprimis. Præfatione in librum Paralipomenon; *Si,* inquit; *Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me, Chromati epiſcoporum ſanctiſſime atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari; nunc verò cùm pro varietate regionum, diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaq; translatio corrupta ſit atq; violata, noſtri arbitrii putas, aut è pluribus judicare quid verum ſit, &c. Alexandria & Aegyptus in LXX. ſuis, Heſychium laudat authorem. Conſtantinopolis uſq; Antiochiam, Juliani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ, Palæſtinos codices legunt, quos, ab Origene elaboratos, Euſebius & Pamphilus vulgaverunt. Totusq; orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat, &c. Vide* Præfat. illam totam. Et paſſim in cæteris. In Jobum: *Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc volumine laboraſſe; non ut interpretationem antiquam reprehenderem, ſed ut ea, quæ in illa aut obſcura ſunt, aut omiſſa, aut certe ſcriptorum vitio depravata, manifeſtiora noſtrâ interpretatione fierent.* Neque etiam ipſe Auguſtinus, qui immane quantum LXX. interpretibus tribuit, illorum verſionem à corruptelis immunem facit, in libris de Civitate Dei, lib.15. cap.11. 12.13. & lib.18. cap.44. Adhæc cùm ex Joſepho & Philone liqueat; Græcos Alexandrinos plus quàm Vatiniano odio proſecutos eſſe Judæos, (*vide Joſeph. Antiq. Judaic. lib. 18. cap.10. & contra Apionem Alexandrinum: Philonem in lib. de Legatione ad Cajum*) hinc (ſcribit Aſarias in Meor enajim cap.8. fol. 49. col. 1.) נוח לשפוט כי מפני השנאה והקנאה לא שקטו ולא נחו עד אשר זייפו והפסידו את ההעתקה ההיא אשר יצא לה שם בגוים כי כליל יפיה *veriſimile valdè eſt, quòd propter odium & invidiam, quâ flagrabant, non ceſſarint, nec quieverint, donec falſaſſent & corrupiſſent Verſionem illam, quæ magnam paſſim famam inter gentes, de perfecta pulchritudine, obtinuerat.* In hanc rem adducit poſtea idem R. Aſarias, quòd iidem Alexandrini Origenis & aliorum libros ſimilìter falsârint & adulteraverint. Adfert etiam quod Julius Cæſar Comment. lib.4. de Alexandrinis ſcribit.

Præter

Præter hæc, addit idem, & hoc ſciendum, atque in hac cauſa conſiderandum, palatium illud, quod Ptolomæus pro Gymnaſio Alexandriæ extruxerat, & in quo ipſa LXX. virorum Translatio aſſervabatur, totum combuſtum fuiſſe, cùm Julius Cæſar Alexandriam bello oppugnaſſet, & Pompeium perſequutus eſſet. Qua de re inter alios Aulus Gellius teſtatur lib. 6. cap. 17. *Ingens*, inquit, *poſtea numerus librorum in Aegypto à Ptolemæis regibus vel conquiſitus vel confectus eſt, ad millia ferme voluminum ſeptingenta: ſed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non ſponte, neq; opera conſulta, ſed a militibus forte auxiliariis incenſa ſunt.* Sic Oroſius lib. 7. & alii. Annon hic etiam potuit authenticum exemplar comburi? Affirmat hoc Valentinus Schindlerus in Lexico Pentagloтто, in voce תלמי: *Ergo*, inquit, *tantum* חומש *ſeu quinque libri Moſis a LXX. translati fuerant ex lingua ſancta in Linguam Græcam. Et ipſorum verſio periit, cum Bibliotheca Ptolomæi combureretur a Pompeji exercitu.*

Cùm itaque ex his & aliis, quæ in hanc rem afferre poſsent, pateat, hanc, quæ LXX. Interpretum nomine circumfertur & venditatur, Interpretationem, & ex qua Argumentum hoc contra Punctorum Antiquitatem conſtruitur, vel non eſſe veram illam, quæ olim extitit, vel eſſe corruptam, depravatam, & veluti centonem ex pluribus Interpretationibus conſutum, & hunc ipſum Transſcriptorum negligentiâ, ſomnolentiâ, oſcitantiâ & naſutiâ inſuper variis nævis maculatum, inquinatum & interpolatum, nullum ſanè firmum hinc peti poteſt Argumentum. Quis enim novit, aut quis fidem faciet, illas diſcrepantias, quæ, Punctorum ratione, inter hunc Græcum codicem & Hebræum occurrunt, ab ipſis LXX. Interpretibus provenire & oriri, & non potiùs ab aliis recentioribus, imperitis, naſutis Interpretibus vel Scribis? Non negamus, aliqua ex parte ſupereſſe, ſed quis nobis ſcorias ab argento, aquam à vino, genuinum ab adulterino hîc diſcernet?

Secundò; Si maximè daretur, hanc Interpretationem Græcam eſſe adhuc Veterem illam LXX. Græcorum, neque adeo corruptam vel invidorum, vel librariorum vitio, annon aliæ etiam harum diſcrepantiarum poſſunt eſſe cauſæ, quàm abſentia Punctorum in Textu Hebraico? Potuerunt aliud exemplar habere, ex

quo Interpretationem iſtam cuderunt, ab authentico Hebræo diſcrepans.

Hæc eſt ſententia R. Aſariæ, & ejus Summa huc redit; Poſt Captivitatem Babylonicam, inde ab Eſræ temporibus, translatam fuiſſe Legem in gratiam vulgi, quod maximâ ex parte Linguam Hebræam non ampliùs intelligebat, in Linguam Chaldaicam: Et hac de cauſa, Translationem fuiſſe latiorem ac paraphraſticam, neque ita accuratam: Uſum hujus Translationis Chaldaicæ inter ipſos duraſſe toto tempore Templi ſecundi: Hinc, cùm ſine Maſora & ſepe eſſet, cæpiſſe ſtatim poſt Eſræ tempora confundi, & ſucceſsivis temporibus magis magiſque corrumpi ac depravari: Has corruptelas anſam & occaſionem præbuiſſe novis Paraphraſibus, ab Onkelo & Jonathane maximè ſuſceptis: Ex illo etenim vulgato, & tùm jam depravato exemplari Legis Chaldaico, quod ubique obtinebat & legebatur, cudiſſe LXX. Interpretes ſuam verſionem: Et hanc eſſe cauſam multarum diſcrepantiarum. Probat hoc eo, quòd Alexandrini teſtati fuerint, Translationem hanc ad amuſsim cum authentico exemplari conſenſiſſe, &c.

Proponit hanc ſuam ſententiam *primò* cap. 5. libri ſui, quem locum in noſtra de Literis Hebræorum Diſſertatione exſcripſimus & interpretati ſumus: *deinde* ex profeſſo eam defendit cap. 9. In gratiam itaque Lectoris curioſi, præcipua quæ huc pertinent, ex illo capite hîc producemus. Sic ergò ſtatim ibi orditur. אמנם השטה האחרת אשר יעדתי למעלה בהיתר קושי החלופים הנמצאים בהעתקת השבעים כאמור שמענה עתה, ואתה דע לך כי היא ישרה בעיני, על מנת שדעת החכמים הן מן היהודים הן מן הנוצרים תנוח הימנה כי בלאו הכי תהי כאין hoc eſt, *Alteram rationem, quam ſupra pollicitus ſum, ſolvendi Dubitationem circa diſcrepantias, quæ reperiuntur in Translatione LXX. Græcorum, nunc audi: Et ſcito, quòd ea recta ſit in oculis meis; hac tamen cum conditione, ubi apparebit, Doctiſſimorum tùm Judæorum, tùm Chriſtianorum ſententiam cum ea conſentire. Abſque hoc enim ſi ſit, nulla planè eſto.* Pergit: וזה שכבר התפרסם איך התורה בימי עזרא היתה בין ההמון בלשון ארמי כמו שדרשו ז"ל פרק אין בין המודר ויקראו בספר תורת אלהים זה מקרא מפורש זה תרגום, באשר שפתם אז היה הארמי הנהוג אצלם מבבל כמו שיתבאר עוד לפנינו ומסתמא המפרש אינו מחליף מלה במלה אבל מרחיב הדברים כהעתקת שמכסטימו

טמסטיאו לספרי הפילוסוף הנקראת אצל היונים והרומיים פראפראסים, כ״ש אם יפרש ללועזות בלעז, וכ״ש עוד להמון כמוהו אשר מצות הסוכה ואסור העמוני והמואבי היה להם כחדוש ומימי אבותיהם כאמר ותשכח תורת אלהיך כי בלי ספק הוצרכו לביאור יותר רחב מן הפראפראסי הנז׳, וכן נשמר בין כל עם הארץ אופן הפתרון הארמי הנז׳ כל ימי בית שני, שכן התמיד הלשון ההוא בהמונם עד גלות ירושלים כמו שנוסיף בע״ה לבאר זה בפנ״ו, אך אין ספק כי להיות זה פתרונם בידם כעיר פרוצה בלתי המסורה שהיא סיג לתורה החל אחר עזרא להשתבש, וכן מדור לדור ומפה לפה יסף הנוסח הארמי ההוא לצאת ולהתרחק מן הכתוב בספרי הקדש, עד כי בבוא אונקלוס הגר ומצא הקלקול מרובה עמד ותרגם את התורה מחדש עם הסכמת שני האדירים ר׳ אליעזר ור׳ יהושע כמבואר במגלה פ״א, הלא הוא אונקלוס לא היה המתחיל בהבאת דברי התורה ללשון ארמי, אבל אזן וחקר תקן את המסוכסך מקדם, וזהו אמרם בפ׳ הנז׳ שהתרגום ארמי הוא מן הדברים אשר שכחום וחזרו ויסדום, כי בלאו הכי יקשה מאד איך יאמר בו שכחוהו והוא היה אז לשונם כאמור, אבל הכונה שהמפורש הנזכר הוא שנסתבך עד שבא אונקלוס והחזירו כמו שזכרנו, גם לענין זה תדע חביבי הקורא כי יונתן ב״ע אשר תרגומו על נביאים התפרסם יש לנו עד מוכיח שאף הוא תרגם את התורה כולה וכו׳ h. e. *Notum & in confeſſo eſt, qua ratione Lex tempore Eſræ in vulgo linguâ Chaldaicâ extiterit, prout hoc docent Rabbini noſtri b. m. in capite Talmudico, quod incipit,* אין בין המודר; Et legerunt in libro Legis Dei; *hæc erat Scriptura,* (*Textus Hebræus*); explicatè, ſive cum explicatione; *hoc erat Targum ſeu Expoſitio Chaldaica; Lingua etenim ipſorum tunc temporis erat Chaldaica, uſitata ſive vernacula ipſis ex Babele, ſicut alibi explicaturi ſumus. Explicans autem, ſive Interpres* (הַמְפָרֵשׁ) *non commutat vocem pro voce* (non reddit verbum è verbo): *ſed latiore ſermone & ſtylo utitur, ut Themiſtius libros Philoſophi tranſtulit, unde vocatur a Græcis & Latinis* Paraphraſis; *inprimis quando in linguam peregrinam vel vernaculam transfert; & multò adhuc magis, quando id facit in gratiam vulgi, & quidem talis, cui Præceptum Tabernaculorum, Prohibitioq; connubii cum Ammonitis & Moabitis, inſtar rei alicujus novæ & inauditæ erat, & de quorum Patrum ſæculo dictum;* Et oblitus es Legis Dei tui, Hoſ. 4. 6. *Hi enim procul omni dubio indigebant explicatione latiore, quam ſunt* Paraphraſes *vulgò dictæ. Sic ergò obſervabatur*

in toto

in toto populo hic modus interpretandi Legem Chaldaicè, omnibus diebus Templi ſecundi. Linguæ namq; illius uſus continuè inter illos tum duravit, uſq; ad captivitatem Hieroſolymorum, prout latiùs hoc explicaturi ſumus infra cap. 57. Nullum autem eſt dubium, cùm illa Interpretatio tunc fuerit inſtar urbis dirutæ, ſine Maſora, quæ Sepes eſt Legis, quin ſtatim poſt Eſram corrumpi inceperit. Et ſic ſucceſſivè poſtmodùm ab una generatione ad alteram, de ore ad os, perrexit exemplar illud Chaldaicum deflectere, & recedere ab eo quod ſcriptum erat in libris Sacris. Ut hanc ob cauſam Onkelos, multiplicem hanc depravationem animadvertens, permotus fuerit Legem de novo, cum conſenſu R. Elieſaris & R. Jehoſuæ, in linguam Chaldaicam transferre, ſicut explicatum eſt in Talmud Megilla cap. 1. Onkelos enim non fuit primus, qui incepit Verba Legis in Linguam Chaldaicam transfundere, ſed correxit & emendavit id quod antea jam confuſum & perturbatum erat. Et hoc eſt, quod in memorato capite dicunt Talmudici, quòd Paraphraſis Chaldaica Legis ſit ex illis rebus, quarum obliti ſint, quæque denuò reſtitutæ & fundatæ ſeu conſtitutæ fuerint. *Hoc enim niſi hac ratione intelligeretur, difficile explicatu eſſet, quâ ratione dixerint, quod* Obliti ſint ejus; *cùm lingua Chaldaica ipſis tunc vernacula fuerit. Mens itaque & ſententia ipſorum fuit, quòd illud* מפורש *de quo ſupra,* hoc eſt, *Targum ſeu Paraphraſis Chaldaica depravata fuerit, donec Onkelos venit, eamq; uti vidimus, reſtituit. Ad hujus negotii declarationem, ſcito etiam, Lector chariſſime, quòd de Jonathane, filio Uzielis, cujus Targum in Prophetas paſſim habetur, ex teſtimoniis nonnullis liqueat, quod idem totam etiam Legem tranſtulerit, &c.* Dehinc, poſt quædam inſerta de variis aliis Targumim, quæ olim fuerunt; poſtquam etiam docuiſſet, Linguam Chaldæam, inde ab Eſræ temporibus, literis Hebræorum vulgaribus ſcribi ſolitam; quòd item Eſra literas antiquas Hebræorum in uſum revocaverit, & iis de novo Legem deſcripſerit, addit; *Exemplar illud vulgare Chaldaicum, & literis Samaritanis ſcriptum, vulgare & commune fuiſſe, præ altero Hebræo & literis Hebraicis exarato, quod extiterit tantùm inter quoſdam ſingulares;* & ſic porrò pergit; הֲלֹא סָרָה קֻשִׁית ההשתניות הַנִּזְכֶּרֶת מֵעִקָּרָה · כִּי
אֲנִי הוּא להאמין שהזקנים הָהֵם בהסכמת הכהן הַגָּדוֹל אֲשֶׁר
שָׁלַח אותם גָּמְרוּ אוֹמֶר לְהָבִיא ולהעתיק אל תַּלְמַי הַנּוּסַח הָאֲרַמִּי
הַמְּפוּרְסָם אָז בָּעוֹלָם אשר בלי סָפֵק הָיוּ בו הִשְׁתַּנִּיּוֹת לָרוֹב הֵן
לְהַרְחָבַת הַבִּיאוּר בְּאֵיזֶה מָקוֹם הֵן לְקַצֵּר שִׁבּוּשִׁים שֶׁהֵחֵלּוּ בו
אחר עזרא

אַחַר עֶזְרָא כְּמוֹ שֶׁכָּתַבְנוּ ׃ וְאוֹתוֹ הוּא אֲשֶׁר פִּתְרוֹ מְכֻוָּן וְיָשָׁר בְּאוֹפֶן שֶׁכָּל רוֹאָיו מִן הֶהָמוֹן הָרַב שֶׁנִּמְצָא אָז בְּאֲלֶכְּסַנְדְרִיאָה שֶׁל מִצְרַיִם אִשְּׁרוּהוּ וַיְהַלְלוּהוּ ׃ כִּי הִנֵּה בְּזֹאת נִמְצְאוּ מַחֲזִיקִים אֶת דֶּרֶךְ עֶזְרָא וּבֵית דִּינוֹ שֶׁיִּשָּׁאֲרוּ דִּבְרֵי הַקֹּדֶשׁ מְיוּחָדִים בְּעַם הַקֹּדֶשׁ ׃ גַּם יְדַמֶּה שֶׁחָשְׁבוּ לַעֲשׂוֹת בָּזֶה אֶת הַטּוֹב בְּעֵינֵי תַלְמַי כִּי יִשְׁמַע מִכָּל עַמֵּי הָאָרֶץ וּבִפְרָט מֵהֲמוֹן הַיְהוּדִים הֱיוֹת הַדְּבָרִים. הָאֲחָדִים וְהַסִּפּוּרִים שָׁוִים ׃ לֹא שֶׁפִּתְרוֹנָם יַגִּיד דָּבָר אֶחָד אֲשֶׁר בֵּין יֶתֶר הָעַמִּים יִשְׁמַע חִלּוּפוֹ ׃ הֲלֹא תִרְאֶה שֶׁהֵבִיאוּ לוֹ סֵפֶר תּוֹרָה בְּאוֹתִיּוֹת מוּזְהָבוֹת וִירִיעוֹתָיו חוּבָרוֹת בְּדֶבֶק אֲשֶׁר לֹא כַּהֲלָכָה בִּסְפָרֵינוּ ׃ וּלְפִי אוֹמֶד הַדַּעַת אוֹתוֹ הַסֵּפֶר הַמְּתוּרְגָּם שֶׁהֵבִיאוּ אֵלָיו הָיָה מָצוּי אֶצְלָם מִן הַנֻּסְחָאוֹת הָרִאשׁוֹנוֹת שֶׁזָּכַרְנוּ ׃ וְאוּלַי הִתְנַדֵּב אוֹתוֹ אֵיזֶה נָכְרִי כְּהִילֵינִי הַמַּלְכָּה בְּמַסֶּכֶת יוֹמָא שֶׁעָשְׂתָה נֶבְרֶשֶׁת ׃ וּבְמַסֶּכֶת סוֹפְרִים פ״ק אִיתָא אֵין כּוֹתְבִין בְּזָהָב ׃ מַעֲשֶׂה בְּתוֹרָתוֹ שֶׁל אֲלֶכְּסַנְדְּרוֹס [אֲשֶׁר הוּא לְדַעְתִּי יַנַּאי אֲלֶכְּסַנְדְּרוֹ אֲבִי הוֹרְקְנוֹס מִמַּלְכֵי חַשְׁמוֹנָאִי] שֶׁהָיוּ כָּל אַזְכָּרוֹתֶיהָ כְּתוּבוֹת בְּזָהָב וּבָא מַעֲשֶׂה לִפְנֵי חֲכָמִים וְאָמְרוּ תִּגָּנֵז ׃ וּכְבָר נוֹדַע מָה שֶׁכָּתְבוּ ז״ל עַל הִזְדַּעְזֵעַ אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל בְּעֵת הֵעָשׂוֹת הַתַּרְגּוּמִים יַעַן כִּי דִבְרֵי הַקֹּדֶשׁ רְאוּיִם לְהִתְיַחֵד בְּעַם הַקֹּדֶשׁ

hoc eſt, *Nunquid ſic recedit vel tollitur difficultas memorata, de Diſcrepantiis iſtis, ex fundamento ſuo? Credibile enim eſt, Senes illos, conſenſu Sacerdotis magni, qui miſit ipſos, conſtituiſſe & decreviſſe adducere, & transferre Regi Exemplar Aramæum vel Chaldæum, quod tùm vulgò in uſu erat, & in quo ſine dubio plurimæ diſcrepantiæ fuerunt, cùm ob latiorem quorundam locorum explicationem, tùm ob nonnullas corruptelas & depravationes, quæ in illud irrepſerunt poſt Eſram, ſicut ſcripſimus. Quòd verò transferebant, accuratè conveniebat, & rectum erat, ita ut univerſa & maxima illa multitudo, quæ erat tunc in Alexandria Aegypti, illud approbârint & collaudârint. Atque in hoc imitati ſunt Eſram & Collegium ipſius, ut verba Sancta permanerent penes populum Sanctum. Quin & cenſuerunt, ſe hoc ipſo facturos rem gratiſſimam Ptolemæo, quando videlicet is auditurus ſit ex univerſis populis terræ, maximè Judæorum plebe, quòd omnes res verbaq; omnia ex æquo ubique inter ſe conveniant; longe ſcilicet meliùs, quàm ſi interpretatio ipſorum aliud indicaſſet, quàm à reliquis populus intellecturus eſſet. Arguere tale quid etiam videtur, quòd attulerint ipſi Librum Legis ſcriptum literis aureis, & cortinas ſive membranas glutine conjunctas, quod non eſt conſuetum in Libris noſtris. Unde pronum eſt conjicere, Librum illum Chaldaicum, quem ad ipſum detulerunt, fuiſſe apud illos inventum de primis illis exempla-*

R

ribus, quorum meminimus. Et fortaſsis fuit ad hanc rem collatus ex liberalitate cujuſdam Gentilis, ſicut de Helena Regina legimus, in Maſſecheth Joma, quòd fecerit Candelabrum. Et in Tractatu Sopherîm, ſive de Scribis, cap.1. legimus; Non ſcribunt Librum Legis auro: Hinc cùm Alexander Librum Legis haberet, cujus Nomina Divina aureis literis eſſent exarata, & Res ad Sapientum arbitrium deferretur, dixerunt; Abſcondatur. *Et conſtat, quòd Sapientes noſtri ſcripſerint, quâ ratione terra commota fuerit, cùm Lex in linguam Chaldæam eſſet tranſlata. Non enim decet; ut Verba Dei ſanctiſsima apud alios reperiantur, quàm penes populum Sanctum.* Hactenus iterum ille. Poſtea adducit in hanc rem teſtimonium Auguſtini Steuchi Eugubini, qui cùm alibi, tùm Geneſ. 23. v.15. ſcribit: *Cauſa verò tanta varietatis fuit, quia alios habebant codices. Ubi igitur nunc in Hebraicis codicibus legitur* לו, *hoc eſt*, Ei, *eâ tempeſtate videtur legi ſolitum* לא, *hoc eſt*, Non: *quæ duæ voces in ſono quidem nihil diſcrepant; in Scriptura non mediocriter. Quis ergò crederet, tantos Viros adeò hallucinatos eſſe, ut alterum pro altero redderent, niſi in Codicibus varietas ſit? &c.* Quod hìc Steuchus dicit, *Græcos Interpretes alios habuiſſe Codices*, id ad hoc exemplar trahit R. Aſarias, & porrò ſcribit; ונוכל לשער כי גם מעתק עזרא לזמן ההעתקה אשר נמשך הרבה יותר על מאה שנה דנוסח הארמי ההוא לקה בתוספות חלופים וטעיות כמו שתאמר במספר השנים מאדם עד המבול וכדומה · ומכל מקום אותו הנמצא אז מקובל וטוב אצל ההמונים הוא אשר ממנו העתיקו · וככן זה פתרונם אשר הורק מכלים שונים ובעלי טעם פגום אל הכלים האלה אין להתפלא אם לא עמד טעמו בו וריחו נמר מן הריח הניחוח וגו' *Poſſumus etiam conjectare, quòd à tempore Eſræ uſq; ad tempus Translationis illius, quod longè ultra centum annos extenditur, exemplar illud Chaldaicum infectum fuerit variis additionibus & erroribus; ut E.g. in Numero annorum ab Adamo uſq; ad Diluvium, & ſimilibus. Nihilominus tamen, quòd tunc receptum, & bonum vulgò haberetur, ex illo ipſo ſuam translationem fecerunt. Hinc non mirandum, ſi iſta ipſorum interpretatio, quæ tranſfuſa fuit ex vaſis variantibus, & vitioſo ſapore laborantibus, in vaſa iſta, ſuum ſaporem non retinuit, & odorem ſuum gratum amiſit. Et Philo atq; Joſephus, Judæi uterque, ſive ſciverint exemplar Legis verum, ſive illud neſciverint, cùm ad Græcos ſcripſerunt, non receſſerunt ab eo, quod in libro ipſorum ſcriptum erat*, ודבר חכמינו ב״ג ההשתניות אשר זכרו אפשר לו שיצדק במה שהזקנים

שֶׁהַזְקֵנִים רָאוּ כִּי טוֹב לְשַׁנּוֹתָם אַף אִם בַּתְּחִלָּה כּוּלָּם אוֹ רוּבָּם נִכְתְּבוּ כְּהוֹגֶן ׃ וְהֵן לֹא אָמְרוּ שֶׁלֹּא נִשְׁתַּנּוּ רַק אֵלֶּה *Quin &, quod Sapientes noſtri ſcribunt, de mutatis tredecim locis a Septuaginta Interpretibus, ita huc accommodari & applicari poteſt, quatenus conſultum judicaverunt illa immutare, licet ab initio omnia, aut pleraque, rectè ſcripta eſſent. Non enim dicunt excluſivè, quod nulla alia, quam iſta, mutata fuerint, &c.*

Poſt hæc docet quoque, quòd jam ante LXX. interpretes, ab aliis etiam, Lex Judaica in linguas Gentium, Græcam præſertim, translata fuerit, idque ex Ariſtobulo, Euſebio, & aliis Scriptoribus, probat. Hinc iterum ad teſtimonia Philonis & Joſephi progreditur, ad probandum, LXX. ex Chaldæo, non Hebraico, verſionem ſuam confeciſſe: וְהִנֵּה לְאִשּׁוּר וְקִיּוּם כָּל מַה שֶּׁאָמַרְנוּ כִּי הַשִּׁבְעִים לֹא הֶעְתִּיקוּ רַק מִן הָאֲרָמִי הוֹאִל נָא קוֹרֵא מַשְׂכִּיל לַחֲזוֹר עַל הָרִאשׁוֹנוֹת וּלְהָשִׁיב אֶל לִבְּךָ מַה שֶּׁזָּכַרְנוּ בְּפֶרֶק הַחֲמִישִׁי דִּבְרֵי יְדִידְיָה וְכוּ׳ *Porrò*, inquit, *ad confirmationem omnium eorum, quæ hactenus ſunt dicta, quod videlicet LXX. non tranſtulerint niſi ex Chaldaico, placeat Tibi, erudite Lector, recurrere ad præcedentia, & ad animum tibi revocare verba Philonis, quæ ſuprà cap. 5. produximus. Ille enim lib. 2. de vita Moſis diſertè ſcribit; Lex* antiquitùs *ſcripta fuit Lingua Chaldaicâ*, manſitque longo tempore in ea, quamdiu Legis ipſius pulchritudo non eſt intellecta externis hominibus, &c. *Et mox*: Talis princeps (Ptolomæus) captus noſtræ Legis amore ac deſiderio, *in Græcam* linguam *e Chaldaica* transferendam curavit. *Sic ſæpius invenias eundem Philonem, in vocum nonnullarum explicatione du entem*; Talis vel talis eſt ipſarum ſignificatio in lingua Chaldaicâ. *Ita ut hinc* (verba ſunt R. Aſariæ) *evidens deſumi poſſit teſtimonium, LXX. ex Chaldæo duntaxat ſuam translationem confeciſſe.*

Quod nonnulli volunt, Linguam Chaldaicam apud Philonem pro Hebraica ſumi, id cùm dicto capite, tum cap. 6. multis argumentis refutat R. Azarias, inprimis ex tot ab Hebræo diſcrepantiis, quæ apud ipſum reperiuntur, כְּאִילוּ תּוֹרָה אַחֶרֶת הָיְתָה בְּפִיהוּ *ac ſi alia planè lex fuiſſet in ore ipſius*: Tum etiam idem probat ex Joſepho: *Certum eſt, inquit, Linguam Aramaam ſeu Chaldaam in populo noſtro uſitatam fuiſſe uſque ad finem Templi ſecundi, & ipſius Joſephi tempora. Nam, ubi Joſephus loquitur de Sacerdotibus & Veſtibus ipſorum, lib. 3. cap. 8. ſic ſcribit*; In linguâ noſtrâ vocantur, *Kahane, Ka-*

hana rabba, Kittuna, Hemjan, Maznephta, &c. Proinde ſicut hîc Linguam ſuam *vocat* Linguam Chaldaicam: *ita quando ibidem lib.12. cap.3. dicit*; Lex ex lingua noſtra eſt tranſlata in linguam Græcam; *manifeſtum eſt id pariter* de Lingua Chaldaica *intelligendum eſſe.*

Hinc, ſi objiciatur, Regem ſcripſiſſe & petiiſſe ab Eleaſare diſertè; *Viſum eſt mihi Legem veſtram de Hebræa in Græcam linguam vertere, & ita verſam in Bibliothecam meam reponere*; Item idquod Auguſtinus ſcribit de Civitate Dei lib.18. cap.42: *Eleaſarum miſiſſe Ptolemæo Legem ſcriptam linguâ Hebræorum*; Reſponderi poteſt, hic per Linguam Hebræam intelligi poſſe Linguam Chaldaicam, tunc in populo Hebræo uſitatam, & Judæis vernaculam. Idem poſtea probat variè, Linguam Chaldaicam priſcis ſæpè *Hebræam* vocitatam, &c.

Porrò in eodem capite, quod ad hanc rem facit, ſcribit ſic iterum de Convenientia tranſlationis LXX. cum Codice ex quo tranſtulerunt: והנה בגלל זה מה שאתה שומע מארסטיאה וידידיה וקלימנטי האלכסנדרי וזולתם המעידים כי כל האנשים הרואים אז העתקת השבעים שבחוה ויפארוה על שמרם המכון והמלות כפי הנוסח אשר ממנו העתיקו , הדין אתם כי כן היה בד בבד בלי הפרש מאומה ושני החכמים אבגיסטינו והמעתיק אשר תמהו על ההשתניות שבין העתקת השבעים לנוסח הקדוש הנמצא אתנו בדין ומשפט התפלאו , אך אם עלה בדעתם כי לא ממנו העתיקו רק מן הארמי הנמצא להמון כמו שזכרנו סרה בלי ספק מבוכתם ושמחים על האמת יחרישו hoc eſt, *Propterea ecce, quando audis Ariſtæam, Philonem, & Clementem Alexandrinum, aliosq́, teſtantes, omnes eos, qui tunc viderunt explicationem LXX. eam laudaſſe, & hoc elogio ornaſſe, quòd ſenſum & verba obſervarint juxta tenorem illius exemplaris, ex quo tranſtulerunt; ſcito, quod optimo jure id dixerint. Sic enim erat accuratè, ſine ulla differentia. Nec ſine cauſa quoq; duo illi doctiſſimi viri, Auguſtinus & Hieronymus, mirati ſunt illas varietates, quæ deprehenduntur inter Verſionem LXX. & Textum Sacrum Hebræum. Quod ſi verò ipſis in mentem veniſſet, illos non ex Hebræo tranſtuliſſe, ſed ex Chaldæo exemplari, tum inter vulgus uſitato, ſine dubio exemptum ipſis fuiſſet hoc dubium, & de veritate exultantes, ſiluiſſent.*

Denique uni adhuc occurrit Objectioni, quam, contra hanc ſuam ſententiam, adferri dicit à Sapientibus quibuſdam Provincialibus, qui ex eo, quòd Ariſtæas & Philo Judæus de LXX. Interpretibus

pretibus ſcribunt, *ipſos quæſiviſſe & petiiſſe ſibi dari locum aliquem ſuburbanum & purum extra urbem, ut ſc. ſeparati eſſent ab animalibus impuris quæ intra urbem erant, & impuris moribus civium, &c.* ex hoc, inquam, concludunt, ipſos hoc feciſſe *propter exemplar Sacrum Hebraicum, Linguâ & literis ſanctis ſcriptum, quod ſecum habebant, & ex quo verſionem ſuam cudebant.* Ad hoc reſpondet, אפס אחרי הראיות שכתבנו למעלה לא חשחין אנחנא על דנא כי הם בחכמה עשו לעיני הרואים חזוק לדבריהם כשל תורת יי׳ תמימה׃ *Præter vel poſt rationes ſupra jam à nobis adductas, non curamus iſtud, quia aſtutè & callidè hoc fecerunt, ut hac ratione apud Spectatores authoritatem ſuis verbis conciliarent parem cum Lege Dei pura & integra, &c.*

Hæc eſt ſententia R. Aſariæ, quam licet non in patrocinium noſtrum planè recipiamus, exiſtimamus tamen, nihil eam continere vel manifeſte falſum, vel omninò improbabile. Quiſque eo loco eam habeat, quo vult. An ille primus ejus ſententiæ ſit author, ignoramus. Mentionem ejus, ſed verbo, facit R. Gedaljas in Schalſcheleth Hakkabbalah fol. 24. col. 1. & ante hos ambos aliquo modo Guilelmus Poſtellus, quando ſcribit, *LXX. Græcos Moſis libros ex Samaritano exemplari tranſtuliſſe.* Quod ſi verò Lector percurrat LXX. Græcorum verſionem; deprehendet, non ſolùm circa Punctorum alienorum appoſitionem diſcrepantias occurrere; ſed &, ut ſuprà dictum, circa Conſonantes, Voces, Sententias, & Periodos integras; & has diſcrepantias crebriores & frequentiores eſſe illis. Unde ſane videtur optimo jure concludi, vel Textum Hebræum hodiè eſſe mancum, mutilum, corruptiſſimum & vitioſiſſimum; vel LXX. Græcos, in manibus noſtris verſantes, tales eſſe; vel illos alios codices habuiſſe. Unde enim tot additamenta, quæ in textu Hebræo non comparent? & ſimilia. Quod ſi alios habuerunt codices, ut Steuchus etiam nonnunquam arguit, fuerunt illi vel Hebræi vel Chaldæi. Si Hebræi fuiſſent, tunc vel noſter Textus Hebraicus nimium quantum corruptus eſſet, quod tum à Dei providentia, tùm à Judæorum religioſo, nedum ſuperſtitioſo, Legem ſuam incorruptam conſervandi ſtudio, prorſus videtur alienum. Adde quòd, ſi Hebraica tam enormiter a noſtris diſtantia & diſcrepantia tùm extitiſſent, procul dubio etiam aliis quàm LXX. in manus incidiſſent, ut aliquid ea de re conſtaret certius: quod ſi etiam ita anceps aut varians fuit lectio,

ut hic ita, alius aliter Hebraica vel legerit, vel legenda cenſuerit, cùm procul dubio aliqua indicia in antiquis Scriptoribus vel Bibliorùm translatoribus extarent. Sanè probabile eſt, vel in Scriptoribus Talmudicis, vel aliis antiquiſsimis Hebræorum monumentis, quæ ad noſtra pervenerunt tempora, ut purà Paraphraſtis Chaldæis Onkelo & Jonathane, Tanchuma, Rabbos, Zohar, Siphra, Siphre, & ſimilibus, veſtigia aliqua hujus rei remanſura vel comparitura fuiſſe. Atqui, quod ego ſciam, nec vel unus locus produci poteſt, ubi in diſcrepantiis hujuſmodi aliquis Hebræorum vel cum Græcis conſentiat, vel à noſtra Lectione diſſentiat.

Quî fieri potuit, ut tam citò diſparuerint, & interierint? inprimis cùm dicantur LXX. ſuum exemplar Hieroſolymam retuliſſe. An Onkelos & Jonathan ſuo ſæculo planè diverſa jam exemplaria habuerunt? Itaque probabiliter, aut ſaltem non omninò improbabiliter, hinc concludi poſſe videtur, alium quàm Hebræum codicem illos præ manibus & oculis habuiſſe, qui nullus alius quàm Chaldæus eſſe potuit.

Unde rurſum apparet, ex diſcrepantiis illis inter Codices Græcos & Hebræos, nihil firmi ac ſolidi contra Punctorum antiquitatem inferri atque concludi poſſe. Pergamus.

3. Si Codices Hebræi ſacri non punctati permanſerunt uſque ad Maſoretharum iſtorum Tiberienſium tempora, tum ratio legendi textum Sacrum, ſicut reliquæ traditiones, oraliter uſque ad illorum tempora fuit propagata & conſervata: Quod ſi verò oretenus illa fuit eouſque propagata, conſequitur & hoc, procul dubio ſæculis propinquis Prophetarum temporibus, magis puros & limpidos hos fontes fluxiſſe, atque etiam eò magis ſynceram, germanam, ac genuinam lectionem haberi potuiſſe: ſæculis remotioribus, magis turbidos factos, & per conſequens, lectionem etiam magis corruptam & incertam.

Jam ſi LXX. Græci ex non punctato codice tranſtulerint, & Maſorethæ non punctata exemplaria primi punctarunt, conſequitur, longe meliores codices, longe etiam certiorem ac ſynceriorem lectionem habere ac ſcire debuiſſe & potuiſſe LXX. Græcos quam Maſorethas, ut qui multis ſæculis ipſis fuerint antiquiores, Prophetarumque ſæculo propiores.

Quæro itaque nunc ex Revelatore, & aliis contrariæ ſententiæ patronis,

patronis, Num exiſtiment, melius exprimere LXX. Græcos primitivi, originalis, & authentici codicis Hebraici lectionem, quam Punctationem hodiernam, quam vocant Maſorethicam?

Neceſſum eſt ut hoc vel affirment, vel negent, vel diſtinguant. Si Affirment, jam in alia verſamur quæſtione, & aliter cum ipſis erit agendum. Sic enim ſequitur, noſtros Codices Hebraicos hodiè eſſe corruptiſsimos: quia infinitis in locis à LXX. Græcis, qui genuinam lectionem exprimere dicuntur, recedunt. Si Negent, quæro, quomodo Maſorethæ tam recentes meliùs potuerint ſcire, quàm antiqui illi Græci, veram ac germanam lectionem? Si Diſtinguant, & dicant aliquando hos, aliquando illos veram lectionem exprimere & referre, dubiam reddunt nobis Scripturam, nec quidquam uſpiam certi erit. Quis enim quæſo erit Judex, quis Ariſtarchus ille, qui probum ab improbo poterit ſecernere? aut ſi quis ſe pro tali venditet, quod Revelatorem in ſua Critica audio tentare, quotuſquiſque erit qui eum agnoſcet? Ita quocunque ſe vertant, in anguſtias rediguntur. Cùm igitur nondum mihi imaginari poſsim, Revelatorem dicturum, Hebræos codices tam enormiter eſſe corruptos, iterum dicendum, vel Græcos codices hodiernos eſſe adulterinos & adulteratos, ſi non univerſaliter, magna ſaltem ex parte, vel hos Interpretes alios olim Codices habuiſſe; cùm diſcrepantiæ eæ ſint non ſolùm circa Punctorum varietatem, ſed etiam circa Literas, Dictiones, & integras Sententias.

CAPUT X.

De Paraphraſibus Chaldaicis. An ex eis Punctorum Novitas probari queat?

PErgunt Punctorum Novitatis advocati, & ſimile Argumentum ſtruunt ex Paraphraſibus Chaldaicis, illarumq; ab Hebræi codicis punctatione diſcrepantiis. De hoc itaq; etiam hoc loco diſpiciendum.

Quod

Quod Paraphraſtas Chaldæos, Onkelum maximè & Jonathanem attinet, non negamus in univerſum, tales diſcrepantias reperiri in Targumim, quæ ab hodierna noſtra Punctuatione & Accentuatione abeunt ac recedunt; at verò hoc iterum negamus, neceſſariò inde ſequi, Puncta & Accentus ipſorum tempore planè in rerum natura nondum fuiſſe. Hic autem quædam neceſſariò ſunt notanda.

Primò ſciendum, differentiam manifeſtam deprehendi in verſionibus horum Paraphraſtarum. Ex Onkelo vel nulla, vel pauciſsima, adeoque planè incerta, produci noſtro judicio poterunt exempla, è quibus evinci poſsit, illum codice non punctato uſum fuiſſe. Nos certè in præſentia nulla in promptu habemus exempla. Revelator producit unum ex Mercero, Deut. 26. v. 5. אֲרַמִּי אֹבֵד אָבִי quod Chaldæus reddidit; לָבָן אֲרַמָּאָה בְעָא לְאוֹבָדָא יַת אַבָּא Laban Syrus quærebat perdere patrem meum. *Non eſt dubium*, inquit Mercerus, *quin ſine punctis, quibus tunc carebant Biblia*, אִבֵּד *legerit in Pihel*, h. e. Perdebat, *non autem* אֹבֵד *in Cal.* At ego nego, non eſſe dubium quin ſic legerit. Annon potuit ſumere pro præterito Hiphil ex forma Chaldaicâ ſive Aramæa, inprimis quia hîc de Syro ſermo, vel ſaltem ad eam reſpicere? Hinc ipſe quoque non exprimit in Pahel, לְאַבָּדָא, ſed ex Aphel, לְאוֹבָדָא. Et conſtat ex multis exemplis, Paraphraſtas Chaldæos plura loca ita transferre, ut reſpiciant, vel ad ſignificationem, vel ad formam vocum Chaldaicam, non Hebræam. Hoc ſibi vult Elias, in Præfatione ſui Meturgeman ſcribens: ולפעמים תרגמו הפסוק כפי הנאות בלשון תרגום ולא אחר לשון המקרא וכן כתב רבי שלמה ירחי הרבה פעמים וזה לשונו ואונקלוס ישב הדבר על אופנו ולא דקדק אחר לשון המקרא h. e. *Sæpiſsimè etiam expoſuerunt Paraphraſtæ Chaldæi ſecundum id quod convenit in lingua Targum, non verò ſecundum linguam Bibliorum, i. e. Hebraicam. Hinc ſæpè ſcribit R. Salomon; Onkelos ordinavit, i. e. expoſuit rem ſuo modo, neq; accuratè ſecutus eſt phraſin Hebraicam.* Cui ſimile eſt, quod D. Hieronymus nonnunquam de LXX. Interpretibus affirmat, ut Eccleſiaſtis cap. 1. רעות *Aquila & Theodotio νομὴν, Symmachus βόσκησιν, tranſtulerunt. LXX. autem Interpretes non Hebræum ſermonem expreſsère, ſed Syrum, dicentes προαίρεσιν.* Ita enim רעות in lingua Syra ſive Chaldæa προαίρεσιν, *Voluntatem*, ſignificat. In Jonathane agnoſcimus plura talia occur-

occurrere, quæ cuilibet illum legenti poſſunt eſſe obvia. Adhuc plura in Targum Hagiographorum. Et horum non pauca exempla notavit ipſe Elias in ſuo Methurgeman.

Secundò; Cùm differentias iſtas obſervarint jamdudum Aben Eſra, R. D. Kimchi, & ipſe R. Salomon Jarchi, qui omnes tanquam Patroni Punctorum Novitatis ſuprà fuerunt in teſtimonium advocati, mirum maximopere eſt, illos hoc argumento nunquam, ad Novitatem hanc probandam, uſos; imò nec ipſum Eliam, hujus ſententiæ patrem ac defenſorem acrem. Mirum, cùm diſcrepantias has notant & obſervant, ejusque cauſas inveſtigant, illos vel ignorantiam ſuam profiteri, vel alias rationes in medium adferre, nunquam verò ſcribere; Ideò hoc ab illis Paraphraſtis factum, quòd eorum tempore Puncta nondum extiterint. An in aliis minutiis tam ſagaces, tam judicioſi, tam oculati fuerunt, & in hoc ſolo cæcutiverunt?

Tertiò itaque operæ pretium, imò ad hanc rem ſcitu neceſſarium eſt, audire, quas illi harum differentiarum cauſas reddant.

ABEN ESRA in Præfatione rhythmicâ, Bibliis præfixâ, ſub finem; hac de re ita ſcribit; ומתרגם התורה תרגם אמת ׳ ובאר לנו כל נעלמת ׳ ואם דלק במקומות אחרי מדרשים ׳ ידענו כי יותר ממנו ידע השרשים ׳ רק חפץ להוסיף טעמים אחרים ׳ כי פשוטו יבינוהו אפילו הבוערים ׳ כמו עירה שלא תרגומו כבן אתון ׳ ותרגם בני יבנון ואתונו שער האיתון ׳ ובעבור הדרש דרך הפשט איננה סרה ׳ כי שבעים פנים לתורה וכו׳ h. e. *Qui tranſtulit Legem in linguam Chaldaicam, veritatem tranſtulit, & declaravit vel explicavit nobis omne occultatum. Quod ſi in locis quibuſdam ſectatus eſt Medráſchim, & explicationes Allegoricas, ſcire debemus, illum meliùs nobis ſciviſſe radices* (h. e. origines, & ſignificationem, lectionemque vocum literalem ac propriam): *Sed voluit addere ſenſus alios; Eò quòd ſenſum literalem intelligant etiam bardi:* ut עירה Geneſ. 49. v. 11. *non tranſtulit* בן אתון Pullum aſini, *ſed* לקרתיה Civitatem ejus: *& vocem* בני *Ibidem*, יבנון Ædificabunt (quaſi ſcil. ſcriptum eſſet בנו, vel יבנו) *&* אתנו, *quaſi ſcriptum eſſet* איתונו, *ut Ezech. 40. v. 15. legimus* שער האיתון. *Verùm propter Deraſch ſeu explicationem Allegoricam non tollitur ſenſus literalis: ſeptuaginta enim ſunt facies legis* (h. e. modi interpretandi eam). Hactenus ille.

His verbis Aben Eſra differentias has non abſentiæ punctorum,

neque veræ lectionis ignorationi in illis Paraphraſtis, adſcribit; ſed pro explicationibus allegoricis habet, quas ſenſui literali certas ob cauſas voluerunt ſuperaddere: Imò pro fundamento ponit, illos veram lectionem & ſignificationem meliùs ſciviſſe, quàm nos omnes.

R. D. KIMCHI ſæpiùs in ſuis Commentariis iſtiuſmodi diſcrepantias notat. Videamus ergo etiam ex quibuſdam locis, quid ille de iis ſenſerit.

Hoſeæ 11. v. ultimo legitur; עד רד עם אל ועם קדשים נאמן ubi præpoſitionem עם *Cum*, Chaldæus bis vertit per עַם *Populus*, ad quod ſcribit R. D. K.: ומן התימה שת' עם אל כמו עַם אל בפתח לא ידענו אם היה קורא אותו כך h. e. *Et mirum eſt, quod Jonathan hîc* עם אל *tranſtulit ac ſi ſcriptum eſſet* עַם אל *cum Pathach. Neſcimus an ſic illud legerit.* Si Kimchius in ea fuit opinione, Puncta tempore Jonathanis nondum fuiſſe, nec potuit, nec debuit mirari cur ita legerit: Si in ea fuit opinione, cur addit, *Neſcimus an ita legerit?* Sic enim certum eſt, eum ita legiſſe, ambiguitate vocis deceptum, nec illud neſcire potuit Kimchius. Quid ergo ſibi vult iſtis verbis, *Neſcimus an ita legerit?* Hoc ſcilicet; Neſcimus an tale exemplar habuerit, in quo hæc vox ita punctata fuerit. Quamvis etiam ea ſubeſſe poſsit cauſa, quam Aben Eſra modò reddidit; cùm in aliis etiam diſcrepet ejus verſio, ut quod רד transfert, ac ſi ſcriptum eſſet ירד.

Zachariæ cap. 14. v. 5. legitur; ונסתם *Et fugietis, &c.* Id Chaldæus Paraphraſtes transfert ויסתתים *Et obturabitur*, quod eſſet ונסתם.

Kimchius ad hoc in Comment. notat: דומה שהיה קורא ונסתם. *Videtur legiſſe* ונסתם; Idem ſcribit in libro Schoraſchim, in Rad. נס, ubi addit; *Ferunt, in quibuſdam libris correctis ſic ſcriptum reperiri.* Unde apparet, illum variæ lectioni exemplarium adſcribere rationem hujus differentiæ: ac proinde iterum liquet, Kimchium in alia ſententia fuiſſe, quàm Punctorum Novatores voluerunt. Varietatem hanc indicat etiam Aben Eſra: כל אנשי מזרח קוראים ונסתם h. e. Omnes Orientales legunt ונסתם.

Videmus neutrum horum, nec Aben Eſram, nec Kimchium, abſentiæ, ſed potiùs præſentiæ punctorum, hanc Varietatem adſcribere.

Simile

Simile ferè exemplum 2.Sam.19.v.15. ubi vocem וַיֵּט *Et inclinavit*, quæ eſt ex Conjug. activa Hiphil, Chaldæus paſsivè tranſtulit ואתפני *Et converſum vel inclinatum fuit*, ac ſi ſcil. eſſet ex Kal וַיֵּט. Ad quod Kimchius ſcribit; דומה שהיה קורא אותו ויט בצרי היוד והמסרה מעיד עליו שהוא בפתח היוד *Videtur legiſſe* וַיֵּט *cum Tzere ſub Jod: Maſora autem teſtatur, Jod eſſe legendum cum Pathach.*

Dices, *Atqui hinc non evidenter liquet, Kimchium de Notis & Figuris vocalium, tum jam extantibus, loquutum.*

Ajo, Imò; quod probatur ex eo quòd idem Kimchius eadem phraſi & ratione loquendi utitur, quando varietas aliqua oritur ex diverſitate Literarum ſeu Conſonantium; veluti Exemp. Gr. Jerem. 15. v. 14. legitur וְהַעֲבַרְתִּי *Et tranſire faciam.* Id Jonathan transfert וְתִשְׁתַּעְבְּדוּן *Et ſubjiciemini*, ac ſi ſcilicet ſcriptum eſſet וְהַעֲבַדְתִּי per Daleth in medio. Hîc eiſdem verbis Kimchius ſcribit; נראה כי יונתן היה קורא והעבדתי בדלת *Jonathas videtur legiſſe* וְהַעֲבַדְתִּי *cum Daleth.* Quomodo hoc intelligit Kimchius? Ita, quòd Jonathan vel in ſuo exemplari, quod præ manibus habebat, ſic ſcriptum repererit; vel quòd oſcitantiâ & incuriâ id commiſerit. Ergo eadem in præcedenti quoque, & ſimilibus locis, eſt mens Kimchii.

R. SALOMON etiam nonnunquam has differentias notavit. Hoſ.7.v.4. ſcribit: יונתן תרגם מה שתרגם ואיני יכול ליישב בו לשון המקרא *Jonathan transfert id quod transfert, neque poſſum ad ejus verſionem accommodare verba Scripturæ.* Vult dicere; Jonathan nonnunquam pro lubitu ſuo transfert, & à ſimplici Scripturæ ſenſu, atque literali lectione longiùs recedit. Sic dicunt quandoq; in genere de Rabbinis, ורבותינו פירשו מה שפירשו *Et Rabbini noſtri explicant quod explicant*, h. e. pro ſuo lubitu, ut in R.Salom. Zach.1.8.

Ezech. cap.27. v.16. ad vocem מִנִּית ſcribit idem: ואף לפי נקוד דגש דרכו של יונתן לתרגם התיבה פעם משמעה פעם מדרשא כן תרגם וגם שם העיר המונה אנו נוקדים. שם והמונה לא נפיק הא ותרגם ואף לתמן יהדמון קטולי קרתא דכניאין איתרגושתהא h. e. *Etiam circa punctum Dageſch conſuetudo Jonathanis eſt, quandoque vocem aliquam exponere literaliter, quandoq; allegoricè. Sic in loco Ezech.39.v.16.* וגם שם עיר המונה, *ubi nos He in voce* הֲמוֹנָה *non notamus cum Mappik, ipſe tamen tranſtulit,* אתרגושתהא Tumultus ejus, (ac ſi ſcilicet eſſet הֲמוֹנָהּ). Vides, Lector, R.Salomonem hanc inter-

pretationem non adſcribere ignorationi, ac ſi Jonathan ignoraſſet ה eſſe ſine Mappik, ſed Allegoriæ; quin potiùs ſtatuiſſe, Punctationem τοῦ Dageſch cum ſciviſſe & habuiſſe, ſed non attendiſſe.

Geneſ. 14. v. 5. legitur, ואת הַזּוּזִים בְּהָם *Et Suſim in Ham*; Onkelos & Jonathan id transferunt ſimiliter ita, ut הָם acceperint pro Nomine proprio; וְיַת תַּקִּיפַיָּא בְהָמְתָא: Sed in Targum Hieroſolymitano, יַת זִיוְתָנַיָּא די בהון *Qui in eis*, ac ſi ſcilicet ſcriptum eſſet בָּהֶם. Et ſic in Bereſchith rabba, ſect. 41. An hîc Hebræi ſtatuunt, authorem Targum Hieroſolymitani pro בהם legiſſe בָּהֶם, & punctis caruiſſe? Minimè gentium: ſed dicunt, hoc eſſe Medraſch, expoſitionem allegoricam. Hinc in Commentario מתנות כהונה ſcribitur; דָּרַשׁ זוזים ל׳ זִיו בְּהָם בקמץ כְּמוֹ בסגול h. e. *Allegoricè exponit* זוזים *ex ſignificatione nominis* זיו (ac ſi ſcil. ſcriptum eſſet זיוים, per alluſionem) *&* בהם *quod eſt cum Kametz, ac ſi eſſet cum Segol* (non quòd vel ſic alicubi ſcriptum repererit, aut literaliter ſic legendum exiſtimârit).

Paraphraſtæ etiam non ſemper ad rationem vocum Grammaticam attenderunt, ſed ad ſenſum; & ſingularem fortaſsis aliquam cauſam nobis incognitam habuerunt, ad quam reſpexerunt. Hinc ſcribit Elias in Præfat. Methurgeman: והנה הַמְּתַרְגְּמִים לא שָׁמְרוּ לִפְעָמִים דֶּרֶךְ הַדִּקְדּוּק h. e. *Et ecce Paraphraſtæ Chaldæi quandoque non obſervarunt rationem Grammaticæ.*

Quartò, quod Poſteriores Paraphraſtas quoſdam attinet, crebræ, & crebriores ferè quàm in cæteris, occurrunt apud illos tales diſcrepantiæ; cùm tamen illarum quidam demùm poſt Maſorethicos iſtos Punctatores ſcripſiſſe videantur, ſaltem poſt collectum & obſignatum opus Talmudicum: Statim autem poſt hujus obſignationem dicunt Puncta à Maſorethis inventa fuiſſe. Dico ergò; Si etiam apud tales Interpretes quoſdam, qui demùm poſt Inventionem punctorum Translationes ſuas fecerunt, tales diſcrepantiæ occurrunt, omninò veriſimile eſt, cauſam hujus rei eſſe aliam, quàm Punctorum defectum & abſentiam; nempe, ut Hebræi omnes ſentiunt, *vel* Pruritas allegorizandi in Scriptura, & varios ſenſus ex ea eliciendi, ſenſuique literali ſuperinducendi: *vel* nonnunquam Diverſitas aliqua in exemplaribus, quæ multis de cauſis ante inventam Typographiam in ea incidere potuit: *vel* quandoq; aliqua obſcuritas, incertitudo & dubitatio; cùm vel vetuſtate at-

tritæ,

tritæ, vel non diſtinctè ſatis expreſſæ fuerunt notæ literarum vel punctorum: *vel* Interpretum ipſorum ſeu oſcitantia, ſeu naſutia, ſeu *αὐθάδεια*: *vel* etiam punctatorum codicum defectus, (ob illorum raritatem, non totalem non-exiſtentiam): vel aliqua alia nobis fortaſsis ignota.

Quintò; Conſtat, in quanta authoritate & olim fuerit, & etiamnum hodiè ſit apud Judæos Paraphraſium Chaldaicarum, Onkeli præcipuè & Jonathanis, authoritas; utpote qui Talmudis ipſius authoritate, tanquam viri planè divini & perfecti, ſunt commendati & canonizati, unà cum ſuis Interpretationibus. Scribunt, Jonathanem accepiſſe doctrinam ſuam Targumicam à Zacharia, Haggæo, & Malachia, Prophetis; Onkelum verò, à R. Elieſero, & R. Jehoſua, qui & ipſi à Prophetis acceperint: Scribunt, quòd, Jonathane Scripturam interpretante, tota Palæſtina terræ motu concuſſa fuerit; & vox è cælo audita, *Quis eſt iſte, qui filiis hominum arcana mea revelat?* Item, quòd ſi fortè muſca, aut aliud volatile, eâ horâ quâ huic interpretationi conſcribendæ vacabat, ipſi vel chartæ ejus inſederit, illicò abſque ulla vel ipſius, vel chartæ læſione, cælitùs exuſta fuerint: Quòd Angeli è cælis advolarint, auſcultandi causâ, quando ſtudiis vacabat: Quòd ex 80. Hillelis diſcipulis, omnibus eximiæ eruditionis viris, hic Jonathan maximus & præſtantiſsimus fuerit, &c. Imò Talmud ipſum tantùm Paraphraſtibus Chaldaicis tribuit, ut aliquoties legatur in eo, אִלְמָלֵא דִתַרגוּמָא דהַאי קְרָא לָא הֲוָא יָדְעֲנָא מַאי קָאמַר *Niſi Targum iſtius loci eſſet, neſciremus quidnam diceret; non intelligeremus illum*, Sanhedr. fol. 94. 2. Moëd Katon fol. 28. 2. Megilla fol. 3. 1.

Dico ergo; Si puncta demùm poſt confectas Paraphraſes Chaldaicas iſtas ſunt inventa, annon mirum maximopere eſt, cur Maſorethæ iſti recentes & obſcuri, Interpretum tàm antiquorum, tam eruditorum, in tanta authoritate poſitorum, atque adeò ipſius Talmudis teſtimonio approbatorum & canoniſatorum, lectionem & judicium in tam multis locis non ſint ſecuti; ſed, illis (quod ſine crimine vix videntur potuiſſe facere) neglectis ac poſthabitis, novam lectionem in Scripturam invexerint & introduxerint? Cur non fecerunt Maſorethæ, quod hodie quidam vel faciendum, vel ſine crimine fieri poſſe exiſtimant, ut Textum Hebraicum juxta divinorum horum Paraphraſtarum mentem, partim correxerint,

partim punctaverint & diſtinxerint? Annon cogitare debuerunt; Summi iſti viri, hanc vel illam vocem aut ſententiam his punctis legerunt, ut ex translatione ipſorum liquet, hæcq; ipſorum lectio nihil abſurdi infert: Ergo ita legenda, ita punctanda, noſtrum non eſt illis hic præſcribere, in illorum præjudicium aliquid agere: Propiores iſti Paraphraſtæ Chaldæi fuerunt ſeculo Prophetarum, vixerunt ſtante adhuc Urbe, Templo, vigente adhuc ſacerdotio ſummo, florentibus adhuc noſtris Scholis, magis integrâ & incorruptâ adhuc exiſtente Legis oralis propagatione, &c? An itaq; probabile eſt, ita faſtuoſos & præſumptuoſos eo ſæculo Maſorethas inveniri potuiſſe, qui hoc tentare atque animum inducere, nedum publicè aggredi & factitare, auſi fuerint? Aut ſi id feciſſent, annon vel publicè exploſi fuiſſent, vel aliqui ſaltem in populo Judaico extitiſſent, qui ſe ipſis oppoſuiſſent, qui dixiſſent; Unde nova iſta lectio? Annon Onkelos & Jonathan ſic legerunt, ſic punctârunt, quinam iſti, qui illos emendare atque corrigere præſumunt? Atqui ne leviſsimum quidem hujus rei veſtigium in Hebræorum ſcriptis uſpiam comparet.

Quid ergo? Pronum certe eſt hinc concludere, Omnes in univerſum Judæos ſemper hanc Punctationem & Lectionem, tanquam antiquam & genuinam; harumque diſcrepantiarum alias cauſas, agnoviſſe & credidiſſe, quas jam ſuprà, & jam modò indicavimus, ut ſic ex his diſcrepantiis Punctorum antiquitas potiùs aſtruatur, quàm deſtruatur.

Et non magis ex his Chaldæorum Paraphraſtarum diſcrepantiis dubitatio aliqua de Punctatione vel lectione genuina & literali aliquid concludi poteſt, quàm ſupra ex illis Axiomatibus Talmudicis, אל תקרא כך אלא כך *Ne legas ſic, ſed ſic:* יש אם למקרא יש אם למסורת *Eſt mater Maſora, & eſt mater Traditioni*, vel, *Maſora habet matrem, & Traditio habet matrem.*

Sextò denique & hoc attendendum, utut concedatur, concludi hinc aliquo modo poſſe, Paraphraſtas hos non punctatis codicibus uſos fuiſſe, non tamen neceſſariò ſequi, nullos uſpiam extitiſſe, ſed hoc duntaxat, quòd non in uſu tunc fuerit, ut puncta vulgo adhiberentur & adſcriberentur.

Caput

Caput XI.

In quo expenditur Argumentum, ex D. Hieronymo, cæteriſq; Patribus, Græcis & Latinis, deductum, pro Punctorum Novitate.

D. Hieronymus quoque magna cum pompa, magnoque cum triumpho in ſcenam hanc producitur, plauſibileque & ſpecioſum admodum pro Punctorum Novitate, tum ex ejus Verſione, tum ex Commentariis, reliquiſque ejus ſcriptis, argumentum exſtruitur: *Cùm enim D. Hieronymus nonnunquam etiam ab hodierna Punctatione in Verſione ſua diſſentiat; & in ſuis Commentariis, aliiſq; ſcriptis, nuſpiam Punctorum Vocalium mentionem faciat, ſed altum ubiq; ſit de eis in Scriptis ipſius ſilentium; hinc concludunt, illa nondum ejus ſæculo extitiſſe, ſed poſtea demùm inventa eſſe. Quòd ſi enim extitiſſent, ſine dubio nullis ſumptibus, nullis laboribus peperciſſet, ut tale aliquod exemplar, ad novam ſuam verſionem cudendam, ſibi comparaſſet: aut ſi minus id a Judæis impetrare potuiſſet, ſaltem aliquid hac de re alicubi prodidiſſet ac meminiſſet.* Argumentum hoc prolixè urget Arcani Punctationis Revelator lib. 1. cap. 10.

℟ Quod hoc Argumentum attinet, fatemur, ſi firmiter & ſolidè ſatis concluderet, multùm juvaret Adverſariorum ſententiam, maximè quoad Temporis circumſtantiam, quo puncta adinventa volunt. Verùm exiſtimamus hîc quoque, ut in præcedentibus, nonnulla conſideratione dignisſima intercedere, quo minùs Conſequentia iſta, tanquam certa & evidens, admittatur.

Primò, Si ideò dicendum, Puncta Hieronymi ævo nondum extitiſſe, quòd nullam eorum in ſcriptis ſuis mentionem faciat; pari conſequentiâ id de aliis quoque concludi poſſet rebus non disſimilibus. Sic dici poſſet; nec Notas τῶ *Keri Uketif* ejus extitiſſe

tempore

tempore. Nullam ille facit mentionem Vocum in textu Scriptarum, ſed non lectarum: vel Lectarum, ſed non ſcriptarum: vel aliter, ſeu honeſtatis, ſeu religionis, ſeu alia de causâ, ſcriptarum, & aliter lectarum, ne quidem, quod ego ſciam, uno in loco. At verò cùm adeò tenaciter Veritati Hebraicæ ubique adhæſerit, annon vel ſemel id aut potuiſſet aut debuiſſet facere? Cùm autem id non fecerit, an propterea dicemus, hæc ejus tempore nondum in codicibus Hebræis fuiſſe? Nequaquam. Reclamat enim Talmud, reclamant antiquiſsima Hebræorum ſcripta. Et fateri hoc coguntur Punctorum Novatores ipſi. Pariter etiam dicendum eſſet, ſi hæc Conſequentia valeret, nec Paraphraſes Chaldaicas eo tempore fuiſſe, quia nec harum alicubi mentionem facit. Cùm verò præter Hebræos codices, Samaritanos quoque & alios contulerit & conſuluerit D. Hieronymus, hos certè non neglexiſſe eſt credendum; cùm in multis locis magno ſubſidio ipſi eſſe potuerint. Quis autem dubitat, quin eo tempore Paraphraſes Chaldaicæ, Onkeli & Jonathanis, jam extiterint, & familiariter ac quotidiano inter Judæos uſu triti fuerint? At ne nomina quidem illorum apud D. Hieronymum leguntur; & tamen vix credibile eſt, illum nihil de his Paraphraſtis audiviſſe, cùm Judæos doctos Præceptores habuerit.

Secundò; Ideò quoque nullam illorum Nominetenus mentionem fortaſsis facere potuit; quòd Puncta iſta Nomina, quibus hodiè vocantur, nondum habuerint, vel ſaltem ipſi non innotuerint; utpote quæ demùm à Grammaticis vel Maſorethis poſterioribus illis videntur impoſita. Mentionem facit in Genere *Vocalium literarum*, quo nomine quidni etiam poſſent Puncta ipſa indigitari?

Tertiò; Fieri potuit, ut Puncta reipſa quidem extiterint, & tamen D. Hieronymus nullum tale exemplar nactus fuerit, ob exemplarium punctatorum eo tempore raritatem & caritatem: ſive jam illa raritas ex conſuetudine inveterata, ſive ex religione aut ſuperſtitione aliqua, ſive ex negligentia, ſive ex deſcribendi emendatè difficultate, ſive alia quavis de cauſa, irrepſerit, de qua re alibi pluribus agetur. Nam de hoc conſtat, quòd antiquitùs Exemplaria punctata rara fuerint. Hinc itaque facilè fieri potuit, ut Hieronymum hoc vel latuerit, vel ut de tali aliquo exemplari nanciſcendo deſperârit, ac proinde Judaicum Præceptorem in ſubſidium & compen-

compenſationem hujus defectus accerſiverit ac conduxerit, vel etiam non admodùm ſollicitus ea de re fuerit; ſeu quòd huic Punctationi non ſatis fideret, ſeu quòd alias ob cauſas ipſi vel ſuſpecta eſſet, vel non ſatisfaceret. Sic hactenus ad hoc Argumentum reſponderunt multi Viri doctiſsimi, ex quibus etiam Vir, ut in his literis olim doctiſsimus, ita de iis quoq; meritiſsimus, & aliâs Eliæ, ejuſque placitis addictiſsimus, Sebaſtianus Munſterus. Sic enim ille de hac re ſcribit in Præfatione Bibliorum ſuorum: *Docemur ex D. Hieronymi ſcriptis, Hebræorum ſcripta non omninò contemnenda ab eo, qui Sacros Hebraicos codices conetur Latinos facere; cùm vir ille talis & tantus, non dedignatus fuerit Hebræos habere Præceptores: imò fatetur, ſe Biblia Sacra neutiquam potuiſſe interpretari citra illorum ſuppetias. Expoſuit etiam ob eam rem nummos plurimos, ut illi eſſent à ſubſidiis. Nec dubito, ſi Hieronymo fuiſſet, vel Aben Eſræ, aut Moſis Gerundenſis, aut Ben Gerſon, aut Davidis Kimchi Commentarius, vivo Præceptore opus non habuiſſet. Nunc autem in tanta librorum penuriâ caruit etiam Sacro codice, qui notulis & punctis eſſet diſtinctus. Quæ res non parum Interpretibus impoſuit, ut ſæpiuſculè unam dictionem pro alia legerint, ſicut & Rakanati ait;* יָדוּעַ הוּא כִּי הָאוֹתִיּוֹת כְּשֶׁאֵינָן נְקוּדוֹת יֵשׁ לָהֶן פָּנִים הַרְבֵּה אֲמָנָם כְּשֶׁהֵם נְקוּדוֹת אֵין לָהֶם רַק מַשְׁמָעוּת אֶחָד כְּפִי הַנְּקוּדָּה. hoc eſt, Certum eſt, quando Literæ non punctantur, poſſunt vario legi modo: quando verò habent puncta adjecta, unum duntaxat præ ſe ferunt ſenſum, juxta punctationis formam. *Et addit:* בְּעֵת הַקְּרִיאָה קוֹרִין בְּסֵפֶר תּוֹרָה כְּפִי הַקַּבָּלָה שֶׁנֶּאֱמַר לְמֹשֶׁה בְּסִינַי Quando verò legunt in libro Legis, legunt ſecundum acceptionem illam, quâ Dominus loquutus eſt in monte Sinaj ad Moſen. *Non ſunt igitur Puncta vocalia novum quoddam Judæorum inventum, ut illud hîc obiter commemorem, ſicut Steuchus, & quidam alii ſimiles exiſtimant; cùm, ſecundum Rabbinorum ſententiam, per* ESRAM *ſcribam, nedum Puncta vocalia, verùm & Accentuum figura ſacris codicibus ſint adjectæ; Etiamſi ſunt alii, qui aſſerunt, Puncta à Judæis Tiberiadis commorantibus adinventa, qui ſemper in Lingua Sancta cultiores & politiores fuerunt. Quare verò olim, tempore Hieronymi, Biblicus textus non fuerit diſtinctus, Rabbi Menachem hanc reddit rationem, &c.* Sequentia verba vide ſuprà ſub finem cap. 4.

Quarto; Ex ſcriptis D. Hieronymi apparet, illum hoc quoque

principium habuiſſe; Textum Hebræum dupliciter conſiderari poſſe, *Vel* ſine Punctis & certa aliqua ac limitata lectione, & ſic varium admittere ſenſum, ut ſuprà de Hebræis vidimus: *vel* cum Vocalibus & certa ac definita, circumſcriptaq; lectione. Itaque fieri poteſt, ut licet punctatum exemplar habuerit aut viderit, tamen illi non ſemper adhærere voluerit, ſeu quòd, à Judæis ſic edoctus, noluerit ſe Punctationis anguſtis limitibus includere, ut & ipſe Allegoriis tanto liberiùs indulgere poſſet, ſeu quòd, ut hodiè nonnulli faciunt, & ipſe alicubi innuit, jam tùm non ſatis Judæorum lectioni, & exemplaribus, fideret, ac propterea proprium aliquando judicium interponere voluerit, ſive aliam aliquam ob cauſam.

Sanè D. Hieronymum circa Hebraici contextus lectionem oculatiorem fuiſſe, & propius, imò quam proximè ubiq. ferè ad noſtram punctationem, in locis etiam ambiguis, acceſſiſſe, nemo ignorare poteſt, niſi qui in ejus Verſione & Scriptis plane eſt hoſpes. Huic rei indagandæ, ſi quis in ejus lectione operam navare voluerit, non pauca colligere poterit loca, ex quibus non immeritò quis ſuſpicari poſſet, Punctata exemplaria illi non abſcondita fuiſſe.

De nonnullis, quæ nunc nobis ſuccurrunt, indicium Lectoribus faciemus, & judicium de illis, ut & plura inquirendi ſtudium, aliis ſagacioribus & ſolertioribus relicturi.

I. Obſervo Loca nonnulla, in quibus Verba ſecundum Conſonas ambigua, juxta hodiernam Punctationem legit & reddit, ac dicit, *In Hebræo ſic legi, ſic habere.*

Notus eſt locus Geneſ. 15. v. 11. ubi hæc duo verba Hebræa, וַיַּשֵּׁב אֹתָם, LXX. reddunt; *Καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Et ſedit cum eis* (id eſt, וַיֵּשֶׁב אִתָּם). D. Hieronymus hujus interpretationis mentionem faciens, ſcribit, *Pro his, quæ poſuimus, in Hebræo habet*; Et abigebat eas Abram (וישב אֹתָם ut hodie punctatur).

Quomodo dicit Hieronymus, *In Hebræo ſic habere*, cùm abſentibus punctis non magis hoc quàm illud habeatur? Utroque enim modo

modo conſonantes illarum vocum animari & punctari poſſunt. Præſentibus, non abſentibus punctis, in Hebræo habetur quod dicit Hieronymus. Quis Hieronymo Maſorethicam hanc lectionem indicavit? Dices, *Hieronymum ſic à Præceptore ſuo didiciſſe*. At, regero, qui majorem fidem illi Judæo, quàm LXX. ſelectiſsimis Interpretibus tribuit? Aliquid ergò magis acceſsiſſe videtur, quod ipſum in hac ſententiâ confirmarit.

Jeſa. cap.2. v.ult. legimus: *Deſiſtite ergo ab homine, cujus ſpiritus in naribus ejus, quia* במה *reputatus eſt ipſe.* Vocula hæc במה eſt ambigua, & legi poteſt בַּמֶּה h. e. *ἐν τίνι* ut hodiè legimus, & olim Aquila reddidit: vel בָּמָה *Excelſum*, quam ſignificationem exprimit Interpres Vetus Latinus. D. Hieronymus annotat: *Verbum Hebraicum* במה, *vel ὕψωμα dicitur, id eſt,* Excelſum, *quod & in Regnorum libris, & in Ezechiele legimus; vel certè,* In quo, *& eiſdem literis ſcribitur* במה, *ac pro locorum qualitate, ſi voluerimus legere,* In quo, *dicimus* במה: *ſin autem* Excelſum *vel* Excelſus, *legimus* במה. *Intelligentes ergò Judæi, eſſe Prophetiam de Chriſto, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati ſunt, ut viderentur non laudare Chriſtum, ſed vilipendere.*

In hoc & ſimilibus locis *primò* inquirendum eſſet, quomodo D. Hieronymus olim differentiam ambiguarum harum vocum manu ſuâ expreſſerit? quomodo במה *Excelſum*, à במה *In quo*, diſtinxerit? *deinde* conſiderandum, annon quod dicit; Judæos *interpretatos eſſe* hanc vocem *in deteriorem partem*; de Punctatione poſſit accipi, quòd ſic hanc vocem punctarint? quia antea quoq; dicit, *In Hebræo ſic haberi?* Quomodo enim in Hebræo *ſic eſt?* quomodo *Interpretati ſunt*, ſi vox ſine punctis manſit, ſi nulla *διάκρισις* realis addita? *tertiò*, notandum, quòd Judæos ſuſpectos habuerit de corrupta lectione & interpretatione quorundam locorum. Unde fieri poteſt, ut hac quoque de cauſa à recepta lectione quandoque receſſerit.

Jeſa.5.14. legitur: באזני יהוה צבאו׳ וגו׳ *In auribus meis* Domini exercituum: *Sic cap.22. v.14.* ונגלה באזני יהוה צבאו׳ וגו׳ Et revelatum eſt *in auribus meis* Domini exercituum. Vox בְּאָזְנָי formam habet pluralem cum affixo primæ perſonæ, *In auribus meis*: ſed valdè irregulariter hic uſurpatur: & ratio ſermonis ac conſtructionis omninò poſtulare & requirere videtur formam conſtructam

בְּאָזְנָי *In auribus Domini exercituum revelatum eſt*; nec quiſquam abſentibus punctis facile aliter legeret. Unde LXX. ſimpliciter; *ἐν τοῖς ὠσὶ Κυρίου σαβαώθ*: & *εἰς τὰ ὦτα Κυρίου σαβαώθ*. D. Hieronymus ſcribit: *Pro eo quod nos* juxta Hebraicum *vertimus*; In auribus meis *ſunt hac Domini exercituum*; *LXX. tranſtulerunt*, *ἠκούσθη εἰς τὰ ὦτα Κυρίου σαβαὼθ ταῦτα* *Audita ſunt hac* in auribus *Domini Sabaoth*.

Quomodo dicit hic Hieronymus, ſe *juxta Hebraicum* vertiſſe, *In auribus meis*, ſi nulla vidit vel habuit puncta? Cur non acquievit in Interpretatione τῶν LXX. quæ cum literis & conſonantibus, imò etiam cum ſenſu, optimè congruit? An באזני ſine punctis, magis eſt *In Auribus meis*, quàm ſimpliciter, *In auribus*? Vel, an ſenſus magis illud poſtulavit, quàm hoc? Nequaquam. Sine punctis æquè hoc & illud ſignificat; & ſenſus unum æquè ac alterum admittit, imò magis illud quod verterunt LXX. Ergo videtur aliquod exemplar Hebraicum habuiſſe, in quo ita fuit, ut legit. Eſſe autem hoc non potuit ſine punctis. Si lectio hæc, quam puncta hodiè repræſentant, quamq; ſecutus eſt Hieronymus, eſt Rabbinica & Maſorethica; Ergo iſti Punctatores fuerunt ante Hieronymum.

Si dicas, *Hieronymum à Præceptore ſuo Judæo audiviſſe ita legendum*; Reſpondeo; Hieronymus hoc non dicit, ſed dicit, *ſe juxta Hebraicum vertiſſe ita*: Quando à Præceptoribus ſuis ſingularem aliquam lectionem didicit, diſertis id fatetur verbis; *Dicebat mihi Hebræus, qui me in Scripturis erudivit, vel inſtituit*: *Audivi ab Hebræo*; *Referebat mihi Hebræus*: *Audivi ab Hebræo*; & ſimilibus. Et cùm in ſenſu hîc nulla ſit ambiguitas, in conſtructione major congruitas ſecundum lectionem LXX. cur non horum potius, quàm ſui Magiſtri authoritatem ac judicium eſt ſecutus?

Geneſ. 47. v. ult. וַיִּשְׁתַּחוּ יִשְׂרָאֵל עַל רֹאשׁ הַמִּטָּה׃ *Et incurvavit ſe Iſrael ad caput* המטה *Lecti*. Hic vox המטה׃ eſt ſine punctis æquivoca. Poteſt enim legi הַמִּטָּה׃ *Lecti*, & הַמַּטֶּה׃ *Virga*, quomodo reddiderunt LXX.

Ad hæc verba ſcribit Hieronymus Quæſt. in Geneſin p. 228. *In hoc loco fruſtra quidam ſimulant, adoraſſe Jacob* ſummitatem ſceptri Joſeph, *quòd ſcilicet, honorans filium, poteſtatem ejus adoraverit*, cùm in Hebræo multò aliter legatur.

Quomodo

Quomodo dicit Hieronymus, *Multo aliter legi in Hebræo*; cùm Hebræum המטה nudis conſonis utroq; modo legi poſſit,&c, tam *Virgæ*, quàm *Lecti*, explicari poſſit, nec ulla ſit differentia?

Et mox ad Geneſ.48.v.2. ubi idem vocabulum מטה per *Lectulum* LXX. tranſtulerunt, ſcribit: *Cauſam, cur LXX. Interpretes idem verbum aliter & aliter ediderint, neſcio: hoc unum audacter dico, quòd ipſum verbum* Mittah, *quod hic in* Lectulum *tranſtulerunt, ſuprà, ubi diximus adoraſſe Jacob*, Virgam *potiùs, quàm* Lectulum *nominaverint.*

Quomodo hic dicit Hieronymus, *ſe neſcire cur verbum idem* כמטה, *nunc* Lectulum, *nunc* Virgam *interpretati ſint*, ſi nulla habuit puncta? An ignoravit, מטה ſine punctis dupliciter legi poſſe, & duplicem hanc ſignificationem admittere? Annon ipſemet paſſim, ut Jeſa.10.5. & 28.27. alibique כמטה per *Virgam* tranſtulit? Quomodo ſcivit, utrobiq;, Gen.47. v.ult. & 48. v.2. eſſe eandem vocem? Nonniſi adjectis punctis vocalibus una eademq; eſt vox. Punctis abſentibus per duas voces poteſt legi. Quis non hinc ſuſpicetur, Hieronymum habuiſſe exemplar, in quo manifeſtè utrobique idem Verbum fuerit?

*Geneſ.*17. *v.*15. legitur; *Sara uxor tua, non* תקרא Vocabis *nomen ejus Saraj, &c.* LXX. reddiderunt; *Sara uxor tua οὐ κληθήσεται* non vocabitur *nomen ejus Saraj.* Hieronymus ad hæc ſcribit; *Signanterq;, non ut in Græco legimus:* Dixit Dominus ad Abraham, Saraj uxor tua *non vocabitur* nomen ejus Saraj; *in Hebræo habetur;* Non *vocabis* nomen ejus Saraj.

Vox תקרא ſine punctis ſcripta, tàm poteſt legi תִקָּרֵא *Vocabitur*, κληθήσεται, quàm תִּקְרָא *Vocabis*: Cùm ergo LXX. videantur legiſſe תִקָּרֵא, quis Hieronymo perſuaſit, in Hebræo legi תִּקְרָא? Si nullum habuit punctatum exemplar, quî tam confidenter ſcribere auſus eſt; *Signanter in Hebræo habetur*, Non vocabis, h.e. לֹא תִקְרָא, ut noſtri punctati codices habent? Quomodo quæſo *ſignanter* in Hebræo eſt *Vocabis*, ſine punctis ſeu *ſignis* aliquibus?

Geneſ.18.13. *Et riſit Sara in ſeipſa, dicendo* אַחֲרֵי בְלֹתִי הָיְתָה־לִּי עֶדְנָה וַאדֹנִי זָקֵן *Poſteaquam ſenui, facta eſt mihi voluptas, & dominus meus ſenex eſt?* LXX. tranſtulerunt ex D. Hieronymi interpretatione: *Riſit autem Sara in ſemetipſa, dicens: Necdum mihi factum eſt uſque nunc, & dominus meus ſenex eſt.* D. Hieronymus ad

hæc: *Aliter multo legitur in Hebræo:* Et riſit Sara in ſemetipſa, dicens: Poſteaquam attrita ſum, facta eſt mihi voluptas? *Simul nota, quòd ubi nos poſuimus,* Voluptatem; *ibi* Eden *ſcriptum eſt in Hebræo.*

In his verbis vocabulum ערנה LXX. reddiderunt; Ἕως τοῦ νῦν *Uſq; nunc*; legentes ſc. עֲדֶנָה, quomodo legitur Eccleſiaſt. 4. 2. *Qui ſunt vivi* עֲדֶנָה *Uſque nunc.*

Cùm igitur hæc vox legi poſsit & עֲדֶנָה, & עֶדְנָה; & ſignificare poſsit, tàm *Uſq; nunc*, quàm *Voluptatem*, & LXX. priorem lectionem ſint ſecuti, quis Hieronymo dixit; *Aliter multò haberi in Hebræo*, quàm ipſi legerint; *& in Hebræo ſcriptum eſſe* Eden; quod *Voluptatem* ſignificat? Quomodo tam certus hac de re eſſe potuit, ſi nullum habuit exemplar, in quo diſertè, additis punctis, ita ſcriptum fuit?

Pſal. 90. *v.* 8. legimus: עֲלֻמֵנוּ לִמְאוֹר פָּנֶיךָ Occulta noſtra *in lucem faciei tuæ.* LXX. Græci: Ὁ Αἰὼν ἡμῶν Seculum noſtrum *in illuminatione vultus tui*, legentes ſc. עֹלָמֵנוּ. D. Hieronymus in Epiſtola ad Cyprianum, quâ Explanatio hujus Pſalmi continetur, vertit עֲלֻמֵנוּ *Negligentias noſtras*, h. e. Errores, Ignorantias, & notat: *Ubi nos, juxta Hebraicum & Symmachum, poſuimus*, Negligentias noſtras, *pro quo LXX.* Seculum *tranſtulerunt, in Hebraico ſcriptum eſt* Alumenu, *quod quinta editio interpretatur* Adoleſcentiam, &c. Et mox: *Miror autem, cur LXX. voluerint pro* Alumenu, *id eſt*, Adoleſcentiâ, Negligentiis & Erroribus ſive Ignorationibus, *dicere* Seculum, &c.

Hîc nota, quòd vox עלמנו ſine punctis ſcripta, duobus modis legi poſsit; עֲלֻמֵנוּ *Alumenu*, ut legit Hieronymus, & עוֹלָמֵנוּ *Seculum noſtrum*, ut legerunt LXX. Quâ de cauſa itaque miratus eſt D. Hieronymus, cur LXX. per *Seculum noſtrum* reddere voluerint? An ignoravit hanc vocem, nudis conſonis ſcriptam, commodè ſic legi poſſe? Et quis ipſi dixit, quòd in Hebræo ſcriptum ſit *Alumenu*, non *Olamenu*, cùm ſine punctis tam hoc ſcriptum ſit, quàm illud? Vel Judæi, vel Punctata exemplaria ipſi hanc lectionem ſuppeditarunt.

In eadem Epiſtola ad vocem יָמֵינוּ *Dies noſtros*, Pſal. 90. v. 12. quam LXX. tranſtulerunt per *Dexteram*, ac ſi nimirum eſſet à יָמִין: ſcribit: *Errorem eſſe perſpicuum.* Quomodo error *perſpicuus* eſt, ſi nulla adfuerunt puncta?

Ibid.

Ibid. Pſal. 90. *v.* 15. שמחנו Hieron. vertit *Lætifica nos*: LXX. Εὐφράνθημεν *Lætati ſumus*, h. e. שְׂמַחְנוּ.

Verbum שמחנו, nudis conſonis, ſine punctis ſcriptum, non minùs legi, & ſignificare poteſt שָׂמַחְנוּ *Lætati ſumus*, ut legerunt LXX. quàm שַׂמְּחֵנוּ *Lætifica nos*, ut Hebraici noſtri libri legunt. Cur ergo Hieronymus non ſequutus eſt LXX. ſed noſtram lectionem? Quia ſic in libro ſuo habuit & invenit.

Exo. 13. 18. legitur de Iſraëlitis: וַחֲמֻשִׁים *aſcenderunt filii Iſraël ex terra Aegypti.*

Vox וחמשים, poſsit legi וַחֲמִשִּׁים *Chamiſchim* vel וַחֲמֻשִׁים *Chamyſchim* vel *Chamuſchim*, & diverſimodè exponitur ab Interpretibus, qua de re D. Hieron. ad Damaſum Papam, Quæſtione ſecundâ, agens, ſic poſt alia ſcribit: *Exiſtimanti curioſitatem eſſe finitam, major quærendi ardor exoritur, & ad ſimilitudinem Hieremiæ diſſolvor undiq;, & ferre non poſſum, Quare LXX.* Quintâ generatione, *& Aquila tranſtulerit* Armatos. *Volumen Hebræum replico, quod Paulus* φαιλόνην, *juxta quoſdam, vocat, & ipſos characteres ſollicitiùs attendens, ſcriptum reperio,* Vahamuſim alu bene Iiſrael meèretz Mitzrájim, &c. Et mox: *Aquilam verò, ut in cæteris, & in hoc maximè loco, propriè tranſtuliſſe, omnis Judæa conclamat.*

Quomodo intelligendum, quod hîc dicit Hieronymus, *ſe Hebraicum volumen replicaſſe, & ex ipſa ſollicitiore characterum inſpectione ſcriptum reperiſſe* Vahamúſim? Quâ curâ, quâ ſollicitiſsimâ attentione *aſſequi potuit, utrum* Vahamúſim, *an Vahamiſim* ſcriptum fuerit, ſi Volumen illud Hebraicum nulla habuit puncta? Ex nuda *conſonarum inſpectione* id divinare quidem poterat; ſed non dicere, *ſe ita ſcriptum reperiſſe.*

Geneſ. 38. v. 12. *Et aſcendit ad tondentes oves ejus, ipſe & Chirah* רֵעֵהוּ Amicus ejus. Sic in Hebræo. LXX. Græci, *Ipſe & Hiras* ὁ ποιμὴν αὐτοῦ Paſtor ejus, (h.e. רֹעֵהוּ.)

D. Hieronymus notat: *Pro* Paſtore *legitur* Amicus (*ſcil. in Hebræo*). Cum רעהו ſine punctis tam *Paſtorem*, quàm *Amicum* denotet, quomodo dicit, *In Hebræo legi* Amicum? cur, nullâ urgente causâ, non ſecutus eſt LXX. interpretationem, quæ cum litera Hebraica convenit? *Quia aliter legebatur.* Ubi verò aliter ſic legi potuit, quàm in codice punctato?

Habac. 3. v. 4. *Et cornua* מִיָּדוֹ *è manu ejus.* LXX. in numero

plurali,

plurali, *In manibus ejus* (h. e. מִיָּדָו). D. Hieronymus: *Quia verò & in Hebræo, & in cæteris editionibus, non habet ſcriptum*, Cornua in manibus ejus; *ſed*, In manu ejus, *quod dicitur* יָדוֹ *Manum Dei fortem atque robuſtam intelligamus.* Quæro, quomodo abſentibus punctis in Hebræo eſt *In manu ejus?* Annon מידו etiam pluraliter legi poteſt, ut Exod. 32. 19. Lev. 9. 22. & 16. 21. & Ezech. 43. 26. Jobi 5. 18.

Plura ſtudioſus lector ipſemet conquirere poterit ex diligenti Hieronymi lectione. Hæc ſpeciminis causâ ſufficiant adduxiſſe, ad oſtendendum, D. Hieronymum hodiernæ Punctationis neque Ignarum, neque Adverſarium fuiſſe, eamque vix aliunde, quàm ex Scripto & Punctato codice haurire potuiſſe. Nunquam enim tam conſtanter huic lectioni adhæſiſſet, & à Græcorum lectione receſsiſſet, niſi certiorem aliquam, quàm ſuorum præceptorum Judaicorum normam & regulam habuiſſet, aut ſciviſſet.

II. Confirmare videntur iſtud ipſum alia ſimilia in Hieronymo loca, in quibus proteſtatur, *ſuam Verſionem cum Veritate Hebraica congruere: Ita vertiſſe, uti apud Hebræos invenit; Nihil de Hebraica veritate mutaſſe*: vel ubi *ad Judæos* provocat, *& eos interrogare jubet, &c.* Qui enim hoc potuit facere, ſi Hebræa ubique erant ambigua, ſi ſingulæ pænè voces in diverſos ſenſus trahi potuerunt? Quomodo ad Judæos provocare potuit, ſi ipſi nullos alios, quàm non punctatos codices habuerunt? Quomodo illi tùm jam in unam lectionem tam concorditer conſpirare potuerunt, ſine certa aliqua cynoſura? &c.

In Epiſt. quadam ad D. Auguſtinum Tomo 2. Epiſt. p. 349. *Si me in N. Teſtamenti emendatione ſuſcipis, exponisq; cauſam, cur ſuſcipias: quia plurimi Græcæ linguæ habentes ſcientiam de meo poſſint opere judicare, eandem integritatem debueras etiam in V. Teſtamento, quod non noſtra confinximus, ſed ut apud Hebræos invenimus, Divina tranſtulimus. Sicubi dubitas, Hebræos interroga.*

Præfatione in Pentateuchum: *Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diverſarum urbium Magiſtros conſule.*

Præf. in lib. Regum: *Quamvis mihi omninò conſcius non ſim, mutaſſe me quippiam de Hebraica veritate.* Ibidem: *Certe, ſi incredulus es, lege Græcos codices & Latinos, & confer cum his opuſculis, quæ nuper emendavimus, & ubicunque inter ſe diſcrepare videris, interroga quemlibet Hebræorum, cui magis accommodare debeas fidem, & , ſi noſtra firmaverit,*

maverit, puto quòd eum non exiſtimes conjectorem, ut in eodem loco mecum ſimiliter divinaverit.

Præf. in lib. Paralipom. alterâ: *Si quis in hac interpretatione voluerit aliquid reprehendere, interroget Hebræos, &c.*

.Præf. in Eſdram & Nehemiam: *Edidi aliquid, quod non habetur in Græco, aut aliter habetur, quàm à me verſum eſt? Quid Interpretem laniant? Interrogent Hebræos, &, ipſis authoribus, tranſlationi meæ vel arrogent vel derogent fidem.*

Quæſt. in Geneſin pag. mihi 229. *Neceſſitate compellimur juxta propoſitum operis longius ea repetere, quæ ab Hebræa veritate diſcordant.*

Atqui inter hæc quæ diſcordant, ſunt multa, quæ Punctationem ſpectant.

Ibid. pag. 231. *Septuaginta Interpretes in pleriſq; diſſentiunt. Pro interpretatione eorum, ut in Hebræo habetur, expreſſimus.*

In Epiſt. ad Suniam & Fretellam, mox ab initio: *Sicut autem in N. Teſtamento, ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis: ita in V. T. ſi quando inter Græcos Latinosq; diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.*

In Epiſt. ad Sophronium, de Verſione Pſalterii: *Certè confidenter dicam, & multos hujus operis teſtes citabo, me nihil duntaxat ſententiæ de Hebraica veritate mutaſſe. Sicubi ergo editio mea a veteribus diſcrepat, interroga quemlibet Hebræorum, & liquidò pervidebis, me fruſtra ab æmulis lacerari, &c.*

Hæc & ſimilia loca ſanè non levem ſuſpicionem movent, D. Hieronymum punctata exemplaria vidiſſe & habuiſſe. Abſq; hoc, neſcio quâ ratione vel tam confidenter ad Hebræos, & ad Hebraicam veritatem provocare potuiſſet in iis, ubi à Grȩcis & aliis Interpretibus diſsidet, & ubi utroq; modo Hebrȩa legi poſſunt. Annon enim & illi ex Hebræo verterunt? Annon & illi Hebræa exemplaria habuerunt? Annon & illi Hebræi fuerunt? Annon tantam & majorem fidem meruerunt, quàm Præceptores, quibus uſus eſt Hieronymus? Et quomodo diverſorum locorum Judȩos rogare jubet? Annon lectione codicis Hebræi dubiâ exiſtente, diſſentire potuiſſent? Quid fuit, quod omnes Judæos in una lectione continuit? &c. Velim hæc ſine præjudicio perpendi à cordatis lectoribus. Velim diligentiùs conſiderari, qualiſnam paſsim hîc & ali-

bi ſit *illa Veritas Hebraica*, quæ aliam lectionem Hieronymo ſuggeſsit, quàm LXX. expreſſerunt, quando una eademq; vox commodè utramque lectionem admiſit? Quomodo de non punctato codice accipi poſsit, ego non video.

His adde, quod ſub finem ſecundæ Apologiæ adverſùs Ruffinum ſcribit: *Ex quibus omnibus approbatur, & LXX. Interpretum editionem, quæ legentium vetuſtate firmata eſt, utilem eſſe Eccleſiis, dum antè gentes audiunt Chriſtum venturum eſſe, quam veniat; & cæteros Interpretes non reprobandos; quia non ſua, ſed Divina volumina tranſtulerunt: & familiarem meum* (Ruffinum) *id a Chriſtiano & amico* (Hieronymo) *debere ſuſcipere, quod magno ſumptu ſibi a Judæis deſcribere feſtinavit.*

Utinam melius & dilucidius Divinus vir explicaſſet, quidnam illud fuerit, *quod tanto ſumptu ſibi a Judæis deſcribere feſtinaverit, & tranſtulerit?* An ſimplex exemplar Hebraicum ſine punctis? In eo non omnes diſcrepantias inveniſſet. Aliud mihi videtur innuiſſe & reſpexiſſe, quod paulò rarius eſſet, & majorem lucem in locis dubiis accenderet.

III. Hoc quoque obſervandum & conſiderandum, quòd D. Hieronymus in Interpretum variis lectionibus & ſententiis, quas in Commentariis & aliis ſuis operibus, Epiſtolis maximè, adducit, nunquam, quod ego quidem obſervarim, aut rariſsimè certè, (cùm ſc. vel Allegoriis indulget, vel Septuaginta interpretibus defert) aliam lectionem ſequitur, quàm eam, quam hodierni noſtri punctati codices exprimunt. Quæ cauſa fuit, quòd eo tempore Judæi contenderint, *Hieronymi tantùm verſionem eſſe veracem, Septuaginta verò Interpretum in multis erroneam*, ut Auguſtinus teſtatur lib.18. de Civitate Dei cap.43.

Hoc animadvertit quoq; Sixtus Senenſis. Unde in Bibliotheca ſuâ lib.3. non potuit aſſentiri iis, qui ſcribunt, Judæos per hodiernam punctationem codices depravaſſe; *eò quòd D. Hieronymi tranſlatio in præcipuis locis Divinæ Scripturæ, quibus fundamenta fidei Chriſtianæ, ac veritas noſtrorum dogmatum potiſsimùm comprobantur, & de quibus, præſertim inter Judæos & nos, controverſia eſt, ſemper ferè cum hac Punctuaria expoſitione conſentiat, exceptis paucis quibuſdam rebus leviſſimi momenti, & quæ pluribus ſenſibus, abſq; ullo veritatis præjudicio, exponi poſſunt.*

Huc referri poteſt, quòd Nicolaus de Lyra (ex Judaiſmo ad Chriſtianiſmum converſus in Hiſpania, & in Judaiſmo dictus R. Schelomoh Hallévi (Levita) ut Abarbenel obſervavit in Jeſa. capite 34. fol. 53. col. 4.) *ex hac Hieronymianæ verſionis, cum punctatione hodiernâ, convenientiâ,* concludit, *Translationem Veterem Latinam, poſt excogitatam a Judæis Punctationem, factam eſſe.* Facit hoc in Commentariis ad Prophetam Hoſeam cap. 9. v. 12. ad vocem בשורי, quam Hebræi exponunt (& ſic Hieronymus) *In recedere me, cum receſſero*, ut שור idem ſit quod סור, (prout etiam Maſora hanc vocem inter eas recenſet, quæ ſcribuntur per ש, & leguntur per ס, Hoſeæ cap. 2. v. 6.) LXX. ἡ σάρξ μου, h. e. בְּשָׂרִי. Ergo Lyranus adducit illic ex Pugione Chriſtianorum Fratris Raymundi (Parte 3. Diſtinct. 3. cap. 19.) *quòd iſte ſit unus de paſſibus Scripturæ Vet. Teſtamenti corruptis à Judæis.* Quomodo docet id Frater Raymundus? *Cùm Punctatores,* inquit, *veniſſent ad iſtum locum, & ſecundum Orthographiam debuiſſent punctare* בְּשׂוּרִי *id eſt*, Incarnatio mea; *punctaverunt* בְּשׁוּרִי In receſſu meo; *ut opus Incarnationis removerent à Deo.* Sic Raymundus, quam ipſius mentem non rectè aſſequutus videtur Lyranus: quia ipſe exiſtimavit, corruptionem etiam concurriſſe in ſubſtitutione literæ ש *Sin*, quod nequit eſſe: nam ea vox, quæ *Incarnationem* ſignificat, & pro qua Lyranus pugnat, ſic ſcribenda eſt. Galatinus lib. 1. cap. 8. dicit, *a Propheta ſcriptum fuiſſe* בִּשׂוּרִי, *quod a Punctatoribus punctatum fuerit* בְּשׂוּרִי, *pro* בְּשָׂרִי *Caro mea*, ut LXX. ſc. tranſtulerunt. Porrò Lyranus adducit etiam R. Salomonem, quaſi conaretur convellere expoſitionem *Carnis*, vel, *Incarnationis*, & contrà confirmare ſignificationem *Recedendi*, his verbis; *Hanc autem veritatem, fidei noſtræ conſonam, nititur R. Salomon depellere, dicens, quod litera Sin, quando punctatur deſuper in ſiniſtra parte, habet ſonum & virtutem literæ Samech, & ſic* בשׂורי *ſignificare hic* Receſſum, *& non* Incarnationem, &c. [Nota; R. Salomonis gloſſa hic eſt ſimpliciter; בשׂורי *cum Sin, idem eſt quod* בסורי *per Samech, & juxta Maſoram eſt hæc una ex illis vocibus, quæ ſcribuntur per* ש *& leguntur per* ס.] Rabbi Salomonem refutat Lyranus duabus rationibus; primò; *quòd hæc litera* (vult dicere, *dictio* שור pro *Recedere*, uti ex ſenſu & Raymundo liquet) *in toto Vet. Teſt. non invenitur alibi ſic punctata, ut dicit prædictus frater Raymundus: & ego* (verba Lyrani) *ſimiliter non recolo, me vidiſſe alibi ſic punctatam, pro-*

pter quod videtur hæc additio (i.e. expoſitio R. Salomonis, punctationis, & Maſoræ) *facta ad depravandum ſententiam*: ſecundò, *quòd Puncta non ſunt de ſubſtantia literæ, nec à principio Scripturæ fuerunt; unde & Rotuli, qui in Synagogis eorum leguntur, ſunt ſine Punctis: ſed per magnum tempus poſtea inventa ſunt hujuſmodi puncta, ad faciliùs legendum. Cùm igitur ſubtracto puncto prædicto ipſi concedunt, quòd* בשורי, *per Sin ſcriptum*, Incarnationem meam *ſignificat, convincuntur concedere, quòd hic* בשורי Incarnationem *ſignificat. Et cùm Translatio noſtra dictum R. Salomonem ſequitur, quæ ſic habet*; Sed væ eis, cùm receſſero ab eis; *patet, quòd fuit facta poſt corruptionem dictam.* Quamvis ſatis ineptè Lyranus de hac corruptione diſſerat, neque bene aſſequutus videatur Fr. Raymundi mentem, quam nos expreſsimus ſuprà; duabus tamen rationibus videtur confutare velle R. Salomonis ſententiam: 1. quòd verbum סור *Recedere*, nullibi in tota Scriptura legatur cum ש ſcriptum, ſed ſemper cum ס unde non ſit probabile, hanc vocem iſto ſignificato, hoc in loco, uſurpari: 2. quod Punctatio iſta, qua hodiè Vox iſta punctata legitur בשׂוּרִי (cùm nempe punctanda erat, vel ex Raymundi mente בְּשׂוּרִי, vel ſecundum Galatinum בְּשָׂרִי) nihil probet, neque nos adſtringat; cùm Puncta non ſint de ſubſtantia Scripturæ, ſed a poſterioribus quibuſdam (quos tamen non deſcribit) addita. Hanc *Punctationem* vocat *Corruptionem*; & de ea dicit, *quod illam ſequuta ſit Translatio Vetus Latina*; cùm (quod maximè hîc notandum) ex hac Verſione Latina concludit, *quòd Translatio Latina vetus facta ſit poſt dictam corruptionem, ſeu Punctationem.* Corruptio enim non eſt, ut diximus, in eo, quòd hæc vox per *Sin* ſcribitur, ſed in Punctatione totius vocis. Sic ergo Lyranus etiam hinc concludit, *Punctationem ante D. Hieronymum factam eſſe.* D. Hieronymi gloſſa ad hunc locum eſt: *LXX. & Theodotion, pro eo quod eſt* Receſsio mea, *&*, Declinatio mea, *verterunt* Caro mea.

IV. In conſiderationem hanc videntur etiam trahi poſſe iſta verba D. Hieronymi, quæ habet in principio Præfationis libri Regum, ubi de Hebræorum & Samaritanorum literis agit: *Samaritani etiam Pentateuchum Moſis totidem literis ſcriptitant, figuris tantùm, & apicibus diſcrepantes, &c.* Hîc quærendum; Quid per *Apices* intellexerit Hieronymus? Utique enim aliquid aliud & diverſum à Literis. Nam de Literis dicit, quòd *Figuris* diſcrepent. *Apices* ergo hi ſunt

hi ſunt diverſum quid à *Figuris literarum*. Quidnam autem aliud eſſe poſsint, quàm *Apices vocalium*, qui Literis ad vel ſubſcribuntur, quo nomine non eſt novum Puncta indigitari? Ut hæc potuerit eſſe D. Hieronymi mens; *Samaritanos totidem literis, quot Hebræi, ſcriptitare Pentateuchum Moſis, ſed figuris diſcrepantibus, & apicibus ſeu vocalibus aliis inſignire ac notare.*

Hoc ſenſu accepiſſe & intellexiſſe videtur jam olim hæc D. Hieronymi verba, doctiſsimus Vir Theodorus Bibliander. Nam in Commentario ſuo De Ratione communi omnium linguarum & literarum p. 62. iſtum D. Hieronymi locum totum de Hebræorum & Samaritanorum literis adducens, dicit p. 63. tria in iſtis eruditiſsimi Viri verbis doceri; 1. *Viginti duo eſſe Hebræorum elementa: 2. Literarum formas eſſe mutatas ab Eſdra, & quinq; literas duplici figurâ ſignari: 3. Illum* Apicum *etiam meminiſſe.* Et addit; *De quibus quid ſentiam, & ratio adeò me ſentire cogat, apertam copioſè in Commentariis de lingua Hebræa.* Utinam Vir doctiſsimus Commentarios iſtos abſolvere, & ſuum de his omnibus judicium copioſè aperire potuiſſet! Fuit enim in his ſagaciſsimus & judicioſiſsimus. Sed mortem præmaturam puto nos tanto bono privaſſe. Interim quid cenſuerit, & per *Apices* hos intellexerit, videtur aliquo modo prodidiſſe in ſuo De optimo genere Grammaticorum Hebræorum Commentario, in quo Punctis magnam videtur adſtruere Antiquitatem p. 17. 18. Et pag. 76. ubi improbat, quod Judæorum nonnulli aſſerunt, ab Eſdra demum & Viris Synagogæ magnæ excogitatos eſſe *Apices vocalium* & Proſodias (h.e. Accentus). Eodem ſenſu pro Punctorum Antiquitate Marcus Marinus, in Præfatione ſui Lexici, verba hæc adducit.

Ex hoc dicto D. Hieronymi concluſit & collegit etiam Poſtellus Samaritanos, illius temporibus, Puncta vocalia habuiſſe. Sic enim ſcribit in Alphabetho 12. Linguarum, ubi de Samaritana agit, *Punctis hodiè, quæ habebant Hieronymi temporibus, carent, leguntq; ſine punctis depravatè admodum.*

V. Denique obſervo in operibus Hieronymi editis, Scheva mutum ſive quieſcens poſt vocalem brevem in medio vocis, aliquando Latinis literis expreſſum per E. Quomodo autem quæſo id figurâ & poteſtate exprimi potuit, quod mutum eſt, ſi nullam figuram habuit? Id an ab ipſo Hieronymo ſit factum, &

V 3

in antiquis quoque manuſcriptis exemplaribus deprehendatur, an verò ab editoribus demum ſit profectum, videant, quibus antiqua exemplaria ad manus: ut צִדְקִי in Hieronymo expreſſum *Zideki*; צדקתך *Zidekatecho* ſic הַיָּשָׁר *hajeſchar*, in Epiſt. ad Suniam & Fretellum. לַמְנַצֵּחַ *Lamanazeah*, ubi per A expreſſum, quia Pathach ſequitur, *ad Principiam.* הַמְּיָנִין *Hemejanin*, ad Fabiolam. צָפְנַת *Zaphanath* paaneach, Quæſt. in Gen. &c.

VI. Nolo jam urgere ea loca ex D. Hieronymo, in quibus *Literarum vocalium, & Accentuum*, meminit, & quæ ab aliis afferri ſolent in hac Quæſtione. Alibi adhuc fortaſsis de uno & altero dicendi locus erit.

Sed producunt etiam Adverſarii ſpeciales ex D. Hieronymo locos, ex quibus ſatis manifeſtè liquere putant, ipſum nec punctatos codices vidiſſe aut habuiſſe, nec ulla puncta agnoviſſe, quibus vocum ambiguarum homonymia tollatur; ſemper etiam Hieronymum ita loqui, quaſi Hebræi ſolis Conſonis ſcriberent, Vocales autem inter legendum ſupplerent, ac divinarent.

Loca hæc ſunt talia, in quibus Hieronymus, verba Hebraica ſecundum nudas Conſonas adducens, dicit, illa eſſe ambigua, ac variè, pro diverſarum Vocalium additione, poſſe legi, &c.

Ad hæc in genere reſpondetur; Si quis rem ritè perpendat, deprehendet, neque ex his locis ſatis certò & indubitanter, id quod ajunt, colligi & concludi poſſe.

Primò etenim diligenter notandum, iſtud in iis duntaxat locis fieri & dici ab Hieronymo, ubi alii interpretes, veluti LXX. Græci, Aquilas, Symmachus, Theodotion, &c. ab Hebræo, ſive, ut ille loqui amat, *à Veritate Hebraica* recedunt; Cauſſam nimirum reddens, cur illi aliter, quàm vel ſit in Hebræo, vel ipſe ex Hebræo tranſtulerit, reddiderint? *Deinde*, valdè dubium eſt, an hæc ita intellexerit, quaſi nullam certam lectionem habuiſſet tùm temporis contextus Sacer Hebræus, nulliſq; certis limitibus circumſcriptus fuiſſet, ut divinare vocales neceſſe fuerit? an verò hoc ſenſu, quod Voces Hebraicæ duplici modo conſiderari poſsint, *vel* ut ſunt

apicibus

apicibus ſeu punctis vocalium animatæ, *vel* juxta nudas conſonas? Et hoc poſteriori modo conſideratæ, ſunt ambiguæ, & varias lectiones admittunt: Quinimò etiam, ut Hebræi, μυστειώδως nonnunquam hoc eſſe voluit, & de S. Scripturæ Hebraicæ divitiis; quòd ſæpè una eademque vox duplicem lectionem admittat, & utramque ſæpè commodam & bonam. Hanc Hieronymi mentem fuiſſe, inde argui poſſe videtur; *partim*, quòd planè uno eodemq; modo loquatur de erroribus & diſcrepantiis, quæ ex affinium literarum ſimilitudine, vel ex alio errore originem ſuam traxerunt; *partim*, quòd ipſe D. Hieronymus in nullo horum locorum, vel dubitanter de Hebraicarum vocum lectione loquatur, vel ab hodierna ac genuina lectione recedat, aliamq; ſequatur & amplectatur, ſed conſtanter certus ac ſecurus ei adhæreat; etiam in iis locis, ubi diverſæ lectiones & interpretationes nullum abſurdum & inconvenientem ſenſum gignunt. Hinc mihi videtur ſatis probabiliter concludi poſſe, eam, quam noſtri Hebræi codices repræſentat lectionem, D. Hieronymo jam tùm cognitam fuiſſe.

Neque hîc prætendi poteſt, *illum ſic a Præceptoribus ſuis Judaicis edoctum fuiſſe*;

Facilè enim reſponderi poteſt, *primò*, undenam factum ſit, quòd iſti Præceptores Hieronymi tàm accuratè eam lectionem tetigerint, quam aliquot demum annis pòſt Maſorethæ expreſſerunt & invexerunt? *ſecundò*, cur non potiùs D. Hieronymus in hujuſmodi locis, Septuaginta ſenum, aliorumq; Veterum doctiſsimorum Judæorum, quàm ſuorum Magiſtrorum Iudaicorum, judicium ſequutus fuerit? Sanè facile eſt divinare & ſubodorari, neceſſe eſſe, ut aliquid aliud hîc fuerit, quod D. Hieronymum ad hanc lectionem revocaverit, & ita adſtrinxerit, ut religio ipſi fuerit ab ea recedere. Quidnam autem illud fuit? Id quod ipſe paſsim appellat *Veritatem Hebraicam*? Quomodo autem *Veritas iſta Hebraica* hoc facere potuit, ſi nullæ adfuêre vocales, ſi lectio divinanda erat? Si divinandæ erant vocales, quomodo dicere potuit D. Hieronymus, *Septuaginta recedere a Veritate Hebraica*, in iis locis ubi ipſorum Interpretatio literis Hebraicis acommodari, & commodè quidem, ſine ulla abſurditate poteſt? Annon cogitare debuiſſet, illos æquè peritos Divinandi artifices, imò peritiores fuiſſe, quàm ſuus Barrabbas, Barchanina, & alii, quibus Præceptoribus eſt uſus?

Præterea,

Præterea, ſi hæc omnia non admittantur, non plus hins concluditur, quàm, Vel LXX. & veteres illos Interpretes non habuiſſe punctata exemplaria: vel etiam D. Hieronymum nullum exemplar punctatum habuiſſe, quòd ejus temporibus rara admodum fuerint, & magis uſitata exemplaria non punctata.

Videamus verò ſpecialia nonnulla ex D. Hieronymo loca, quæ Revelator nobis producit & objicit.

I. *HOSEAE* II. *v.* 10. ad has voces בנים מים ſcribit D. Hieronymus; *Cùm ille rugierit, tunc formidabunt filii maris*, *ſive* aquarum, *ut* LXX. *tranſtulerunt* (NB. hæc verba omiſit Revelator). *Etenim verbum* Mjm, *quod per tres literas ſcribitur* מים, *ſi legatur* Majim, *Aquas ſignificat*; *ſi* Mijam, De mari, *intelligitur*.

℞. Sed quid hinc firmiter concludi poteſt contra omnimodam punctorum non-exiſtentiam? Vult reddere cauſam D. Hieronymus, cur LXX. aliter tranſtulerint, quàm ſit in Hebræo. Nam *primò* exprimit lectionem Hebraicam; *Cum ille rugierit, tunc formidabunt Filii maris*: *deinde* diſcrepantiam LXX. Cauſam dicit eſſe, quòd vox מים ſine vocalibus utroque modo legi poſsit. Cur verò mitiùs loquatur, & LXX. excuſare conetur, neque planè reprobarit illos in hujuſmodi diſcrepantiis, id non difficile erit divinare ei, qui diligenter evolverit ſcripta D. Hieronymi.

Conſtat enim vel ex D. Auguſtini ad ipſum ſcriptis epiſtolis, in quanta tùm temporis authoritate fuerit verſio LXX. virorum: conſtat etiam, quantam invidiam, quanta odia, quantas obtrectationes & calumnias D. Hieronymus hac de cauſa ſuſtinuerit, quòd LXX. Græcorum Verſionem, quæ tùm paſsim obtinebat, ad Veritatem Hebraicam examinare, & juxta eam corrigere, tentarit & præſumpſerit. Unde in omnium ac ſingulorum pænè librorũ Præfationibus Apologias hoc nomine inſtituere neceſſe ipſi fuit. Epiſtolæ etiam ipſius quamplurimæ aliæ plenæ ſunt hujuſmodi querelarum & excuſationum. Itaque ut aliquid Vulgari opinioni tribueret, & odia hæc, quantum fieri poſſet, declinaret ac mitigaret, LXX. Interpretum verſionem quoque ediſſeruit & explicavit, nonnunquam ſe ad illorum, & aliorum Veterum Interpretum, ſententiam accommodavit, illos excuſavit, & quandoq; etiam ſequutus eſt, licet meliora non ignoraverit. Sic ſcribit in Præfat. in Eccleſiaſten:

cleſiaſten: *Nullius authoritatem ſequutus ſum: ſed de Hebræo transferens, maximè LXX. Interpretum conſuetudini me coaptavi, in his duntaxat, quæ non multum ab Hebraicis diſcrepabant. Interdum Aquilæ quoque, & Symmachi, & Theodotionis recordatus ſum, ut nec novitate nimiâ lectoris ſtudium deterrerem, nec rurſum contra conſcientiam meam, fonte Veritatis omiſſo, opinionum rivulos conſectarer.* Ita ſæculi moribus & ſcenæ inſervire quandoq; voluit Hieronymus, id quod aliquando magis, aliquando parcius fecit, Textum interim Hebræum ſolum abſque dubio pro authentico & Canonico habuit, ut quem toties *Veritatis Hebraicæ* elogio exornat. Et tamen in Prophetis ubique fere non tantùm illum explicat, ſed & τοὺς LXX. Quæ cauſa hujus rei, quàm ut hac ratione invidiæ ſe ſubduceret, & illis quoque ſatisfaceret, qui eam in tanto pretio habuerunt?

II. Hoseæ 13. v. 3. ad vocem מארבה: *Quærimus*, inquit Hieronymus, *quare LXX. pro* Fumario, *quod Theodotion tranſtulit* καπνοδόχον, Locuſtas *interpretati ſint? Apud Hebræos*, Locuſta *&* Fumarium *eiſdem ſcribuntur literis* ארבה, *quod ſi legatur* Arbe, Locuſta *dicitur: ſi* Aruba, Fumarium.

℟. Si inſpiciantur etiam ejuſdem Patris verba mox ſequentia, quæ velavit Revelator, ſolutio fortaſsis patebit; *Si quis autem*, inquit ibidem Hieronymus, *contentioſus, & nolens recipere Hebraicam veritatem*, Locuſtæ *ſenſum quæſiverit, &c.*

Locus mehercle inſignis, & qui noſtram ſententiam valdè illuſtrat & comprobat, adeoq; nobis magis, quàm adverſariis favet! Si vox ארבה in hoc loco fuit ambiguæ lectionis tempore Hieronymi, ſi Vocales divinandæ fuerunt, quare non LXX. Interpretes eſt ſecutus; cùm ipſorum Interpretatio literis textus conveniat? quomodo poteſt eum *Contentioſum* vocare, qui *Locuſtæ* ſenſum ſequendum contenderit? quomodo poteſt dicere, *eum qui LXX. ſequitur, reſpuere & recipere nolle Veritatem Hebraicam*, in qua ſit *Fumarium*? An in Veritate Hebraica, quæ nudis duntaxat Conſonis conſtat, ארבה non æquè ſignificat *Locuſtam*, ac *Fumarium*? Utique. Ergo aliam videtur hìc indigitare Veritatem Hebraicam, quæ magis accurate ſignificationem *Fumarii* expreſsit. Ego hinc fortiter pertendo, D. Hieronymum habuiſſe exemplar Hebraicum, in qua hanc lectionem invenit; ſecus non tam confidenter de ea loqui potuiſſet.

III. In *Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin* ad Geneſ.26. v.12. *Licet eiſdem literis & Æſtimatio ſcribatur &* Hordeum, *tamen Æſtimationes* שערים Searim *legitur*: Hordeum *vero* שׂערים Seorim.

℟. Quemadmodum in præcedenti loco Revelator ſequentia omiſit verba; ita hîc præcedentia, quæ iterum mihi videntur ſolutionem ſuppeditare. Locus integer ita habet: *Seminavit autem Iſaac in terra illa, & invenit in anno illo centuplum hordei*; (Geneſ.26. v.12. ſecundum verſionem LXX.) *Licet* (inquit D.Hieronymus) *in aliena terra ſeminaverit Iſaac, tamen non puto, quòd tanta ei fertilitas hordei fuerit. Unde melius puto illud eſſe, quod habetur in Hebræo* (N B.) *& Aquila quoque tranſtulit*, Et invenit in anno illo centuplum æſtimatum, id eſt ἑκατὸν ἐκατομμύνων. *Licet enim eiſdem literis, &c. ut ſupra.*

Hic ergo reperio, unde Hieronymus ſciverit, in Hebræo eſſe שערים Searim, *Aeſtimationes*, quomodo hodie legimus, cum eiſdem literis quoque ſcribatur *Hordeum*? Quî tam confidenter dicit, *Melius puto illud eſſe, quod habetur in Hebræo*? Quomodo *habetur*, ſi nulla adſint puncta? Sine punctis etenim unum æque habetur ac alterum. Certè, ſi non aliam certitudinem habuiſſet, dixiſſet *Melius puto eſſe, ut legatur* Searim *quàm* Seorim; non verò, *Melius puto eſſe, quod habetur in Hebræo*. Et hic itaque locus antiquitati potiùs, quàm novitati Punctorum favet.

IV. Iterum *in Quæſt. Hebraicis in Geneſin* ad Geneſ.38. v.12. *Ipſe & Chira* רעהו *Amicus ejus*. LXX. tranſtulerunt, reddente Hieronymo; *Ipſe & Hiras Paſtor ejus*. D. Hieronymus: *Pro* Paſtore, Amicus *legitur. Sed verbum ambiguum eſt, quia iiſdem literis utrumque nomen ſcribitur. Verùm* Amicus *Re* (*aut potius* Ree) Paſtor *Ro* (*potius* Róe) *legitur.*

℟. Neque hic locus firmiter concludit, D. Hieronymum caruiſſe punctis. Nam ſi illis caruit, ſi illa ignoravit, iterum quæro, quomodo tam præfidenter ſcripſerit, *Pro* Paſtore, quod LXX. tranſtulerunt, *legitur* (ſc. in Hebræo) Amicus? Si puncta duntaxat divinavit, quare non dixit; *Legendum eſt*, vel, *Legi poteſt*, *Melius eſt ut legatur*, vel ſimili aliquâ phraſi? Sed diſertè dicit, Pro *Paſtore legitur Amicus*, in Hebræo.

At, inquies, *cur dicit Verbum ambiguum eſſe?*

℟. Dicit hoc reſpectu Conſonantium tantùm; quia, ut ſæpè dictum, Linguæ Hebrææ hæc eſt natura, ut ſine vocalibus etiam ſcriba

ſcribi & legi poſsit: & ſemper hoc moris fuit, ut frequentiſsimè ſine punctis ſcriberent & legerent Hebræi. Deinde dixit hoc ad excuſandos LXX. & indicandum, quòd illi conſonantium tantùm rationem habuerint.

V. Habacuci 3. v. 4. וְשָׁם Et illic *eſt abſconſio fortitudinis ejus.* LXX. *Et poſuit, &c.* h. e. (וְשָׂם). D. Hieronymus: *Pro eo quod LXX. interpretati ſunt;* Et poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ, *& nos diximus,* Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus; *Aquila tranſtulit;* Et poſuit abſconſionem fortitudinis ſuæ. *Symmachus:* Et poſuit abſconditam fortitudinem ſuam; *ſolus Theodotio noſtræ translationi congruens, ait;* Et ibi abſconſio fortitudinis ejus. *Verbum enim* שם *pro qualitate loci, &* Poſuit *intelligitur, &* Ibi, *magiſq; in præſenti loco* Ibi *legendum eſt, quam* Poſuit, &c.

℞. Ex hoc etiam loco non ſatis concluditur, D. Hieronymum puncta ignoraſſe. Nam hodiernam lectionem וְשָׁם novit, neque de illa dubitavit, quod inde patet; 1. quia eam in Verſione ſua expreſsit. 2. quia recenſitis variis interpretationibus, dicit, *Magis in præſenti loco* Ibi (h. e. שָׁם ut hodie legitur) *legendum eſſe, quam* Poſuit (h. e. שָׂם). 3. quia disertè mox, hanc lectionem *juxta Hebraicum* eſſe, dicit, *Manifeſtum eſt autem,* inquit, *juxta Hebraicum.* Quomodo hæc lectio *magis eſt juxta Hebraicum,* quam altera, ſi ש nullum punctum diacriticum habuit?

VI. Idem de Nomine דבר, ibidem ad v. 5. ad hæc verba, *Ante faciem ejus ibit* דבר *mors, peſtis,* ſic ſcribit; *Pro eo quod nos tranſtulimus* Mortem, *in Hebræo tres literæ poſitæ ſunt* דבר *abſque ulla vocali, quæ ſi legantur* Dabar, *ſignificat* Verbum, *ſi* Deber, *Peſtem.* Nam LXX. reddiderunt ὁ λόγος *Verbum.* Et Jerem. 9. v. 22. ad vocem דַּבֵּר *Loquere,* quam LXX. & Theodotion cum præcedenti verſu conjungunt, & reddunt *Morte,* (legentes nimirum דֶּבֶר): *Verbum Hebraicum quod tribus literis ſcribitur* דבר *(vocales enim in medio non habet) pro conſequentia & legentis arbitrio ſi legatur* דָּבָר Sermonem *ſignificat, ſi* דֶּבֶר Mortem, *ſi* דַּבֵּר Loquere. *Unde & LXX. & Theodotio junxerunt illud præcedenti capitulo, ut dicerent;* Diſperdent parvulos de foris, juvenes de plateis morte.

℞. Ejuſdem commatis ſunt hæc teſtimonia cum ſuperioribus. Nihil aliud probant, quam Textum Hebræum olim ſine punctis vulgò ſcriptum fuiſſe, ac proinde etiam pro legentium arbitrio &

judicio lectum: aut, ſi aliquid probant, probant tantùm, quod LXX. & cæteri Interpretes, qui vocem hanc perversè legerunt & expoſuerunt, non Punctatis codicibus uſi fuerint. Quod vero ad D. Hieronymum attinet, ille ubiq; cum noſtra & genuina punctatione conſentit, eam exprimit, necuſpiam ab ea declinat, vel titubanter ac dubitanter de ea loquitur: ad quod diligenter attendendum. Dicit quidem, *vocem hanc variè poſſe legi, & ambiguitatem hanc cauſam eſſe variarum lectionum & Interpretationum*: ſed ipſe non ambigit, quomodo legendum ſit. Simpliciter reddit rationem, quare LXX. aliter reddiderint, quàm ipſe ex Hebræo expreſſerit. Similis locus extat in eodem Jeſa. cap.9.v.8. ubi legitur: דָּבָר Verbum *miſit Dominus in Jacob*, pro quo LXX. reddiderunt, *Θάνατον* Mortem *miſit*, &c. h.e. דֶּבֶר. D. Hieronymus itaque rationem volens reddere hujus diverſitatis, ſcribit in Commentariis ſuis: *Apud Hebræos* דבר *quod per tres literas ſcribitur Conſonantes* דבר, *pro locorum qualitate, ſi legatur* דָּבָר, Verbum *ſignificat. ſi* דֶּבֶר Mortem *&* Peſtilentiam. *Quam ob cauſam plerique ſermonis ambiguitate decepti, non* Verbum *dicunt miſſum eſſe, ſed* Mortem. Hic quidem iterum dicit, דבר nudis conſonantibus ſcriptum, eſſe ambiguum. Dicit, pleroſque, hac ambiguitate deceptos, dixiſſe, non *Verbum* (quod nempe in Hebræo legitur) ſed *Mortem*, miſſam eſſe. An verò ipſe de vera lectione ambegit, vel à noſtra lectione receſſit? Nequaquam. Unde ei hæc certitudo? quis ei tàm indubitanter perſuaſit, דבר hic non *Mortem*, ſed *Verbum* ſignificare, & *Dabar*, non *Deber* eſſe legendum?

Eadem eſt ratio reliquorum locorum, quæ producuntur, ut Jeſa. cap. 26. v. 14. *Perdidiſti omnem* זכר *memoriam eorum*; pro quo LXX. habent, *Maſculum*: quia nimirum *verbi ambiguitate decepti legerunt* זָכָר. Quare illi fuêre decepti hac ambiguitate, & Hieronymus non itidem? quare hic illos non eſt ſecutus?

Sic Jeſa. 31. v. ult. legitur; *Cui eſt* אור Ignis *in Tzijon*. Sic in Hebræo: & ſic ex Hebræo tranſtulit Hieronymus, & cum eo Symmachus. Sed Aquilas & Theodotion tranſtulerunt, *Cui eſt* Lumen *in Tzijon*, legentes ſc. אוֹר. Hinc ſcribit Hieronymus. Ignis & Lumen *Hebraicè ſcribuntur eiſdem literis* אור: *quod ſi legatur* Ur *Ignem ſonat: ſi* Or, *Lucem. Hoc ideo dictum eſt, quia pro* Igne, *quem ſolus interpretatus eſt Symmachus; Aquila & Theodotion* Lumen *tranſtulerunt*.

tulerunt. Hîc iterum quæro; quomodo hinc probari poſſit, D. Hieronymum caruiſſe punctato exemplari, cum ille punctationem hodiernam exprimat & ſequatur; atque ab ea recedentes notet? Ut rationem diverſitatis redderet, & Interpretes iſtos aliquo modo excuſaret, dicit, *Vocem Hebræam eſſe ambiguam, & nudis conſonantibus ſcriptam, utroque modo poſſe legi & explicari.*

VII. Ultimus locus, quem Revelator producit, extat Soph. 3. 8. ubi in Hebræo legitur לָעַד *In futurum*, pro quo LXX. reddiderunt, *In die reſurrectionis meæ in teſtimonium* (h. e. לְעֵד); ſcribit D. Hieronymus: *Nec non, ubi nos tranſtulimus;* In die reſurrectionis meæ in futurum, *& omnes interpretati ſunt* Teſtimonium, *Hebræus, qui me in Scripturis inſtituit, aſſerebat* לָעַד *in præſenti loco magis* εἰς ἔτι *id est*, In futurum, *debere intelligi, quam*, In Teſtimonium.

IV. Hîc iterum quæro, Cùm *Omnes* alii Interpretes legerint לְעֵד *In teſtimonium*, quare, illis neglectis, novam lectionem amplexus & ſequutus ſit D. Hieronymus, legendo לָעַד *Ultra, In futurum?* An tantam fidem habuit *ſoli Præceptori ſuo*, qui ipſum inſtituit, ut ipſi *omnes* Veteres interpretes poſthaberet? Annon illi Interpretes quoque ex Hebræo ſuas Verſiones concinnârunt? Similis diſcrepantia de eadem voce eſt Micheæ 7. v. 18. ubi in Hebræo legitur; *Non retinebit* לָעַד Ultra, *vel*, In ſempiternum, *furorem ſuum*; quod etiam expreſsit D. Hieronymus, neglectis LXX. qui iterum reddiderunt Εἰς μαρτύριον *In teſtimonium.*

Ex his itaque, & ſimilibus teſtimoniis, nullo modo concludi poteſt D. Hieronymum punctis caruiſſe. Quare? quia ubique punctationem illam quam habemus exprimit, & ſequitur, nec unquam ab ea recedit. Patet etiam hinc, quomodo reſpondendum ſit ad *Objectiones*, quæ hic moveri poſſent; veluti

1. *D. Hieronymus dicit voces eſſe ambiguas.*

R. Dicit hoc de vocibus ſecundum nudas conſonas conſideratis [illegible] ad rationem reddendam, cur LXX. vel alii Interpretes aliter reddant, quam in Hebræo legatur.

2. *Atqui punctorum non meminit, nec punctatorum codicum.*

Expreſse quidem eorum non meminit, ſed tacitè & implicitè, dum dicit; *Aliter legi in Hebræo; Hebræos interrogandos eſſe, etiam diverſorum locorum vim; annon ita legatur in Hebræo, prout ipſe tranſtulit.*

Inſuper ſuas fortaſsis etiam habuit cauſas, cur Punctatorum codicum non meminerit. Cùm enim tum temporis rari fuerint, & à Græcis Interpretibus in multis diſcreparint, eadem quæ hodiè videtur fabula acta, & quæſtio ventilata fuiſſe. Nec multum fortaſsis profeciſſet, ſi ad unum vel alterum exemplar punctatum provocaſſet; cùm non punctata fuerint frequentiora & uſitata. Provocavit igitur *ad Hebræos*, & ſimpliciter dixit, *In Hebræo ſic legi*.

Et hic mihi iſtud conſideratione dignum, nec ſine occultâ aliquâ causâ factum, videtur. Quæſivit ſollicitè ex Hieronymo, in Epiſtola quadam, D.Auguſtinus, *Quid autem Tibi videatur, cur in multis ſe aliter habeat Hebræorum codicum authoritas, aliter Græcorum, quæ dicitur LXX. vellem dignareris aperire. Neque enim parvum pondus habet illa, quæ ſic meruit diffamari, & qua uſos Apoſtolos, non ſolùm res ipſa indicat, ſed etiam te atteſtatum eſſe memini, &c.* Ad cætera illius Epiſtolæ omnia cùm prolixe reſponderit, mirum mihi hæc legenti videbatur, quòd D.Hieronymus hanc quæſtionem in prolixa ſua reſponſoria, ne verbulo quidem attigerit, ſed intactam planè præterierit.

3. *In ſua Verſione quandoque ab hodierna lectione Hebraica recedit*

℞. 1. Rarò id fit, & ex paucis locis nihil poteſt concludi: Ubi enim id fit, alias cauſas habuiſſe poteſt D.Hieronymus. 2. de nonnullis locis quæſtio eſt, an ſyncera ſint & genuina, vel annon ſint à librariis, aut ſciolis, corrupta & depravata. 3. aliquid, ut vidimus, nonnunquam largitus eſt opinioni vulgi, & authoritati LXX. cæterorumque veterum Interpretum.

Satis de D. Hieronymo.

Idem probare nititur Arcani Revelator ex reliquis Antiquis Patribus primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ tùm Græcis, tùm Latinis, quorum nullus omnino vel Punctorum vel Punctati codicis meminerit.

Reſpondeo ad hoc Argumentum: Nemini mirum videri debere hoc,

1. Quia pauciſſimi ex illis Linguæ Hebraicæ periti fuerunt. Græci Græcè, Latini Latinè ſcripſerunt: & omnes, excepto Origene & Hieronymo, Linguæ Hebraicæ imperitiſſimi, Græcis & Latinis Interpretationibus, quas ad manus habuerunt, contenti

fuêre;

fuêre; adeò ut D.Hieronymus de *Origene* ſcribat, illum Hebræam linguam *contra ætatis gentisq́; ſuæ naturam* didiciſſe.

De HIERONYMO quid judicandum, modò dictum.

De ORIGENE conſtat, pleraque & optima ejus ſcripta periiſſe. Interim hoc quoque conſtat de illo, quòd in Homiliis, quas ſcil. ad plebem habuit, LXX. quidem authoritatem rigidè ſit ſequutus, ſicut ipſe teſtatur Homil.1. in Cantic. Canticor. *Nos ſeptuaginta interpretum ſcripta per omnia cuſtodimus:* Sed in Diſputationibus, Hebraicam veritatem. Hoc de eo teſtatur D. Hieronymus in Quæſtionibus in Geneſin his verbis: *Origenes in homiliis ſuis, quas ad vulgus loquitur, communem editionem ſequitur: in Tomis, id eſt, diſputatione majori, Hebraica veritate ſtipatus, & ſuorum circumdatus agminibus, interdum Linguæ peregrinæ quærit auxilia* (Hebraicæ nempe). Quod ſi hos *Tomos Origenis*, ut & ejus *Scholia & Annotationes in obſcuriora quædam S. Scripturæ loca*, hæcque omnia ſyncera & incorrupta haberemus, fortaſſis & inde veſtigia quædam Punctorum, non minùs, quàm in Hieronymo, deprehenderemus.

Conſtat etiam ex ſcriptis Origenis, illum plurima ex Cabaliſticis Hebræorum Scriptoribus accepiſſe; imò nimium illud, quo prurivit, Allegorizandi ſtudium ab illis didiciſſe. Suprà autem cap. 5. vidimus, Cabaliſtas eſſe omnium antiquiſſimos & acerrimos Punctorum antiquitatis & *αὐθεντίας* vindices atque aſſertores. Celebre & frequens eſt Cabaliſtarum dictum, quo dicunt, *Literas, Puncta & Accentus Legis, eſſe inſtar Corporis, Animæ & Spiritus.* Vide Tiberiaden Patris mei cap. 9. in Teſtimoniis ex Zohar adductis. Ad hoc dictum Hebræorum videtur mihi, (ut in aliis non paucis) alludere Origenes, quando in libro 4. *περὶ ἀρχῶν* cap.2. ſcribit; *Sicut ergo homo conſtare dicitur ex Corpore, Anima, & Spiritu: ita etiam Sancta Scriptura, quæ ad hominum ſalutem divinâ largitione conceſſa eſt.*

Itaque non video, quomodo adeò liquidè ac evidenter probari poſſit, Origenem nihil de Punctis vel de Punctatis codicibus ſciviſſe vel inaudiviſſe.

Nam ex eo, quòd Patres Hebraicè docti nonnunquam in ſuis Scriptis ab Hebraica veritate recedunt, & LXX. Græcos ſequuntur, nihil pro abſentia punctorum concludi poteſt; 1. quia authoritati

ritati L X X. Grçcorum propter opinionem vulgi aliquid tribuendum erat: 2. quia unà cum Judæis in hac opinione eſſe potuerunt, imò fuerunt, Scripturam plures habere ſenſus, & conſiderari poſſe atque explicari, cùm ſecundum nudas conſonas, tum ſecundum Vocales. Imò quis ſcit, annon Patres iſtam ſententiam à Judæis hauſerint & imbiberint?

Reliquos Patres quod attinet, non exiſtimo cuiquam valdè mirum etiam de his debere videri, ſi nulla hujus rei veſtigia apud illos exſtent, cùm *nulli inter eos Hebraicæ linguæ ſtudioſi fuerint*, ut Revelator ipſe ſcribit lib. 2. cap. 20. §. 1. Quis illorum fuit, qui Hebraicos codices qualeſcunq;, ſeu punctatos ſeu non punctatos, conſuluerit, vel conſulere potuerit? Quando provocant illi in locis dubiis vel diſcrepantibus, ad Hebraicum contextum, niſi forte ex auditu? Quam igitur occaſionem potuerunt habere aliquid de punctis ſcribendi?

2. Quis illorum Patrum, aut Theologorum, qui circa vel poſt quingenteſimum vel ſexcenteſimum Chriſti annum vixerunt, Punctorum vel Punctati codicis alicujus meminit; cum tamen utrinque in confeſſo ſit, tum temporis puncta jam extitiſſe? Cum circa illud tempus Puncta inventa dicantur, & Punctata exemplaria à Judæis magno conſenſu & applauſu fuerint recepta, perq; totum terrarum orbem diſperſa, annon tùm maxime hujus rei fama ad Chriſtianos quoque pervenire potuit & debuit? Annon tum temporis inſignes Patres, Theologique fuerunt, qui auditione aliquid hac de re percipere, & ad poſteros illius, tanquam rei novæ, memoriam tranſmittere potuerunt ac debuerunt? Annon Hieroſolymis tunc fuerunt Epiſcopi Chriſtiani, qui hoc reſcire potuerunt? Vixerunt poſt 600. annum Beda, qui & Commentarios Biblicos, & Chronicon ſcripſit, Damaſcenus, Theophylactus, Oecumenius, Bernhardus, & alii. Quis horum meminit Puncturæ, Punctatorumque codicum? Quis Hiſtoricorum, eorum etiam qui Eccleſiaſticas Hiſtorias condiderunt? qui vel maxime illa notare debuiſſent.

Jam ſi quis hinc argumentari vellet, Illorum temporibus nondum extitiſſe puncta, ſed eſſe adhuc recentiora, quam noſtri [illegible]-niſtæ volunt, annon abſurdus haberetur & irrideretur? Itaque ex antiquiorum Patrum ſilentio de Punctis & Punctatis codicibus

bus non magis firmum eſt argumentum. Silentii enim hujus aliæ poſſunt eſſe cauſæ, non in Re, ſed in Perſonis hærentes, non Abſentia rei, ſed Ignorantia illorum Patrum, &c.

Inſt. *Atqui facilè ſcire potuiſſent hoc à Judæis, ſi extitiſſent.*

℟. Omninò; ſed etiam linguæ Hebraicæ periti, harum rerum curioſi eſſe, & diligenter in illas inquirere debuiſſent. Ut enim ignoti nulla cupido: ſic non cupiti ac deſiderati nulla ferè notitia. Quantum eſt quod ignoramus de illis rebus, quas nihil ad nos attinere putamus, & quas non curamus, ſecurique negligimus? Imò quantum eſt quod ſæpè ignoramus etiam in illis, de quibus ſcribimus, & unde famam laudemque ſcientiæ atque eruditionis ſingularis ſperamus & affectamus? Quid faciliùs ſcire & diſcere potuiſſet noſter Revelator, de Lotione manuum diſſerens in ſuo Spicilegio, quàm; Quid ſignificet phraſis hæc עַד הַפֶּרֶק apud Judæos; &, An manus unà cum brachio uſque ad cubitum lavare ſoleant Judæi? Quivis Judæus, etiam de fæce & indoctus, hoc illi dicere, in Ritualibus omnibus id invenire potuiſſet. Et tamen hoc ignoravit, abſurdiſsimaque, & quæ peritis nonniſi riſum movere poſſunt, hac de re ſcripſit. Et ut ſimile magis Argumento præſenti exemplum producam, ſuprà ſcripſit Revelator, *non uſurpari à Judæis puncta niſi in ipſo ſacro contextu, & religione quadam teneri, ne quod in ſacrum duntaxat uſum excogitatum & primò uſurpatum eſt, in communem & prophanum uſum adhibeatur*; ignorans, etiam Miſchnas, h. e. Textum Talmudicum olim cum Punctis & Accentibus ſcribi ſolitum fuiſſe: & hodiè plures libros, etiam prophanos, imò prophaniſsimos, illis notatos extare. An, de his rebus ſcribens ex profeſſo, hæc ignorare debuit? Annon facilè hæc reſcire potuiſſet à Judæis, ſi in ea diligenter inquiſiviſſet? Ubi abſentię hujus cauſa latet? In Re, an in Revelatore? Alia prætereo.

Itaque nullius planè ponderis aut ſoliditatis eſt Argumentum, quod à Silentio vel Ignorantia Patrum deducitur.

Et quod de his Patribus reſpondetur, idem quoque valet de *JOSEPHO & PHILONE*, qui itidem nobis objiciuntur, quòd illi nullam hujus rei faciant mentionem. Multa alia ſunt, de quibus illi tacent, quæ tamen fuerunt, imò quæ etiam non ignorarunt. *Sic ergo vidimus etiam Hiſtorica Argumenta.*

Caput XII.

De Argumentis Grammaticis pro Novitate Punctorum; horumq́ primo, deducto ex Prodigioſa punctatione quamplurimarum vocum.

Diſcuſſis, pro tenuitate noſtra, Argumentis petitis à Conſenſu Judæorum, & ab Hiſtoria; pergendum nunc quoque eſt ad illa Argumenta, quæ à Grammatica ſunt deducta, videndumq́ue, quid illa certitudinis aut firmitudinis habeant, pro eâ Novitate Punctorum adſtruendâ, quâ illa Maſorethis Tiberienſibus poſt-Talmudicis adſcribuntur.

Talia Argumenta producunt tria; *primò*, A' prodigioſa & irregulari, ut vocant, punctatione quarundam vocum in Textu Sacro, à quâ illæ abhorrent: *ſecundò*, A' Nominibus Punctorum & Accentuum: *tertiò*, A' Punctorum & Accentuū munere, numero, & natura.

De Primo Argumento agetur in hoc capite, deducto à Prodigioſa & irregulari punctatione quamplurimarum vocum in Textu Sacro; quæ aliter leguntur & ſcribuntur, vulgo קרי וכתיב *Kerí uketíf* dictæ. Multis verbis illud amplificat Revelator, multaſq́; eo implevit paginas. Nos contrahemus, quantum poterimus, Argumentum generale hoc eſt;

Si irregularis & abſona, adeoq́, prodigioſa iſtarum vocum punctatio, certo conſilio, & de induſtria ſic facta, neque Authoribus & Scriptoribus librorum Sacrorum ipſis, neque Eſdræ illorum Deſcriptori & Reſtauratori, adſcribi poteſt, tùm certè non alii poterunt ejus authores ſtatui, quam Maſorethæ.

Maſoretha Tiberienſes, qui 500. vel 600. poſt Chriſtum ſæculo vixerunt.

Atqui neque Moſi, reliquisq; Prophetis & Scriptoribus ſacris, tam abſona punctatio adſcribi poteſt, neque Eſdræ.

Ergo Maſorethis Tiberienſibus eſt adſcribenda.

Minorem propoſitionem, quæ bimembris eſt, ſecundum utrumq; membrum probat Revelator; & utramque probationem deinde Exemplis quoque illuſtrat ac declarat.

Prius membrum, *de Scriptoribus Sacris* ipſis, duabus probat rationibus;

1. *Quod, ſi dicamus, à Moſe reliquisq; Prophetis ipſis eſſe hanc punctationem, nulla conveniens causa vel ratio conſilii ipſorum hac in parte aſſignari poteſt. Myſteria enim ipſos hîc quærere voluiſſe, id & longiſſimè abeſt à majeſtate & gravitate Spiritus Sancti in Scriptura loquentis, & redolet ſomnia & commenta Judaica, fabulas Talmudicas, & Cabaliſticum ingenium, &c.*

2. *Quia, ſi ipſimet authores hoc feciſſent, debuiſſent Vocem quam legi noluerunt, & in qua myſticum quid occultare voluerunt, in margine, ſeu cum punctis, ſeu abſque punctis adſcribere;*

Ratio; *quia inter legendum ſemper uſurpanda eſt ea vox, quæ in margine adſcripta, non verò quæ intra textum poſita.*

Atqui contrà conſtantiſſimè perpetuoq; factum eſt. Ergo, &c.

Alterum membrum, quòd *ne quidem ab Eſdra* hæc irregularis punctatio proficiſci poſſit, itidem hac ratione probat; *Quod, licet ἐν ὑποθέσει detur, Eſdram in Sacrorum librorum codicibus (quibus in inſtaurando veteri Canone uſus eſt) τὸ Keri marginale inveniſſe, neque eum, religione quadam ductum, voluiſſe vocem, quæ legenda eſt, quamq; in margine poſitam invenit, intra textum, convenienti loco, collocare; eam verò, quæ intra textum poſita erat, inde revellere, & margini adſcribere; Licet,* inquit, *hæc omnia gratis demus (quæ tamen ab omni veri ſpecie cordato viro ſemper aliena videbuntur); Annon tamen oportuit eum puncta adſcribere illi potiùs voci, quæ in margine eſt poſita (quæ nempe legi debet) quam illi, quæ intra textum collocata eſt, quæq; ab illa punctatione quam maximè abhorret?*

Probationes has porrò *Exemplis* etiam illuſtrat & demonſtrat *Variarum Lectionum*; *Vocum tum* Superfluarum, *quarum conſona, ſed ſine punctis, in Textu ſcripta: tum* Deficientium, *quarum puncta ſola in ipſius contextus ſerie; conſona, in margine ſunt notata*; *tùm* Reti-

cendarum, *hoc eſt, earum, pro quibus aliæ leguntur, in quibus vox legenda in margine, reticenda ſeu non legenda in textu, ſed cum punctis ejus vocis, quæ in margine ſcripta & legenda eſt, punctatione planè irregulari & monſtroſâ.*

Punctationem hanc irregularem hîc iterum dicit, *neque potuiſſe proficiſci ab Authoribus librorum ipſis, neque ab Eſdra. Nam, ſi Authores aliquam vocem legi noluiſſent, non collocaſſent eam intra textum: ſi aliquam legi voluiſſent, non nudas vocales, ſed conſonas quoque in Textu ſcripſiſſent. Sic de Eſdra, cùm ille non minùs, quàm alii Prophetæ, Spiritu Sancto actus fuerit, illum voces non legendas ex codice Sacro expuncturum fuiſſe; deficientes ac ſupplendas in proprias ſedes, cum propriis & genuinis punctis reſtituturum, tam inſolentem & prodigioſam punctuationem non introducturum fuiſſe.*

Idem eodem modo demonſtrat aliis Diverſæ hujus lectionis & ſcriptionis exemplis, ut poſtea videbimus.

℟. Quod ad hoc argumentum attinet;

Primò omnium repetimus, quod ſuprà à nobis dictum cap. 7. ubi itidem Argumentum pro Novitate Punctorum propoſitum fuit ex τῷ *Kerí Ukeſíf*, materiam hanc eſſe prolixiorem, quàm ut capitis unius anguſtiis includi, ac pro dignitate atq; neceſsitate hîc pertractari poſsit. Juſtum Tractatum ea res requirit, neque eam nunc perſequi vel mihi eſt animus, vel ex utilitate Lectoris. Alio id, cum bono Deo, fortaſsis fiet loco & tempore. Libenter has materias ſeparamus, ut ſingulæ tanto meliùs & exactiùs penſiculari queant.

Secundò, Ut plenius & rectius judicium de prætenſa hac monſtroſitate ferri poſſet, neceſſe foret in cauſas Diverſæ hujus Lectionis & Scriptionis diligentiùs inquirere, ſecundum varias ejus ſpecies, & videre, Num omnia ſint ab Uno authore, an à Diverſis? An omnia ob eundem ſint finem atq; ſcopum? An omnia ejuſdem antiquitatis? &c. Hinc enim ſine dubio meliùs pateſceret, an factum hoc ex ratione aliqua certa ac ſana ſit profectum, an verò prodigioſum, & ſine juſta ac ſufficienti ratione ſuſceptum. Altiùs hæc ſunt repetenda, quàm hactenus ab illis factum, quos ego de his rebus ſcripſiſſe vidi.

Tertiò, Lectorem benevolum obſervare velim, neminem Hebræorum hoc argumento, quod ego ſciam, hactenus uſum ad

Anti-

Antiquitatem punctorum in dubium vocandam, vel Novitatem illorum adſtruendam; ne illos quidem ipſos, quos in ſuam ſententiam pertrahere voluerunt, Aben Eſram dico, Coſri, Kimchium; imò ne Elias quidem ipſe, Patriarcha illorum, & qui multa de his ſcripſit, hinc Objectionem contra Punctorum Antiquitatem formavit. Novum planè hoc eſt Revelatoris noſtri inventũ, qui ubiq; Hebræis eſt oculatior & perſpicacior. At annon mirum, acutiſſimos illos & doctiſſimos Grammaticos, Aben Eſram & R. Davidem Kimchium, qui ſæpiſſimè in ſuis ſcriptis harum obſervationum mentionem faciunt, easque examinant & expendunt, imò Eliam ipſum, tam obeſæ naris fuiſſe, ut hoc myſterium non olfacere, aut tam excæcatos, ut id videre non potuerint? Mihi nullus hactenus occurrit locus in iſtis authoribus, vel in ullo alio authore Hebræo, ex quo colligere potuerim, irregularem hanc punctationem quenquam illorum offendiſſe, aut in hæſitationem aliquam induxiſſe. Imò author libri *Azúgas habbóſem* hinc pro Punctorum Antiquitate argumentum ducit. Unde non immeritò argui poſſe videtur, Punctationem hanc revera non tam monſtroſam eſſe oportere, uti eam facit Revelator.

Quartò itaque negabunt Hebræi, & negari jure poteſt, in hac Punctatione eſſe aliquam abſurditatem vel monſtroſitatem. Quod ut appareat, ſententias Hebræorum de Vocibus iſtis irregulariter punctatis breviter recenſebimus, ut appareat, juxta neutram illarum talem abſurditatem locum habere.

Tres ferè ſunt *Hebræorum* de his Diverſæ Scriptionis & Lectionis Vocibus ſententiæ.

I. *Talmudici*, & qui hos ſequũtur, ſtatuunt eſſe הֲלָכָה לְמשֶׁה מִסִּינַי *Traditionem Moſis de monte Sinaj*, h.e. illas originem ſuam trahere à Moſe, & Authoribus ſingulorum librorum ipſis. Nam dum ajunt, eſſe *Traditionem Moſis*, non hoc volunt, quaſi Moſes omnium & ſingulorum exemplorum, per omnes libros Biblicos, ſit author; ſed quòd ille primus ſit author hujus ſcribendi modi, à quo cæteri ſcriptores eum acceperint & didicerint, quemque ſint hac in parte imitati. Volunt, illum primum accepiſſe in monte Sinai, & ſenioribus ſuis tradidiſſe, hunc docendi modum; quòd, ad duplicem innuendum ſenſum, & aliquando ad aliquid occultè inſinuandum, poſſint quædam Voces aliter ſcribi, & aliter legi: vel legi,

&c non ſcribi: ſcribi, &c non legi, &c. rationemq; legendi per puncta, in contextus ſerie poſita, indicare.

Unde piaculum ipſis eſt, voces illas ita legere prout ſunt in textu ſcriptæ: ſed ſemper legenda vox in margine notatur. Hinc in Ritualibus proferunt exemplum de quodam, שקרא כמו שהיא כתובה והיו שם כמה גדולים וגערו בו לחזור ולקרות כפי המסורת ולא רצה ונידוהו והורידוהו מן התיבה שעבר הדבר שהוא הלכה *qui legit vocem talem, prout ſcripta erat. Cùm verò ibi eſſent præſtantiſſimi quidam viri, juſſerunt illum repetere, & ſecundum traditionem vocis, ſc. marginalis, legere: quod cum facere renueret, eum excommunicarunt, & de arca* (ſuggeſtu ex quo legebat) *deturbarunt; eo quòd tranſgreſſus eſſet rem, quæ eſt conſuetudo ſeu traditio Moſis ex Sinaj.* In Schylchan Aruch, &c Levúſch in הלכות קריאת ספר תורה..

Modum hunc volunt fuiſſe docendi veteribus illis Scriptoribus ſuis ſacris uſitatum, nec quidquam hîc abſurdi eſſe credunt. Hinc eſt quòd Elias nec auſus fuerit, nec potuerit hinc contra Punctorum Antiquitatem inſurgere. Juxta hanc ergo Sententiam nihil hîc eſt abſurdi.

II. *Alii* Hebræorum, *Eſdram* hujus Diverſitatis & Anomaliæ authorem faciunt, &c hi in duas claſſes iterum diſtribuuntur.

Nonnulli enim putant, Diverſitatem iſtam collegiſſe Eſdram ex diverſis exemplaribus, quæ inter ſe contulerit; ita ut in uno exemplari repererit Vocem ſcriptam, ut in textu eſt; in alio, Vocem in margine poſitam: Certis autem de cauſis ſemper vocem, quæ ipſi rectior ac proba magis videbatur, in margine ponere, & legi voluiſſe, punctis tamen intra textus ſeriem poſitis.

Alii putant, Notas iſtas marginales quidem eſſe ab Eſdra, verùm non ut varias lectiones, ex diverſis exemplaribus; ſed partim ut expoſitiones, partim etiam ut emendationes & correctiones, ab ipſomet, variis de cauſis, additas. *Religionis* cauſâ, volunt loco nominis Tetragrammati ſubſtitutum eſſe Nomen אלהים vel אדני; *Honeſtatis* vel *verecundiæ* &c *munditiei* cauſâ, loco quarundam vocum, quæ prolatu minùs tùm in vulgari uſu verecundæ haberentur, alias in margine legendas collocaſſe, relictis tamen priorum vocum conſonantibus in textu: Sic cæteras quandoque *expoſitionis*, quandoque *correctionis & emendationis* loco ab ipſo adjectas, cùm ſcilicet aliqua vox vel ratione ſcriptionis, vel ratione

conſtru-

conſtructionis & uſus, minùs, vel cum communi loquendi uſu, vel cum antecedentium & conſequentium ſerie atque contextu, convenire videbatur, &c.

Ex *Chriſtianis*, qui aliquid de his rebus ſcripſére, alii primam amplectuntur, alii ſecundam, alii tertiam, mixtam veluti ex prima & ſecunda.

Qui verò hanc Punctationem, ut Revelator noſter facit, ceu monſtroſam, prodigioſam, abſonam, abſurdam, barbaram, peregrinam traduxerit, ex Hebręis vidi neminem: ex Chriſtianis etiam cordatioribus & eruditioribus ſcriptoribus vix repertum iri crediderim, qui eouſq; progreſſus hactenus fuerit.

Et revera, ſi rem cum intelligentia conſideremus & perpendamus, nulla cum ratione ſufficienti hoc dici poteſt. Abſurda, barbara, peregrina eſſet punctatio, ſi voci textuali, tanquam illius propria, ſubſcripta eſſent illa puncta, ut cum illis legeretur. Cùm verò illud non ideò ſit factum; nulla hîc eſt abſurditas, niſi apud rerum imperitos, qui abſurditatem ſibi fingunt, nullum ſcandalum, niſi acceptum. Abſurditas, monſtroſitas eſt non vera, ſed *δοξαςικὴ* tantùm: Ratio quippe facti conſtat, & eſt manifeſta, ac ubique conſtans & perpetua. Imò ſi aliter punctata eſſet vox illa, abſurdum foret. Nam cum עִקַּר הַקְּרִיאָה *præcipua lectio*, quæ ſcil. obſervanda & tenenda, ſit vox marginalis, non debuerunt alia puncta apponi, quàm quæ illi convenirent. Sive autem illa puncta jam intra textum, ſive in margine voci ipſi appoſita ſint, nihil intereſt, neque hoc abſurditatem vel barbariem aliquam poteſt gignere. Perinde eſt, ac ſi vox textualis nulla planè haberet puncta: quòd ei ſubſcribuntur, ideò factum, quòd nullo alio loco poni & collocari potuerint, voce illâ ſcriptâ intra textum manente. Cur ſic factum fuerit, cur conſonantes legendas non itidem intra textum inſeruerint, & eas quæ non legi debent illic reliquerint, ſuas potuerunt habere, & proculdubio habuerunt, cauſas, in quas aliâs inquiremus. Sufficit docuiſſe, quòd nulla jure hîc dici poſsit eſſe abſurditas, inconvenientia, &c.

Samuel Arcuvolti ſcribit: כֵּן דֶּרֶךְ כִּתְבֵי הַקֹּדֶשׁ לְהַסְתִּיר הַקְּרִי בִּנְקֻדּוֹת הַכְּתִיב *Sic eſt mos Sanctarum Scripturarum, abſcondere lectionem in punctis voci ſcriptæ adjectis.*

Quartò dico; Si quid pro Novitate punctorum ex diſconvenienti-

nienti hac punctatione concludi poſsit, hoc ſolùm concludi poſſe, quòd illa non ſit ab Authoribus ipſis (quamvis & hîc Hebræi, qui primam tenent ſententiam, reclament, ſubſcribentibus illis piis & eruditis quibuſdam ex Chriſtianis viris, Polano, Broughthono & aliis), ſed ab iis (ut Revelator ipſe ſcribit) *qui Sacrum Textum, Vocalium & Accentuum figuris nudum habuerunt, & à ſe excogitatas figuras illi addiderunt: quiq; certo conſilio, & de induſtria, vocibus in textu ſcriptis, alienas, & ab illis abhorrentes figuras vocalium adſcripſerunt.* Cogitet verò hîc cordatus, & nullo præjudicio occupatus Lector, annon hoc æquè ad Eſdram referri, & de illo dici poſsit, ac de Maſorethis Tiberienſibus? Annon dici poteſt, Eſram habuiſſe Textum Sacrum Vocalium & Accentuum figuris nudum? Illum à ſe excogitatas figuras illi addidiſſe? Illum certo conſilio, & de induſtria, vocibus in Textu ſcriptis ac relictis, alienas ab iis, & ad vocem marginalem legendam pertinentes, vocalium figuras adſcripſiſſe? Imò annon ſatius, atque adeò etiam probabilius eſt, Punctationem hanc illis ipſis adſcribere, qui & notarum iſtarum marginalium ſunt authores? At communiſsima & recepta à pleriſq; ſententia eſt, Eſdram & Viros Synagogæ illius magnæ harum Notarum, ſaltem plerarumque, eſſe authores. Cur non ergo illis potiùs, quàm novis iſtis, & incognitis, apud Hebræos, Punctatoribus Tiberienſibus hoc adſcribitur?

Excep. I. *At, ſi Eſdras & Collegæ ejus Punctationis fuiſſent Authores, illi ſingulis vocibus propria puncta addidiſſent?*

℟. Quæ hîc conſequentia? Appoſuerunt puncta propria ſingulis vocibus legendis, non verò in lectione ſupprimendis. Et, ſi Punctorum Authores, ex hoc principio, debuerunt ſingulis vocibus Puncta propria addere, cur non idem æquè de Maſorethis Tiberienſibus dici poteſt? Imò annon magis de his quàm de illis? Annon illi cogitare debuiſſent, cùm vox hæc vel illa in Textu ſit poſita, illam quoque punctandam, neque, ceu membrum emortuum, negligendam eſſe? Si pro variis lectionibus has notas habuerunt, annon utramque punctare debuiſſent, maximè cùm vox textualis ſæpiſsimè æquè ſit conveniens, atque marginalis?

II. *Si* excipiatur; *Maſorethæ hos per Traditionem accepiſſe, vocem marginalem eſſe legendam, ac proinde puncta talia appoſuiſſe, quæ illi convenirent.*

℟. Et,

℟. Et, ſi Traditio fuit, vocem marginalem eſſe legendam, quare non punctatio ipſa etiam illius Traditionis authoribus adſcribi poteſt? Quis verò illos juſsit, puncta in textu voci ſcriptæ apponere & non marginali ipſi, cujus ſunt propriæ? An & hoc per Traditionem acceperunt?

Excep. III. *Dices; Cùm puncta à ſe excogitata vellent conſonis per totum Textum Sacrum addere, nec ea vellent extra ipſum textum adſcribere, vocibus illis, quibus intra textum poſitis* τὸ Keri *marginale eſt adnotatum, puncta addiderunt, non vocum illarum propria, ſed propria earum vocum, quæ per* τὸ Keri, *margini ſunt ex adverſo adſcripta, extra textum, &c.*

℟. Optimè hoc dicitur: & nos hoc idem exiſtimamus. Cur verò hoc non æquè de Eſdra & Viris Synagogæ magnæ dici poteſt? Quæ neceſsitas, ut hæc ad Tiberienſes novitios referantur? An plus conſilii vel poteſtatis in his fuit, quàm in illis?

Excep. IV. *At abſurdum eſt Eſdræ, viro Prophetico, tam peregrinam & barbaram punctationem adſcribere.*

℟. Nego aliquid hîc abſurdi eſſe: quia nihil ſine certa ac evidenti ratione factum; licet illa non amplius ubique nobis conſtet. Si abſurdum hoc eſt, ſi ſuperſtitioſum, ſi barbarum; tum non melius aut ſanius cenſendum eſt hoc factum in Maſorethis Tiberienſibus, qui ab adverſariis dicuntur hanc punctationem invexiſſe; ac per conſequens, abſurdè, inepte, barbarè, ſuperſtitiosè punctatas habemus innumeras pænè voces in contextu ſacro Hebraico. Id verò ſi ita ſit, quid ceſſamus, abſurdam, ſuperſtitioſam, barbaram hanc punctationem corrigere? cur non emendamus, ſaltem in codicibus Biblicis, qui à nobis eduntur? Si res ita habet, barbari, abſurdi, ſuperſtitioſi fuerunt hactenus multi Chriſtiani, doctiſſimique Viri, qui in editionibus ſuis Bibliorum Judæos hac in parte ſunt ſequuti. Quod ſi non abſurdum & ἄλογον fuit hoc factum in Maſorethis; cur tale eſt in Eſra, & ipſius Collegis?

Thomas Erpenius, quo obſtetricante *Arcanum Punctationis Revelatum* in lucem prodiit, in ſua Grammatica, Punctationem hanc adſcribit *Viris piis & eruditis*, quem etiam ſequitur Sixtinus Amama, & alii. Id ſi ita eſt, Pium quoque & eruditum hoc cenſendum erit opus. Si tale; quid verecundabimur illud Eſræ & collegis ipſius adſcribere? Sane hic non benè convenit inter ipſos.

Ex his itaque apparet, neque hoc Argumentum neceſſariò & evidenter demonſtrare, Puncta vocalia demùm quingentis aut ſexcentis poſt Chriſtum annis, à Maſorethis quibuſdam Tiberienſibus, inventa & Textui Sacro Hebraico adjecta eſſe.

Quia verò Revelator ſpecialibus etiam quibuſdam exemplis illuſtrat ac declarat hoc ſuum argumentum; age videamus, an illâ re aliquid magis præſtiterit, & an ſpecialia illa exempla aliud, quàm hactenus à nobis oſtenſum, doceant & evincant?.

Varia ergo, pro diverſis ſpeciebus harum variationum, profert exempla.

I. *Vocum πλεοναζόντων* exemplum eſt Jeremiæ 51.3. אֶל יִדְרֹךְ ידרך הַדֹּרֵךְ קַשְׁתּוֹ. Hîc ידרך bis ſcriptum eſt; prius eſt punctatum, poſterius punctis deſtitutum: & in margine ad non punctatam vocem annotatum, כתיב ולא קרי *Scripta eſt hæc vox, ſed non lecta.*

II. *Vocum ἐλλειπόντων ſeu Deficientium* exemplum extat Jeremiæ 31. v. 38. הִנֵּה יָמִים ° . נאם יְהוָה; ubi poſt יָמִים in textu puncta alius vocis ſupplendæ ſine conſonantibus adſcripta ſunt, quæ notata in margine, his verbis, בָּאִים קְרִי ולא כתיב *Vox* בָּאִים *hic legitur, licet non ſcribatur.*

III. *Vocum reticendarum* exempla ſunt 2.Reg.18.28. & Eſa.36. v.12. ubi duæ hæ occurrunt voces irregulariter punctatæ חֲרָאֵיהֶם, שֵׁינֵיהֶם. In margine notatur pro חֲרָאֵיהֶם legendum צוֹאָתָם, & pro שֵׁינֵיהֶם legendum מֵימֵי רַגְלֵיהֶם. Cujus rei hanc reddunt Talmudici rationem, hoc ideò factum, quòd voces in textu poſitæ uſu ac prolatu obſcænæ factæ fuerint; ac proinde a Scribis alias magis in uſu honeſtas ac verecundas ſubſtitutas, quæ inter legendum pro illis ſubſtituerentur & uſurparentur.

De his Exemplis dicit Revelator; *Non poſſe dici, hoc ab Authoribus librorum ipſis factum: hi enim, ſi vocem aliquam legi noluiſſent, eam quoque non intra contextum collocaſſent: ſi aliquam legi voluiſſent, eam non in contextu omiſiſſent, ac in marginem rejeciſſent, &c. Non ab Eſdra; Hic enim quoque ſuperfluas planè expunxiſſet, deficientes intra contextum collocaſſet; impuras & obſcænas planè eliminaſſet, & quas legi voluiſſet, inſeruiſſet, &c.*

℞. Quod

Ry. Quod ad argumentum generale dictum fuit, idem quoque nunc reſpondetur ad exempla ſpecialia;

Illi, qui myſteria volunt latere in hac diverſitate Lectionis & Scriptionis, negant abſurdum eſſe, hæc Authoribus ipſis adſcribere; imò Sacræ Scripturæ divitiis & abundantiæ multum putant adimi, ſi ab his & ſimilibus דקדוקים *ſubtilitatibus* myſteria excludantur. Hinc ſcribit Joſeph del Medico Cretenſis: ולמה זה בתורה אותיות גדולות וקטנות ומלות יתרות וחסרות וקרי ולא כתיב וכתיב ולא קרי ופרשיות פתוחות וסתומות ויחיד במקום רבים ונקבה במקום זכר ואלף במקום הא ולהפך וכמה שנויים אחרים ח״ו שנאמר שטעו המעתיקים והסופרים *Quare*, inquit, *ſunt in Lege Literæ majuſculæ & minuſculæ, voces ſuperfluæ & redundantes, lectæ & non ſcriptæ, ſcriptæ & non lectæ, ſectiones apertæ & clauſæ, Numerus ſingularis pro plurali, Fæmininum loco maſculini, Aleph loco He, & vice verſâ, ac tot adhuc aliæ varietates? Abſit ut dicamus, vel Authores, vel Transſcriptores erraſſe, &c.* Et fol. ſeq. 10. ubi contra Eliæ ſententiam de Punctis diſputavit, ſcribit: והנה כמעט אין פרק ופרשה בגמרא ובמדרשים שאין בו סוד ורמז עד שמבואר מאד שדברים אלו אינם מיוחדים ומסוגלים דוקא לחכמי הקבלה כי אם לכללות חכמי ישראל הם סגולה ושלפנים משנים קדמוניות היו באומה הישראלית עד שאם תשרשם מבין ספרי הקדש אם לא תפול התורה בכללה עכ״פ תגרע ותרד פלאים משלמותה וקדושתה שבפרט גופי הלכות כמוסים בסודות ורמזים שלולי האסמכתא שיש לנו בהם שהם ציונים לתורה וגילוי עינים היתה ח״ו התורה נשתכחת מישראל ואינם אם כן חדשים מקרוב באו כאשר יחשבו וכו׳ h. e. *Et ecce vix eſt Caput aut ſectio in Gemara & Medráſchim, in qua non ſit myſterium & indicium aliquod occultum, ut manifeſtiſſimum hinc ſit, hæc non eſſe propria & peculiaria tantùm Cabaliſtis, ſed in univerſum omnibus Sapientibus Iſraëlis; atq; adeò jam antè ab annis antiquis fuiſſe in populo Iſraëlitico, ita ut, ſi ea eradicare velis è libris Sacris, Lex univerſa quaſi ſit corruitura, aut certè plurimùm deceſſurum ſit de ejus perfectione & ſanctitate; cùm tot traditiones ſint in myſteriis & ſignis arcanis occultatæ, &c.*

Et certè ſunt plura loca harum diverſitatum, in quibus utraque vox, tam lecta, quàm ſcripta, elegantem reddit ſenſum, & probabile videri poſſit, ab authoribus ipſis hoc non ſine cauſa factum eſſe, uti Interpretes Hebræi paſſim docent. Et Aben Eſra ipſe, qui

aliquot in locis dicit, vocem marginalem ſemper eſſe עִקָּר *præcipuam*, agnoſcit tamen, quædam etiam eſſe loca, quæ habeant שְׁנֵי טְעָמִים *duos ſenſus*, ut Pſ. 100. 3. ut videre eſt in libro Tzachuth fol. 192. col. 1. ubi inſuper etiam addit, אֵין בְּכָל הַמִּקְרָא מִלָּה קָשָׁה *in tota Scriptura nullum eſſe hujus diverſæ lectionis & ſcriptionis exemplum, quod difficultatem aliquam habeat.*

Sed quia novi, hæc ſuperſtitionis Judaicæ nomine traduci, miſsâ hac ſententiâ, neſcio quam ob cauſam hæc Criſis non poſſit adſcribi Eſdræ, & ipſius collegis, ſaltem magna illorum pars.

Quid abſurdi, ſi dicamus, Eſdram in majore exemplarium parte, aut certè in talibus, quæ alicujus erant nominis & authoritatis, reperiſſe Jerem. 51. 3. vocem ידרך bis ſcriptam: cùm verò cenſeret, alteram redundare, noluiſſe tamen eam, certis de cauſis, planè expungere; monuiſſe interim notâ marginali, ſecundum contextus ſeriem unam ſuperfluam eſſe, ac proinde nulla ei addidiſſe puncta; Sic cùm Jerem. 31. v. 38. ipſi videretur vox בָּאִים deeſſe ad integritatem ſermonis, eam ſuppleviſſe; ita tamen ut conſonantes in margine, vocales in contextus ſerie poneret:

Ita in vocibus, quæ *obſcœna* dicuntur, & pro quibus aliæ legendæ ſubſtitutæ ſunt, quid inconveniens, ſi Eſdræ hoc adſcribamus? quid abſurdi, ſi dicamus, illum voces, quas in libris reperit, relinquere voluiſſe, additis tamen punctis voci marginali legendæ quadrantibus? Ego nihil in his abſurdi reperio aut deprehendo. Neque mihi rationes à Revelatore allatæ ita ponderoſæ & momentoſæ videntur, ut hoc credere, nefas aut piaculum poſsim ducere.

IV. *Adducit etiam exempla Vocum conjunctarum vel diviſarum, circa quas verſatur marginale Keri*, h. e. *talium, ubi voces duæ in unam dictionem conflatæ, quæ tamen ut duæ legendæ: vel ubi una vox diviſim ſcripta, ut una tamen legenda.*

Sed de his quoque idem quod de præcedentibus eſt judicium. Nihil cauſæ video, cur non illarum punctatio præſens æque poſſit Eſræ, ac recentiſsimis Maſorethis adſcribi: aut ſi hoc ſtatuatur, quid abſurdi aut inconvenientis ex eo ſequatur.

Unum hîc urget Locum, quem exiſtimat prohibere, quò minus harum vocum punctatio irregularis Eſdræ adſcribatur. *2. Paralipom. cap. 34. v. 6. ſcribitur in textu* בְּחַר בְּתֵיהֶם, *diviſim, ac ſi duæ eſſent voces: punctatur verò ut una vox; unde etiam in marginali nota monetur,*

monetur, conjunctim legendum eſſe בחרבתיהם. Hic ergo ait; *Eſdras ipſe hujus libri cenſetur author: An verò probabile eſt, ſi & libri ſit author, & punctationis primus inventor, illum vocem hanc* בחרבתיהם *vel diviſim ſcripſiſſe, ſi conjunctim legendam voluiſſet; aut ſi diviſim ſcripſiſſet, ſic punctaſſe, prout punctanda erat conjunctim legenda?*

Ad hoc reſponderi poteſt:

Primò, non omninò certum eſſe, Eſdram hos libros ſcripſiſſe, illorumque authorem eſſe.

R. Salomon ſcribit ab initio libri primi Paralipomenon, עזרא כתב ספר היחס הזה על ידי חגי זכריה ומלאכי *Eſras ſcripſit catalogum hunc Genealogiarum per manus Haggai, Zachariæ, & Malachiæ.* Hic R. Salomon neque loquitur de toto libro, neque dicit, quòd ipſe eum ſcripſerit.

R. D. Kimchi verò hac de re magis accuratè, & propiùs fortè ad veritatem, ſic ſcribit: ואמרו רבותינו ז'ל כי זה הספר כתב עזרא והאמת כי קודם עזרא נכתבו דברי הימים למלכי יהודה כמו שאמר בספר מלכים אלא שלא חבר עדין לכתבי הקדש אלא שהיה נכתב ספר לבדו כדברי הימים למלכי יהודה וכן דברי הימים למלכי ישראל היו נכתבין בספר אלא שאותו ספר לא חבר אל כתבי הקדש לפי שלא עמדה מלכות ישראל ולעתיד גם כן מלכות בית דוד תקום לבדה כמו שאמר הנביא ונשיא אחד יהיה לכולם · ואמר ולא יהיו עוד לשני גוים ולא יחצו עוד לשתי ממלכות · אבל ספר דברי הימים למלכי יהודה חבר אל כתבי הקדש כמשפט לספר בו דברי מלכי יהודה וגלותם עד עלותם מהגלות וממלכות בית דוד היה נשיא עליהם זרובבל בן שאלתיאל בן בנו של יהויכין · וכן יחס בזה הספר עזרא מלכות עד זרובבל · וחבר עזרא זה הספר בכתבי הקדש על ידי חגי זכריה ומלאכי הנביאים האחרונים וחברו עם הכתובים ולא עם הנביאים לפי שהוא ספור דברי הימים אעפ'י שיש בכללם קצת נבואות אחר שעקרו נכתב לספר דברי הימים והיחסים נכתב ונכלל עם הכתובים כמו ספר רות שנכתב לספר יחס דוד ונכתב עם הכתובים גם כן hoc eſt, *Dicunt Rabbini noſtri, quòd Eſdras hunc librum ſcripſerit. Sed veritas eſt, quòd ante Eſdram jam ſcripti fuerint libri Chronicorum Regum Jehudæ, ſicut dicitur in libro Regum: ſed nondum erant conjuncti cum Scripturis ſanctis* (nondum relati in Canonem Sacræ Scripturæ): *Verùm ſeorſim ſcriptus erat Liber Annalium Regum Judæ. Sic ſeorſim in peculiari libro ſcripti erant Annales Regum Iſraëlis: Hic vero liber nunquam conjunctus fuit Scripturis*

Sacris; quia non permanſerat Regnum Iſraëlis, & tempore futuro quoque regnum domus Davidis ſolum ſtabit, ſicut dicitur; Et Rex unus erit omnibus illis, *Item*; Nec erunt ultrà duæ gentes, neque dividentur in duo regna amplius, Ezech. 37. 22. *Sed liber Chronicorum Regum Judæ conjunctus fuit Scripturis ſanctis, prout æquum erat; ut nempe in eo recenſerentur res geſtæ regum Juda, & captivitas ipſorum, uſq; ad ipſorum liberationem è captivitate, cùm de regno Domus Davidis fuit princeps ſuper ipſos Zorobabel filius Schealtielis, nepos Jehojachini. Hinc deduxit in hoc libro Eſdras regnum uſq; ad Zorobabelem. Retulit autem Eſdras hunc librum in numerum librorum Sacrorum, per manus Haggæi, Zachariæ & Malachiæ, Prophetarum poſtremorum: & quidem adjunxit eum Hagiographis, non verò Prophetis, eò quòd contineat enarrationem hiſtoricam; quantumvis etiam quædam ibi extent Prophetiæ: quia verò principaliter & præcipuè ſcriptus eſt ad enarrandas res geſtas & proſapias ſive genealogias, ideò comprehenſus fuit ſub Hagiographis, ſicut & liber Ruth, qui eo fine ſcriptus eſt, ut recenſeret familiam Davidis, ideò & ille relatus fuit inter Hagiographa.* Hactenus Rabbi David Kimchi, cujus ſententia huc redit, Eſdram non primum eſſe authorem & Scriptorem τῶν Paralipomenων: ſed eos duntaxat recenſuiſſe, &, unà cum reliquis viris Synagogæ magnæ, Genealogias addidiſſe, atq; in Canonem & cenſum librorum Sacrorum retuliſſe.

In Talmud, Maſsécheth Bava baſra cap. 1. fol. 15. col. 1. עֶזְרָא כָּתַב סִפְרוֹ וְיַחֵס שֶׁל דִּבְרֵי הַיָּמִים עַד לוֹ h. e. *Eſras ſcripſit librum ſuum, & Genealogias libri Chronicorum uſq; ad ſeipſum*; vel, *uſque ad* ולו Et ei fuerunt fratres, 2. *Paral.* 21. 2. Sic enim legitur in Schalſcheleth fol. 66. col. 2. עֶזְרָא כָּתַב סִפְרוֹ וְיחוּס ד״ה עַד וְלוֹ אַחִים פרש׳ כ״א. Hîc quoque nihil aliud in his libris Eſdræ attribuitur, præterquam Genealogiæ: nequaquam vero etiam hiſtoriæ, & res geſtæ Regum, &c.

Quod ſi verò Eſdras non ſit librorum illorum author, ſed magna ex parte jam antè conſcripti fuerunt, annon fieri poteſt, ut vocem illam ſic ſcriptam repererit Eſdras, eamque ita punctarit, & notam hanc ei adjecerit?

Itaque certiùs adhuc demonſtrandum, Eſdram totius illius libri eſſe ſcriptorem & authorem.

Secundo; Poſito, Eſdram horum librorum eſſe authorem, ex uno

uno tamen & altero exemplo tali non ſequitur, univerſa Keri ukeſiſ, vel punctationem illorum, non eſſe ab Eſdra. Probabile enim eſt, numerum iſtarum vocum poſt ipſius tempora eſſe auctum: & à poſterioribus quoque, quando diverſitatem exemplarium reperiebant, quaſdam ejuſmodi notas, ad imitationem priorum, eſſe additas.

Idem judicium eſt *de reliquis hujus generis varietatibus, quæ vocunt partes, hoc eſt, literas maximè ſpectant.* Nihil abſurdi videre poſſum, ſi dicatur, Eſdram ſic illas punctaſſe, ut, vocibus textualibus relictis, puncta vocis legendæ in contextus ſerie poſuerit, quæ veram lectionem indicarent. Si Revelatori, ad ſuam ſententiam tuendam, hoc abſurdum & enorme videatur, ſciat, plurimos pios, doctosq; viros ex Chriſtianis eſſe, qui ita hactenus ſtatuerint, quos omnes tanquam inertes & væcordes condemnabit.

Si dicat, *nullam idoneam cauſam vel rationem dari poſſe, quæ eos huc permoverit:*

Negabimus hoc, & dicemus, *primò* eandem rationem, quam ille pro Maſoretharum Tiberienſium excuſatione affert, pro Eſdra quoque militare poſſe: *deinde* dicemus, omninò alias quoque plures afferri poſſe cauſas, de quibus aliâs: *tertiò*; utut non ſemper & ubique à nobis commoda ratio dari poſſet, non tamen ſequeretur nullam eſſe: quia poteſt aliqua eſſe, & nos hodiè latére.

V. Refert huc quoque Revelator *Anomalas punctationes vocis* יְרוּשָׁלַם, *& Nominis Dei Tetragrammati* יהוה.

Nomen ירושלם *plerunque ſcribitur ſine Jod inter Lamed & Mem, quinq; locis exceptis, ubi plenè ſcribitur* יְרוּשָׁלַיִם, *quæ loca annotata ſunt in Maſora Jerem.26.18. Nihilominus etiam, quando defectivè ſine Jod ſcribitur, punctatur cum Chireck, ac ſi Jod adeſſet, ſic* יְרוּשָׁלַםִ: *& ſic cum* ה *locali in fine* יְרוּשָׁלַמָה, *ac ſi ſcriberetur* יְרוּשָׁלַיְמָה, *uti ſcriptum extat 2.Paral.32.9. Hoc verò cùm planè irregulare & inuſitatum ſit in lingua Hebræa, ut Vocalis aliqua ſcribatur & legatur ſine conſona propria, concludit, non poſſe vel debere hanc punctationem Eſdræ adſcribi: ſaltem ſibi hoc videri veriſimile.*

℟. Ego iterum nihil hìc abſurdi, vel à Veriſimilitudine alieni video, ſi punctationis hujus Eſdram authorem faciamus, & dicamus; Eſdram, cùm vera hujus vocis lectio & pronunciatio fuiſſet יְרוּשָׁלַיִם *Jeruſalaim*; ipſe autem vocem hanc in exemplaribus frequentiſsimè

quentiſsimè ſine Jod ſcriptam reperiſſet, & ſcriptionem mutare noluiſſet, eam addidiſſe punctationem, quæ veram lectionem exprimeret, punctationisq; hujus rationem cùm oretenus, tùm etiam in margine expoſuiſſe, voce plenè cum Jod ſcriptâ. Chireck additum, notat Jod eſſe legendum, licet non expreſſum. Fingat, qui volet, hîc abſurditatem aliquam, ego nihil video hac in re tanto viro indignum, & quod nullâ cum veriſimilitudine ei attribui queat. Imò contrà, ſi aliter vocem punctaſſet, quàm legenda erat, præpoſterè feciſſet. Placet hîc addere obſervationem Aben Eſræ hac de re, ex libro *Tzáchuth* fol. 138. col. 1. Agit ibi de He finali, ejusq; punctatione, ac dicit; *He finale, vel eſſe ſignum generis fœminini, vel paragogicum, & hæc duo notari cum Kametz: vel radicale, & ſic etiam quandoq; habere Kametz, ut in* עָשָׂה*: quòd ſi verò He finale & radicale ante ſe habeat Cholem quieſcens, tum perpetuò illud He eſſe* נָח נִרְאֶה hoc eſt, *mobile,* וַיּוֹסִיפוּ בִקְרִיאָתָהּ אָלֶף פְּתוּחָה וְעַל כֵּן יִכְתְּבוּ פַּתָּח בֵּין הָאוֹת שֶׁהוּא קוֹדֶם הַהֵא וּבֵין הַהֵא כְּמוֹ אֱלוֹהַּ גָּבוֹהַּ & (inquit) *additur in lectione Aleph pathachatum; cujus rei causâ ſcribitur Pathach inter literam quæ eſt ante He, & inter He, ut* אֱלוֹהַּ (quod legitur *Eloah*) גָּבוֹהַּ (*Gevóah*). Pergit: וְאִם טָעַן טוֹעֵן אֵיךְ נִקְרָא אוֹת שֶׁאֵינֶנּוּ כָּתוּב יֵשׁ לְהָשִׁיב לָמָּה אָנוּ קוֹרְאִים יְרוּשָׁלִַם בְּיוֹד וְאֵינָהּ בַּכָּתוּב שֶׁלֹּא תִּמָּצֵא זֹאת הַמִּלָּה בְּכָל הַמִּקְרָא בְּיוֹד רַק ה׳ וּבַעֲבוּר הַחִירֶק הַכָּתוּב בֵּין הַלָּמֶד וְהַמֵּם אֲנַחְנוּ קוֹרְאִים הַיּוֹד כֵּן קִבַּלְנוּ מֵאֲבוֹתֵינוּ *Quòd ſi quis objiciat, quomodo legamus literam aliquam quæ non ſit ſcripta, reſponderi poteſt, quare legamus* יְרוּשָׁלִַם Jeruſalajim *cum Jod; cùm tamen hæc vox in univerſa Scriptura non niſi quinquies legatur cum Jod? Legimus Jod propter Chireck, quod inter Lamed & Mem ſcriptum eſt. Et ſic per Traditionem accepimus a Patribus noſtris.* Et in libro *Móſnajim,* fol. 211. col. 1. poſteaquam iterum accuratiùs docuiſſet, Pathach ſub, vel ante literam ה mappikatam in fine, eſſe ſignum literæ Aleph, licet non ſcriptæ, ſubjungit: וְיֵשׁ יוֹד שֶׁהוּא נִקְרָא וְאֵינֶנּוּ נִכְתָּב בְּכָל הַמִּקְרָא כְּמוֹ יְרוּשָׁלִַם וְשָׂמוּ הַחִירֶק בֵּין הַלָּמֶד וּבֵין הַמֵּם לְהוֹרוֹת עַל הַיּוֹד *Sic eſt etiam Jod, quod legitur, licet non ſcribatur, ut in voce* יְרוּשָׁלִַם*: poſuerunt autem Chireck inter Lamed & inter Mem, ad docendum de Jod.* Quinam ſint illi, qui hoc Chireck appoſuerint, facilè eſt conjicere ex hujus ejuſdem authoris de Punctorum origine ſententia, quam ſuprà cap. 3. expoſuimus; Eſdras ſcilicet, & reliqui Viri Synagogæ magnæ. Sic itaque ex Aben Eſdræ

dræ ſententia, nihil in hac re eſt abſurdi & inconvenientis.

At, inquit Revelator, *Septuaginta, adeoq; & Hieronymus (etſi in pleriſq; nominibus propriis longè à lectione LXX. Interpretum diſcedat, &, à Judæis ſui temporis edoctus, ad eam lectionem, quæ exurgit ex hodierna punctatione Maſorethicâ, propiùs accedat) vocem iſtam, ſive defectivè* ירושלם*, ſive plenè ſcriptam* ירושלים*, ſemper reddiderunt* Ἱερουσαλὴμ, Hieruſalem; *Unde liquet, eos vocem illam ſemper legiſſe, quaſi ſic punctata eſſet* יְרוּשָׁלֵם *vel* יְרוּשָׁלַיִם.

℟. 1. Concedi poteſt totum; Nam cùm dari poſsit, LXX. & Hieronymum non punctatis exemplaribus eſſe uſos, fieri facilè poteſt, ut tam plenam, quàm defectivam vocem ſic legerint.

2. Dici poteſt, illos pronunciationem eam expreſsiſſe, quæ vulgò illorum temporibus erat uſitata. Poſterioribus autem temporibus pro *Jeruſalájim*, dialecto Babylonicâ & Hieroſolymitanâ inter Judæos invâleſcente, dicebatur *Jeruſalem*.

3. Negari etiam poteſt, ex hac, vel LXX. Græcorum, vel D. Hieronymi ſcriptione, concludi poſſe, illos puncta genuina, & lectionem veram hujus vocis per *Jod* ignoraſſe. Veteres enim aliàs quoque, Vocales Pathach & Chireck concurrentes, per η ſive E Latinorum exprimere ſolebant. Sic quod Hebraicè ſcribitur אֶפְרַיִם, Græcè Ἐφρέμ, apud veterem Interpretem Latinum legitur *Ephrem*, Johannis 11. v. 54. Hinc etiam eſt Ἐφρὲμ apud Nonnum, fortè pro Ἐφρὴμ. Sic apud Epiphanium Μοζανὴμ, quod Hebraicè dicitur מֹאזְנַיִם, pro Μοζανάιμ. Sic invenies Μισρὴμ, pro Μισράιμ, Heb. מִצְרַיִם. Sic etiam אי vel עי Hebræorum Græci, per E expreſſerunt, ut, Ἐνγαλλὶμ Hebraicè עֵין גַּלִּים, Ἐνγαδδὶ, עֵין רוֹגֵל Ἐνρωγὴλ, quod tamen alicubi etiam legitur Αἰνρωγὴλ.

Nihil itaque hinc etiam probari vel concludi poteſt.

Quod Nomen Tetragrammaton יהוה *attinet, pro certo & confeſſo ponit Revelator, puncta illa, quibus hodiè inſignitur, non eſſe Nominis iſtius propria ac genuina: ſed cùm* יְהוָֹה *punctatur, puncta habere mutuaticia Nominis* אֲדֹנָי; *quando* יֱהוִֹה, *habere puncta Nominis* אֱלֹהִים. *Quis verò ſanus*, inquit, *credat, vel a Moſe & Prophetis hoc eſſe, vel etiam Eſdram, Nomen illud Divinum ſic alienis punctis ſignaſſe?*

Nam ſi Moſes, Propheta, aut Eſdras puncta conſonis addiderunt, Nomen illud non alienis, ſed propriis ſignaſſent punctis.

Neque excipi poſſe; *eos hoc religionis causâ feciſſe; Id enim eſſet cum Judæis ultrò velle inſanire.*

Ad hoc exemplum reſpondetur; *Primò*, Utrinque eſt in confeſſo, Puncta Nomini Tetragrammato adſcripta, non eſſe illius Nominis propria; ſed aliena:

Secundò, cùm יְהֹוָה punctatur, habere puncta Nominis אֲדֹנָי; cùm יֱהֹוִה, Nominis אֱלֹהִים.

Quæritur itaque, *Quis hæc mutuatitia puncta huic Divino Nomini adſcripſerit?* &c; *An hæc ſcribendi ratio ita ſit abſurda, ut nemo ſanus eam ſit ad Eſram, ſimilesq; pios & cordatos relaturus; aut, ſi quis hoc faciat, is cum Judæus ultrò inſanire velit?*

℞. Revelator ubiq; abſurditates fingit, ubi ipſi libuerit, etiam ſine cauſa. Quid quæſo abſurdi & inconvenientis, ſi dicamus, Eſdram Nomen hoc Divinum ſic punctaſſe cum reliqua Scriptura, ut is inſanire dicendus ſit, qui id ſtatuerit? Nihil. Id ut appareat, ſic velim Lectorem negotium hoc perpendere & examinare.

Primò; Extra controverſiam puto eſſe, conſuetudinem hanc eſſe antiquiſsimam, ut à Nominis Tetragrammati pronunciatione in vulgari ſermone abſtineatur, & pro eo proferatur atq; legatur Nomen *Adonaj*, &, ſi *Adonaj* præcedat, *Elohim*: Et, ſi hoc non inde à temporibus Moſis fuit, ut Hebræi ſtatuunt, ſaltem Prophetarum tempore jam in uſu fuiſſe, quod & ex antiquis Hebræorum Traditionibus, & ex antiquis Bibliorum Interpretibus conſtare poteſt. Agnoſcit hoc Revelator ipſe. Unde in Oratione de Nomine יהוה ſcribit: *Ab ipſo autem Moſis tempore interdictam fuiſſe vulgo illius pronuntiationem, non alienum videri alicui poſſet ex loco qui habetur Levit. 24. &c.*

Secundò; Extra controverſiam & hoc puto eſſe, hanc ſive legem & ſanctionem, de reticendo nomine Tetragrammato, & alio in ejus locum ſubſtituendo, per ſe non eſſe ſuperſtitioſam, neq; etiam ſuperſtitioni, ſed τῇ εὐλαβείᾳ & religioni, primam ejus originem adſcribendam. Et neque hoc diffitetur Revelator. Hinc ſcribit iterum in Oratione modò citatâ; *Triplici potiſsimùm de causâ, Nomen hoc* Ineffabile *dictum eſſe; Primò, quòd Judæorum vulgus vel εὐλαβείᾳ quadam, aut ſuperſtitione, ſponte ab eo proferendo abſtineret; vel potiùs, quòd publicâ ſanctione, & magni Synedrii decreto, illius pronuntiatio eſſet prohibita, &c.* Et Patres, qui ſcribunt, vulgò apud Judæos prohibitam.

bitam ejus fuiſſe pronunciationem, nullam huic prohibitioni ſuperſtitionem adſcribunt. Imò locum Levit. 24. ſic explicat ipſe Revelator, ut dicat, *videri eo in loco Deum interminari mortem, non modò illi, qui Deo maledixerit, ſed & illi è vulgo, qui venerandum illud Nomen effatus fuerit.* Et iterum; *Non ſine aliqua ſpecie,* ſcribit, *à Judæis proferri locum illum ad interdicti iſtius probationem, &c.*

Tertiò; Quòd ſi jam hæc non fuit inſania, atque in hoc per ſe nulla fuit ſuperſtitio, quòd Nomen hoc antiquitùs non ita ut erat ſcriptum, lectum fuit, atque vulgò pronuntiatum: ſi conſuetudo hæc jam obtinuit temporibus Prophetarum, neque impia, temeraria, vel illaudabilis fuit; ego ſanè non videre poſſum, quid à ſana ratione alienum, quid abſurdum & ſuperſtitioſum ſit, ſi dicamus, Eſdram ex veneratione, pietate, & cum recepta pronunciandi lege, à Nomine hoc Divino propria puncta omiſiſſe, & ejus Nominis puncta textui inſeruiſſe, quod pro Nomine Tetragrammato legi debuit, legi voluit, & legi cùm conſuevit. Et res hæc non ſuâ caruit ratione, quæ hæc erat; quia in communi lectione & uſu non ſuis conſonis & vocalibus, ſed nomine vicario pronuntiatum & expreſſum fuit.

Erpenius, itidem Novitatis punctorum aſſertor; tamen ſimpliciter dicit, *Religione factum eſſe, & metu profanationis, ut literis ſanctiſſimi Nominis* יהוה *adſcriberentur vocales vocis* אֲדֹנָי, *aut* אֱלֹהִים; *& hac punctatione moneri lectorem, quomodo ſit legendum.* Sic Druſius, & alii.

At, inquias, *imò ſi Eſdras puncta addidiſſet, propria puncta huic Nomini addidiſſet, non aliena.*

Ego verò hoc nego: Propria puncta addidiſſet, ſi iis legi voluiſſet; cùm verò id certo & ſano conſilio noluerit, ea intermiſit, & illa ſubſtituit, ſecundum quæ legi voluit.

Hinc ergo iterum nihil firmi & ſolidi pro Punctorum Novitate poteſt concludi, cùm æquè, imo meliori jure & ſpecie, hoc factum attribui poſſit Eſdræ & Viris Synagogæ magnæ, ac Maſorethis iſtis Tiberienſibus.

Idem judicium eſt *de reliquis Diverſæ lectionis & ſcriptionis exemplis.* Puncta non conveniunt voci in textu ſcriptæ, ſed oſtendunt rationem lectionis cum conſonis in margine ſcriptis. Cur ſic priſci fecerint, ſuas habuerunt rationes. Neque ſtatim ſuperſtitio-

nis titulo condemnandum eſt, cujus nos rationem non intelligimus, nec aſſequi poſſumus, vel quicquid ab hodierna noſtra ſcribendi ratione & docendi modo recedit..

Et hæc ſufficiant pro hujus Argumenti diſcuſsione, donec pleniùs aliquando hoc Argumentum pertractandi occaſio data fuerit.

Caput XIII.

De ſecundo Argumento Grammatico pro Punctorum Novitate, Ab eorum Appellatione.

ARgumentum pro Novitate Punctorum duplex conſtruit Revelator ab illorum *Appellatione* ſive *Nominibus.*

PRIMUM eſt hoc: *Antiquiſſima,* inquit, *notæ Maſorethicæ, quùm Punctorum meminerunt, non alia uſurpant eorum Nomina* (ut Elias Levita obſervavit) *præterquam iſta,* Kametz & Pathach: *Sub* Kametz *enim illi complectuntur* Tzeri, *quod vocant* Kametz parvum; *ſub* Pathach *autem comprehendunt* Sægol, *quod ab eis vocatur* Pathach parvum (*Imò verò,* ait, *ſic etiam loquuntur antiquiores Grammatici Judæi, qui ante quinque vel ſex ſæcula ſcripſerunt*). *Reliqua puncta vocant I, O, V, atque & ſic ſolent exprimere* אִ , אֻ , אִ , או , אוֹ. *Alia Punctorum vocalium Nomina non occurrunt, niſi in poſterioris ævi Grammaticis recentioribus ante annos* 300. *aut* 400..

Ergo non poſſunt eſſe tàm antiquæ Vocalium & Accentuum figuræ, uti volunt Antiquitatis Punctorum Patroni.

Conſequentiæ ratio probatur ab abſurdo; *quod ſic inde vel ab Eſdra ad tempora uſque ſeu Maſoretharum, ſeu poſteriorum Grammaticorum, Puncta ſuis caruiſſent Nominibus, quod abſurdum; Cùm enim Literæ à tam multis retrò ſæculis ſua habuerint Nomina; non eſt probabile, Puncta vocalia, ſi extitiſſent, non etiam habitura fuiſſe.*

℞. I. Argumenti hujus *Antecedens* quod attinet, *Pleraque punctorum Vocalium Nomina non occurrere, niſi in Grammaticis à* 300. *vel* 400.

400. *annis: & in Maſora nonniſi duo occurrere Nomina*, Kametz, & Pachach; id nondum ſatis eſt probatum.

Maſoram enim quod attinet, negatur, in eâ hæc duo duntaxat Nomina occurrere. Levitici 13. v. 49. nominatur *Tzere* & *Segol*, ad vocem בָּעֵרֶב. Sic Deuteron. 5. v. 10. ad וְעֹשֶׂה notatur; ג' בטעמ' בסגול *Tria in hoc libro ſunt cum* Sægol. Geneſ. 25. v. 11. in Maſorâ parvâ ad רֹאִי notatur; ו' בְּחוֹלֶם *Sexies eſt cum Cholem*: 2. Sam. 6. 23. ad vocem מוֹתָהּ ſcribitur; *Non occurrit amplius cum* מל פום Melo-pum, *h. e. cum* Cholem: *ſed unum eſt cum* Kibbutz-pum, *h. e. cum* Schurek.

In antiquâ Maſorâ manuſcriptâ in pergameno, quæ penes me, itidem ſubinde nomina punctorum aliorum reperiuntur; ut 1. Sam. 22. v. 20. ad vocem בֶּן ſcribitur; ד' דסמ' בְּצֵרי בן Ben *cum Tzere in conſtructione quater reperitur*. Sic ad vocem שְׁמַע, 1. Reg. 10. v. 1. ה' בצרי *Quinquies reperitur cum Tzere*. Sic circa finem Jeremiæ ad vocem בָּהֶן notatur; ג' בסגול *Ter eſt cum Sagol*. Ibidem ad וַיַּכֶּה Jerem. 52. v. 27. י' בסגול ומסו' במלכים *Decem ſunt cum Sagol, & tradita ſunt in libro Regum*. In Ezechiele ad vocem בן reperi: כָּל בֵּן ובן שהוא סָמוּךְ ומוקף בג' נקודות *Omne* בן & ובן *quod eſt conſtructum, & poſt ſe habet Makkaph, eſt cùm tribus punctis*, (h. e. cum Sægol,) במ"ד *exceptis quatuor*. In Pſalmis: כָּל קְרִיָא פַּתַח וּפַתַּח בג' נקודות ב"מא *Omne* פַּתַח *in Scripturâ notatur cum tribus punctis, excepto uno, quod eſt Pſal. 119. v. 130. &c.*

Excipit Elias; *Si in quibuſdam exemplaribus ſcribatur, Cholem, Chirek vel Schurek, illa non eſſe ex phraſi Maſoretharum, ſed ex arguta ſapientia ſcriptoris alicujus, cui ſic placuit ſcribere, ut & ſe oſtenderet Maſoræ eſſe peritum.*

At quâ facilitate hoc dicitur, eadem quoque rejicitur; cùm hujuſmodi exempla paſsim in exemplaribus antiquis reperiantur.

Quod verò de *Grammaticis* dicit, *non reperiri etiam pleraque punctorum Nomina, niſi in Grammaticis trecentorum vel quadringentorum abhinc annorum*, illud eſt falſiſsimum.

R. Jehuda ben Chajug, primus, uti volunt, Hebræorum Grammaticus, qui ſcripſit circa annum mundi 4800. nati Chriſti 1040. hoc eſt, ante annos ſexcentos, illorum jam mentionem fecit, uti conſtat ex multis, quæ ex illo paſsim citantur in Aben Eſræ, Muſcati, Ephodæi, & aliorum ſcriptis. Sic quoque R. Jonah,

Cordubenſis, Hiſpanus, qui paulò pòſt eum eſt inſecutus. Ephodeus cap. 11. ex R. Jonæ libro, cui nomen ההשגה, hæc citat verba: כָּל פָּעַל שֶׁלֹּא הוּזְכַּר שֵׁם פּוֹעֲלוֹ רֵאשִׁית אוֹתִיּוֹתָיו לְעוֹלָם מוּנָע בְּשׁוּרֶק אוֹ בְקָמֶץ חָטֵף אוֹ בְחוֹלֶם *Omnium verborum paſſivorum primæ literæ perpetuò efferuntur cum Schurek, aut cum Kametzchatuph, aut cum Cholem.* De Coſri, R. Salomone, & Aben Eſra, qui etiam ante annos quingentos ſcripſerunt, res eſt manifeſta ex ſcriptis illorum, quæ noſtris manibus teruntur. Quod punctorum nomen, cujus hi non meminerint? Quo igitur fundamento dicitur, à 300. aut 400. duntaxat annis primam illorum mentionem fieri? Hæc de Antecedente.

II. Poſitis etiam iis, quę in Antecedente ſumiſ Revelator, nondum tamen firmâ Conſequentiâ inde elicitur, Puncta adeò recens eſſe Maſoretharum Tiberienſium inventum. Nam Punctorum Nomina potuerunt variare pro ratione temporum, authorum, terrarum & populorum. Negatis nominibus, maximè ſpecialibus, his vel illis, non ſtatim negatur res ipſa. Hinc ſcribitur in עֲרוּ־ *Arúgas habbóſem* cap. 26. וְנִקְרְאוּ אֶל הַתְּמוּנוֹת הָאֵלֶּה שְׁמוֹת הַבֹּשֶׂם מִתְחַלְּפִים בִּזְמַנִּים שׁוֹנִים. כְּפִי רְצוֹן הַמּוֹרִים וּמִנְהַג הַמְּדִינוֹת. כִּי לֹא שְׁמָם הוּא הָעִקָּר אֶלָּא הוֹרָאָתָם. הֲלֹא תִרְאֶה בַּעֲלֵי הַמָּסֹרֶת שֶׁקָּרְאוּ לְחִירֶק אִי וּלְחוֹלֶם אוֹ: וְהַכּוּזָרִי קָרָא לְחִירֶק שֶׁבֶר גָּדוֹל וּלְצֵרֵי שֶׁבֶר קָטוֹן: וְזֶה מַסְפִּיק לְהָשִׁיב לר׳ אֵלִיָּה בָּחוּר טַעַם נָכוֹן לְשֵׁמוֹת הַנְּקֻדּוֹת וְהַטְּעָמִים h. e. *Appellatæ autem fuerunt figuræ iſtæ nominibus variis, temporibus variis, pro arbitrio doctorum, & conſuetudine provinciarum. Non enim nomina ſunt præcipuum & fundamentum, ſed ſignificatio & res ipſa. Hinc vides, Maſorethas vocare Chirek* I, *& Cholem* O: *Coſar verò appellat Chirek* Schéver magnum, *& Tzére* Schever parvum. *Et hoc ſufficere poteſt reſponſionis loco ad argumentum Eliæ à Nominibus punctorum.* Non ſequitur; Maſoretharum tempore Nomina iſta punctorum nondum fuerunt; Ergo res ipſa, ſive puncta ipſa nondum fuerunt. Potuerunt enim alia nomina habere, & habuerunt, uti ex allegatis conſtat.

III. Poſſunt etiam eſſe cauſæ peculiares, cur iſtæ duntaxat appellationes in Maſora occurrant. Conſtat, Maſorethas ſtylo nervoſo, conciſo, peregrino, & occulto abſque abſtruſo, ſuam artem conſcripſiſſe, ne cuivis illa pateret. Itaque ſæpiùs vocabula inuſitata, vel homonyma & æquivoca uſurparunt, & in ſuam rem accommo-

commodarunt. Hinc videntur illi quoque pauciora Punctorum vocabula adhibuiſſe; non quòd plura non eſſent, aut haberent, ſed quòd certo reſpectu ipſis ad pauciora redigi, & ſub nominibus paucioribus plura comprehendi poſſe, videretur. Sic primi Grammatici ſeptem duntaxat numerarunt vocales, licet decem eſſent, Aben Eſra illas dividit in tres מוסדים q. d. Fundamentales, & quatuor מורכבים Compoſitas. *Coſri* ad hanc diviſionem reſpiciens, ſcribit par. 2. §. 80. צדי הדבור בעברית בדרך החלוקה משיגים קמוץ ופתיחה ושבר ובחלוקה אחרת קמוץ גדול והוא קמץ והקמוץ בינוני והוא חולם וקטן והוא שורק ופתיחה גדולה והוא פתח וקטנה והוא סגול ושבר גדול והוא חירק וקטן והוא צרי וכו' h. e. *Modi locutionis Hebraicæ ſunt varii; Pars aſſequuntur Kametzationem, Pathachationem & Schever*, h. e. *Chirek: Alia pars Kametzationem magnam*, h. e. *Kametz, & Kametzationem mediam*, h. e. *Cholem*; *& parvam*, h. e. *Schurek: & Pathachationem magnam*, h. e. *Pathach: & parvam*, h. e. *Sagol, & Schever magnum*, h. e. *Chirek: & parvum*, h. e. *Tzeri.* Vult dicere, Vocales variè dividi & diſtingui: Juxta quoſdam, omnes referri ad tres, Kametzationem, Pathachationem, & Chirek. Cum præcedenti conforme quoque eſt quod Balméſius ſcribit cap. 3. כמו שהתנועות שלש כן הנקודות המורות עליהן ראשונה שלש h. e. *Quemadmodum Motûs ſpecies ſunt tres: ita ſunt tria Puncta* (*vocalia*) *quæ primariò de illis docent: Primum eſt* שבה תתעגל הפה במוצאה שהיא ־ה *in cujus prolatione os rotundatur* (in circulum) ־ה, *& vocatur Pathach, &c. Secundum* שבה תגבה השפה העליונה למעלה במוצאה שהיא או *in cujus prolatione labium ſuperius ſurſum movetur, O, cujus nomen Chólem. Tertium,* שבה יניח האדם שפתו העליונה למטה במוצאה שהיא אי *in quo homo labium ſuperius demittit deorſum, I, & nomen ejus Chirek, &c.* ולכן מקצת הקדמונים שמו השלש נקודות הללו עקר כאילו הן הפשוטות והאמהות והנקודות הנשארות שמו מורכבות מהן והן תולדותיהן ותולדות תולדותיהן *Ideoq; veteres quidam poſuerunt tria iſta puncta pro fundamento, ac ſi illa eſſent ſimpliciſſima, & veluti Matres; cætera verò puncta fecerunt compoſita ex eis; & illorum veluti Filias, & Filias filiarum, &c.* Ita potuerunt etiam Maſorethæ, plures Vocalium Figuras, plura item illarum Nomina, jam tùm extantia, ad pauciora referre, & ſub paucioribus comprehendere, tanquam ſimpliciſsimis, principalibus, & veluti Matribus.

ALTERUM Argumentum, quod à Punctorum Appellationibus pro Novitate punctorum educitur, hoc eſt;

Pleraque Punctorum vocalium, & maximè Accentuum Nomina, vel non ſunt Hebraica, ſed barbara & peregrina: vel ſi origine Hebraica ſunt, reſpectu tamen formæ ſunt utplurimùm Chaldaica vel Syro-Chaldaica.

Ergo Nomina iſta illis addita ſunt ab iis, quibus pura lingua Hebraica non erat familiaris & vernacula, ſed lingua quædam mixo-barbara & impura, qualis erat Dialectus illa, quâ uſi ſunt Talmudici Doctores, & qui eos proximè ſunt ſequuti.

℟. I. In hoc Argumento notandum, in *Antecedente* nullo cum fundamento dici, *pleraque Punctorum vocalium nomina eſſe vel origine, vel formâ, barbara, peregrina, & Chaldaica vel Syro-Chaldaica.* Ego nullum conſuetum & uſitatum hodiè Punctorum vocalium nomen ſcio, de quo liquidò dici poſsit, quòd ſit origine vel formâ Chaldaicum aut Syro-Chaldaicum. *Kametz, Kametzgádol, Kametzkáton, Tzere, Segol, Chirek, Schurek, Pathach, Kibbutz, Kametzchatuph, Chatephpathach, Chatephſegol, Chatephkametz*, omnia poſſunt & ad origines Hebræas reduci, & formas habent Hebraicas, ſicuti id videre eſt ex Aben Eſra in libro Tzachut, ubi ferè omnium appellationum rationes reddit, & etymologias explicat, uti & R. Immanuel in libro לִוְיַת חֵן *Liſjas chen.*

Alia eſt ratio Nominum Accentuum. De his non diffitemur, pleraque eſſe talia, ut Chaldaiſmum origine & formâ ſapiant, licet non omnia.

II. *Conſequentiam* hujus Argumenti quod attinet, nihil amplius concludi poteſt ex Nominibus iſtis Chaldaicis & Babylonicis, aut potiùs mixtis, partim Hebraicis, partim Babylonicis, quàm, eo tempore iſta vocabula eſſe nata & his figuris impoſita, quo Judæi Linguam Hebræam non ampliùs ſolam & puram habuerunt. An verò hoc demum fuit 500. aut 600. poſt Chriſtum natum annis? Annon inde à Captivitate Babylonica hoc inter ipſos fuit? An Paraphraſes Chaldaicæ etiam iis demum ſæculis cœperunt, Talmud, & alia? Annon communis Hebræorum eſt opinio, jam inde à captivitate Babylonica Judæos incepiſſe Legem Chaldaicè exponere & interpretari? Quî ergo ex his nominibus pro tam recenti horum Nominum origine aliquid concludi poteſt? Aut, quid mirum

rum

rum videri debet, ſi Viri Synagogæ magnæ, quorum tempore populus Judaicus linguæ Babylonicæ aſſuevit, quique ipſi ejus non fuerunt imperiti, in Punctorum, Accentuum, & totius Maſoræ Traditione, linguâ Chaldaicâ uſi fuerint? Annon nomina Menſium etiam pleraque ſunt Babylonica? An verò illa demum 500. aut 600. demum poſt Chriſtum annis ſunt orta? Nequaquam: ſed temporibus Eſdræ illa Hebræi adſcribunt, & dicunt, ea aſcendiſſe cum ipſis ex Babylonia. Annon voces illæ, quibus diverſitas lectionis ſignificatur, קרי וכתיב, vel in plurali קריין וכתבן, etiam ſunt Chaldaicæ? An verò vel res ipſa per ea ſignificata, vel nomina iſta tam ſunt recentia? Nequaquam. Itaque ex Nominibus iſtis Chaldaicis æque benè, imò meliùs poteſt concludi, Punctorum nomina & Accentuum, ab Eſdra & Viris Synagogæ magnæ fuiſſe excogitata & inventa; quia conſtat, in reliqua etiam Maſoręparte, quæ procul dubio Maſorethis Tiberienſibus eſt antiquior, eandem linguam adhibitam fuiſſe.

Deinde non de nihilo eſt, quod alii etiam reſpondent, *A' novitatę Nominum non licere argumentari ad novitatem rei, ſeu punctorum*, quod paulò antè quoque fuit dictum, & ex *Arúgas habbóſem* confirmatum. Potuerunt enim Vetera Nomina in oblivionem devenire, intercidere, aboleri, mutari.

Excipit verò contra hanc reſponſionem Revelator; *Qui potiùs Literarum, quàm Vocalium Nomina tam conſtanter hæſerint, & permanſerint? Eadem eſſe hodie Literarum Hebraicarum nomina, quæ ante ter mille annos fuerunt. Si & Puncta tam antiqua, cur non & illorum nomina manſiſſent?*

Ad hanc exceptionem reſpondent illi, qui Puncta literis coæva faciunt; Rem quidem eſſe antiquam, & Traditionem Moſis de monte Sinaj, ſed Nomina non eſſe ita vetera; verùm à Viris Synagogæ magnæ originem ſuam ducere, qui utramque linguam callebant, Hebraicam & Chaldaicam. Sic illi, qui Puncta Eſdræ adſcribunt, eidem quoque adſcribunt Inventionem Nominum.

Deinde verò etiam hæc inter Literas & Vocales eſt attendenda differentia: quòd Hebræi ſemper in ſcribendo uſurparint, & uſurpare cogantur, Literas ſive Conſonantes: Alia verò eſt Punctorum Vocalium ratio: hæc non ſemper ſcribendo exprimuntur. Et circa horum uſum olim valdè remiſsi fuerunt, adeoque non-

Bb

niſi rariſsimè iis uſi ſunt, quemadmodum conſtans eſt Hebræorum traditio, ut longè facilius fuerit illorum Nomina obliterari aut mutari, quàm Literarum. Literæ Nomina ſua acceperunt eo tempore, quo Hebræi in ſua terra, unâ eademque regione erant concluſi, unâ eademque linguâ uſi. Unde non mirum, ſi nomina ſua conſtanter retinuerint Literæ, & ſine ulla variatione. Puncta & Accentus, ſi cum Eſdra cæperunt, jam alia fuit tùm populi Iſraëlitici ratio; pars illorum erat in Babylonia, pars in Palæſtina: linguam non amplius habebant unam, ſed duas: ſequentibus etiam temporibus & ſæculis ſubinde varias deportationes & exilia, & cum illis varias quoque linguæ ſuæ mutationes paſsi ſunt: Unde iterum non mirum, ſi nomina Punctorum & Accentuum vel ſint mixta & impuriora, vel etiam varia.

Sic nequaquam adhuc ita fixum & ratum eſt, Punctorum appellationes, ſive Nomina recentia, novitatem talem, quæ 500. aut 600. poſt Chriſtum natum annis cæperit, arguere, ut Revelator voluit. Quin potiùs, ſi tam recens eſſet inventum, qui fieri poſſet, ut uſus illorum, Accentuum putà, tam ſubitò interciderit, ut nequidem illi, qui ante quingentos, ſexcentos, & plures annos de illis ſcripſerunt, aliquid certi de illis tradere potuerint? Qui factum, quod ſtatim circa ipſa initia diſſenſiones & diſcrepantiæ de his fuerint? Sed de his alibi etiam dicendi dabitur occaſio.

Caput XIV.

De Tertio Argumento Grammatico, ex Punctorum & Accentuum Numero & Munere.

ULtimum & poſtremum Argumentum, quo Revelator Punctorum & Accentuum Hebraicorum Novitatem firmare & adſtruere annititur, deducit ex ipſorum Apiculorum Numero, Munere, Uſu & Na-

tura.

tura. Et hic diffuſus admodum eſt & prolixus, multisque hoc & magno conatu agit, ut oſtendat, pleroſq; iſtos Punctorum & Accentuum apices ſine ulla neceſſitate eſſe excogitatos, ac vel nullum, vel non neceſſarium, vel certè exiguum habere uſum, ut proinde nec Moſi, nec Eſdræ adſcribi poſsint.

Argumentum hoc quatuor integris perſequitur capitibus, ſigillatimq; hujus inventi vanitatem oſtendit 1. De Vocalibus brevibus & longis cap.13. 2. de Vocalibus Raptis cap.14. 3. De Dages, Raphe, Mappik, & Puncto dextro ac ſiniſtro literæ Schin, cap.15. 4. De Accentuum apiculis, cap.16.

Nobis non eſt animus, omnia & ſingula ejus dicta examinare, & κτ πόδας veſtigiis ejus inſiſtere, ſed quantum fieri poterit hæc contrahere, & unico capite comprehendere. Omnia enim eódem fere recidunt, eodemq; nituntur fundamento; adeò ut longè paucioribus hic rem conficere potuiſſet. Sed hic fuit ejus campus, ubi ingenio ſuo indulgere, & ſine Hebræorum ope liberè philoſophari potuit.

Majoris autem perſpicuitatis gratiâ proponemus *primò* Summam Argumenti hujus in genere: *deinde* videbimus, quomodo evidentiam & veritatem illius per partes probet & demonſtret.

Argumenti Generalis ſumma huc redit;

Quæ Notæ eo demùm tempore ſunt Sacris libris additæ, cùm lingua Hebræa Judæis non ampliùs eſſet vernacula & familiaris, ſed barbara & peregrina; & in eorum gratiam, qui hujus linguæ eſſent planè rudes atque ignari: & ab iis, vel à talibus, qui non hoc ſpectarunt præcipuè, ut Lectorem prudentem, cordatum, ac linguæ peritum juvarent, quò minùs in locis & vocibus dubiæ & ambiguæ lectionis hæreret incertus; ſed qui ſibi propoſuerunt, minutiſſimas quaſq;, ſcrupuloſiſſimæ, moroſiſſimæ, imò dicam & ſuperſtitioſiſſimæ pronuntiationis atq; lectionis, minutias & aculeatas quiſquilias perſequi, & Lectori hujus linguæ ignaro hiſce apiculis

exhibere; ea notæ ſunt nec Moſis, neq; Eſræ tempore, ſed à Maſorethis demum Tiberienſibus 400. *aut* 500. *à Chriſto nato annis.*

Atqui hæ notæ pleraque ſunt tales, ut ex eorum uſu patet.

Ergo, &c.

Majoris propoſitionis conſequentia ſic probatur. Illi quibus Lingua Hebræa eſt vernacula, non opus habent in librorum Sacrorum lectione Punctorum & Accentuum apiculis, ſed ii duntaxat, quibus lingua Hebræa eſt barbara & peregrina.

Atqui nec Moſis nec Eſdræ temporibus lingua Hebræa erat Judæis barbara & peregrina, ſed adhuc vernacula & familiaris.

Ergo horum temporibus non ſunt inventa puncta.

Item; *Quod moroſitatem potiùs, ſcrupuloſitatem & ſuperſtitionem ſapit, quàm inſignem aliquam utilitatem & neceſſitatem, illud abſurdum & indecorum eſt vel Moſi vel Eſdræ adſcribere.*

At talis eſt ratio Punctorum & Accentuum, Ergo.

Minor principalis, & hujus ſyllogiſmi, mox probabitur per partes.

℞. Argumentum hoc quoque, uti & quædam alia, peculiare ac proprium eſt Revelatoris noſtri: nec enim quenquam alium, ſaltem qui ſit alicujus notæ, eo hactenus uſum arbitror. Non Elias, non Aben Eſra, Kimchi, Coſri, author libri Tzach Sephatájim, quorum cæteroquin teſtimoniis, poſt Eliam, ad ſuam ſententiam confirmandam uſus eſt; non alii, quod ego ſciam, hactenus eo ſunt uſi. Neminem ego Grammaticorum vidi aut legi, qui ita contemptim, ita abjectè de hac Punctorum & Accentuum invétione judicârit, ut eam maxima ex parte ſuperfluam, non-neceſſariam, inutilem, moroſam, ſcrupuloſam, ſuperſtitioſam, tanto cum ſupercilio pronuntiarit. At ubi æquis oculis & animis, nulloque præjudicio occuparis, rem introſpexerimus, longè aliter eam ſe habere deprehendemus.

Majoris propoſitionis probationem primam quod attinet, laborat in ea & Major, & Minor propoſitio.

In *Majori propoſitione* illud nequaquam ſimpliciter conceditur; *Illos, quibus lingua Hebræa eſt vernacula & familiaris, in librorum Sacrorum lectione non opus habere punctorum & accentuum apiculis.*

Diſtinguendæ hîc *Primùm* ſunt *Perſonæ.* Ut hoc de Viris ſingularibus, veluti Prophetis, aliiſque Divinis, & in Scriptura exercitatis,

tis, admitti poſſit; de omnibus tamen, omnis conditionis, ſexus & ætatis Judæis id minimè dari poteſt. Quis enim credat, omnes tam fuiſſe exercitatos, eruditos, ut ad hunc perfectionis gradum aſcenderint? Quod ſi Scriptura tantùm Sacerdotibus, Levitis, Prophetis, &c. legenda, & in horum ſolorum gratiam ſcriptis mandata fuiſſet, tùm fortè veri aliquam ſpeciem hoc haberet: Sed cùm eam Deus ab *univerſo Iſraele, à Populo toto, Viris, Mulieribus, Parvulis, Peregrinis & Proſelytis*, legi & intelligi voluerit, tale aliquod ſubſidium neceſſarium fuiſſe, admodùm certè eſt credibile & probabile. Nam, ex Prophetarum traditione & prælectione omnes accuratè memoriâ retinuiſſe, & retinere potuiſſe, quibus quæq; vox vocalibus ſit legenda, ubi pauſa & diſtinctio facienda, ubi ſermo continuandus, &c. ut facilè & ſine detrimento & periculo hujuſmodi ſubſidiis carere potuerint, quis credat? cui fiat veriſimile?

Deinde diſtinguenda etiam ſunt *Tempora*. Quæ ſcriptis mandantur, illa non ſolùm propter præſentes, ſed etiam, & quidem maximè, propter poſteritatem ſcriptis mandari ſolent, ut & ad illam ea incorrupta perveniant ac tranſmittantur. Cum temporibus autem etiam homines, ſcientiæ, artes, linguæ, varias mutationes ſubeunt & experiuntur. Utut itaque iis, qui primis Moſis & Prophetarum temporibus vixerunt, non uſque adeò his ſubſidiis fuiſſet opus; tamen opus fuiſſet propter tempora ſequutura, & venturam poſteritatem, apud quam Prophetia erat ceſſatura, & doctrina cæleſtis peſſum itura.

Tertiò diſtinguenda ſunt *Scripta*. Utut in Scriptis communibus, & prophanis ſeu humanis non uſque adeò neceſſe ſit Punctorum ſubſidium; minimè tamen inde ſequitur, eandem quoque eſſe rationem lectionis in libris Sacris & Divinis, de quibus præcipua, imò ſola hîc eſt quæſtio. Et falſa eſt hypotheſis, Illum, qui ſcripta humana & prophana ſine punctis poteſt legere, poſſe libros Sacros pariter ſine eo ſubſidio legere & intelligere.

Alius eſt Stylus in libris Humanis, alius in Divinis.

Alius eſt ſtylus hodierni temporis, qui nobis facilior; alius temporum priſcorum, qui nobis non amplius ita tritus & familiaris.

Alias res etiam tractant Scripta Humana, alias Divina: alius etiam utrobique tractandi Modus. Facilius eſt legere ſcripta humana, quia res nobis plerunque notæ, quàm Divina, &c.

In ſcriptis humanis, ſi à ſcriptoris mente & ſcopo aberremus, non adeò magno id conjunctum eſt cum periculo vel peccato. At in ſcriptis Divinis non ſic peccare & aberrare licet.

Hodiè rationem legendi abſque punctis facilem & familiarem nobis reddimus inde, quòd priùs cum punctis rationem legendi addiſcamus;

Hodiè in libris, qui ſine punctis ſcribuntur & eduntur, in ſubſidium ubique adhibentur אמות הקריאה *Matres lectionis*, h.e. tres Literæ אוי, ut vicem vocalium ſubeant. At in Bibliis non ea eſt ratio. Rarò illic adhibentur. Et conſtans eſt Hebræorum traditio, ſic ſemper, nec pluribus, nec paucioribus literis Legem ſcriptam fuiſſe. De hoc verò alibi iterum dicetur.

In *Minore* propoſitione, quæ hæc, *Tàm Moſis, quàm Eſræ temporibus, linguam Hebræam Judæis adhuc fuiſſe vernaculam, neque barbaram aut peregrinam*; *primò* committitur Fallacia Compoſitionis ac Diviſionis.

Conjungit enim diverſa tempora, tanquam paria, cùm diſpar ſit illorum ratio. Conjungit Moſis & Eſdræ tempora, quæ ſunt disjungenda.

Deinde committitur Fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter. De Moſis tempore conceditur, Linguam Hebræam Judæis fuiſſe familiarem & vernaculam, nec ullo modo barbaram aut peregrinam: De Eſræ ſæculo illud minimè eſt verum ſimpliciter & abſolutè. Nam poſt reditum Judæorum ex Captivitate Babylonica, Lingua Hebræa non ampliùs erat omnibus vernacula & familiaris. Talis erat iis, qui ex Judæa in Babylonem abducti antea fuerant; non item iis, qui in Babel erant iis 70. annis nati & educati. His enim Babylonica potiùs lingua erat vernacula, cui à teneris aſſueſcebant. Quin & iis ipſis, quibus erat vernacula, tamen non ampliùs ita ut antea, erat familiaris: quia antea eam ſolam callebant, poſtea in Babylone aliam quoque addiſcebant: unde non ſolùm hoc factum, ut Linguam Sanctam non ampliùs ut priùs excolerent, ſed eam paulatim corrumperent, adulterarent, ejusque deſueſcerent.

Meminerit Revelator, ejus quod ipſemet in Arcano ſuo ſcripſit cap. 6. §. 4. *Judæos autem*, inquit, *qui ad captivitatem uſq; Babylonicam iiſdem uſi fuerunt literis, in captivitate, uti propria lingua paulatim*

tum ita capit oblivio, ut ſaltem minùs familiaris inter eos (in vulgo maximè) ea eſſe cæperit, contraq; Chaldaica evaſerit illis quaſi vernacula (quod ſolet uſuvenire in diuturniori exilio): ſic etiam propriorum Characterum veluti obliti, Chaldaicis aſſuefacti ſunt. Et in Diatriba ſua de Literis Hebræorum p.80. *Non debere mirum cuiquam videri dixi, quòd Hieronymus diceret, & à Judaicis ſuis Doctoribus didiciſſet, Eſrami literas Chaldaicas Judæis dediſſe, iiſq; Legem Judæorum deſcripſiſſe; quia nimirum in Captivitate propria & vernacula lingua penè erant* (NB) *obliti, maximè verò vulgus, & Chaldæorum ut lingua, ſic & character ipſis familiaris evaſerat.* Sic p.88. 91. & 92. *An de deferenda,* inquit, *lingua Chaldaica cogitationem ſuſceperunt* (Judæi è Babylone Hieroſolymam reverſi) *cùm in ea magis magiſq; paulatim lapſu temporis confirmati manifeſtò ſint, adeoq; magis magiſq; indies inter eos corrupta evaſerit lingua eorum vernacula, &c.* Mirum itaque, quomodo nunc Eſdræ tempore linguam Hebræam inter Judæos univerſaliter faciat vernaculam & familiarem, ut ſubſidiis legendi uſque ad tempora Maſoretharum carere potuerint. Idem agnoſcit Elias, Patriarcha Novatorum ipſe, ſic in præfatione libri Meturgeman ſcribens: וּכְשֶׁגָּלוּ מֵאַדְמָתָם וּבָאוּ לְבָבֶל שָׁכְחוּ הַלָּשׁוֹן מִכֹּל וְכֹל כְּכָתוּב בספר נְחֶמְיָה *Cùm deportati eſſent Judæi de terra ſua, & veniſſent in Babel, penitùs obliti ſunt lingua ſua, ſicut ſcriptum eſt in libro Nehemiæ.*

Quinimò non ſolùm Linguæ, ſed & Legis ex parte obliviſcebantur, uti conſtat ex 2.Paral.17. ubi legimus, quòd *Joſaphat miſerit in civitates Jehudæ Principes quoſdam, & cum eis Levitas, qui ſecum deferebant librum Legis, & per univerſas urbes Jehudæ circuibant & populum docebant.* Hinc & in Babylonica captivitate cepit, & poſt eam continuavit quoque inter Judæos uſus, Legem Moſis Chaldaicè legendi & interpretandi. Et poſt Babylonicam captivitatem ſtatim lingua Hebræa nunquam amplius erat Judæis vernacula, ſed Babylonica, etiam poſtquam in terram ſuam reverſi eſſent. Vide quæ hac de re ſcripſimus in Diſſert. noſtra de Linguæ Hebrææ Conſervatione & Propagatione.

Malè itaque concluditur, tempore Eſdræ Judæis non opus fuiſſe punctorum ſubſidio, & per conſequens, eo ſæculo non inventa fuiſſe puncta & accentus.

Quin potiùs ego hinc contrà infero; *Si probabile ſit, eo tempore inventa fuiſſe puncta, quo Lingua Hebræa Judæis non amplius erat familiaris*

miliaris

miliaris & vernacula, imò quo illius penitùs & omninò ſunt obliti, ut Elias ſcribit, tùm certè admodum veroſimile eſt; aut ſaltem non abſurdum & improbabile, Eſdræ tempore illa inventa eſſe.

Atqui prius eſt ex mente Revelatoris. Ergo & poſterius.

Ratio conſequentiæ eſt; quia Eſræ tempore Lingua Hebræa deſiit Judæis eſſe vernacula, adeò ut plurimi neſcirent loqui Judaicè, & peregrinas linguas loquerentur, Neh. 13. v. 23. 24. Et certè longè probabilius eſt, ſtatim ab initio hujus mutationis, & viventibus adhuc Prophetis, huic incommodo, Divinâ providentiâ, ſubventum eſſe, quàm ſeris adeò ſæculis. Nec ſcio, quare potiùs ad illa ultima tempora, quàm ad prima, hujus ſubſidii inventum ſit referendum.

Secundam probationem Majoris propoſitionis principalis ſyllogiſmi quod attinet; negamus, *ſine ulla neceſsitate & utilitate magnam partem apiculorum horum excogitatam eſſe, & meram inventorum ſapere moroſitatem, ſcrupuloſitatem, & ſuperſtitionem.*

Videndum itaque, quomodo hanc, & ſimul Minorem ſyllogiſmi principalis propoſitionem, probet Revelator.

Facit hoc per partes; De Vocalibus; & quidem tam Longis & Brevibus, quàm Raptis, ſive Breviſsimis: De Dageſch, Raphe & Mappik: & poſtremò de Accentibus.

I. *DE VOCALIBUS LONGIS ET BREVIBUS.*

Ex Vocalium Hebraicarum Numero & Munere, ſic inſtitutum ſuum probat Revelator:

Cujus nulla dari poteſt juſta cauſa & ratio, id ſine neceſsitate, ex mera moroſitate, ſcrupuloſitate & ſuperſtitione eſt excogitatum, & nequit Moſis aut Eſdræ vel Temporibus vel Perſonis adſcribi.

Atqui, cùm in omnibus aliis linguis quinq; duntaxat Vocales, in Hebræa verò linguâ jam ſint 13. aut 14. ejus nulla dari poteſt cauſa & ratio ſufficiens.

Ergo ſine ulla neceſsitate, ex mera ſcribarum moroſitate, ſcrupuloſitate, & ſuperſtitione id eſt factum, & per conſequens nequaquam Moſis & Eſdræ temporibus, vel perſonæ congruit; ſed Maſorethis Tiberienſibus adſcribendum.

℟. *Major* in hoc Argumento licet præteriri poſsit; tamen hoc

in ea

in ea notandum, eam non ſimpliciter eſſe veram, niſi ita limitetur & reſtringatur; *Cujus planè nulla eſt cauſa & ratio*, vel, *Quod ſimpliciter & abſolutè ſine cauſa factum, id &c.* Nam multa ſunt, quæ cauſas & rationes ſuas habent, quas tamen nos ignoramus, nec reddere poſſumus. Multarum rerum antiquarum uſus hodiè ignoratur: nec tamen inde inferre poſſumus, illas ſine ratione fuiſſe inventas, aut nullum illarum fuiſſe vel eſſe uſum.

Sed videamus Minoris Propoſitionis Probationem, quæ huc redit:

Si propter cauſam hæc multiplicatio apiculorum facta eſt, tum id factum erit vel propter Quantitatem, ut aliæ ſint Vocales Longæ, aliæ Breves; aut propter Qualitatem ſoni, quòd geminus ſit uniuſcujuſq; Vocalis diſtinctus ſonus.

Atqui neutra harum cauſarum eſt legitima & ſufficiens.

Non Quantitas: *quia multis rationibus oſtendi poteſt, non eò inſervire hanc Vocalium multiplicationem, & duplicationem vel triplicationem.*

Non Qualitas ſoni: *quia licet daretur, uniuſcujuſq; Vocalis eſſe geminum ſonum, tamen non neceſſe fuiſſet geminam unicuiq; aſſignare figuram. Germani, Galli, Angli, bifariam nonnullas Vocales efferunt, non tamen geminas habent illarum figuras. Cur itaq; lingua Hebræa id haberet? quidni par ſit ratio apud Hebræos?*

℟. Hæc ferè, ni fallor, eſt ſumma hujus Argumenti, quo plures implet paginas Revelator. Videamus quàm ſolidè.

I. Prolixus eſt inprimis in demonſtranda *primâ hujus dilemmatis parte*, quòd licet à Grammaticis aliæ Vocales appellentur Longæ, aliæ Breves; tamen id nequaquam eo reſpectu fiat, aut fieri potuerit, quòd naturâ ſuâ, vel proſodiæ ratione, aliæ Longæ ſint, & ſyllabam longam; aliæ Breves, vel Syllabam brevem conſtituant: ſed aliam ob cauſam. Quæ omnia hìc vel repetere, vel examinare nolumus: quia nihil ad cauſam præſentem faciunt, neque nos iſtâ exceptione utimur, vel utendum judicamus.

Nam Diſtinctio hæc vocalium in Longas & Breves non eſt Hebræorum, ſed Grammaticorum Chriſtianorum, qui hanc Diſtinctionem invexerunt, vel ex imitatione recentiorum Grammaticorum Hebræorum, qui Vocales dividunt in גדולות *Magnas*, & קטנות *Parvas*: vel reſpectu Soni potiùs, quàm Quantitatis poëticæ, ſeu dimenſionis ſyllabarum in Carminibus. Nam cùm ſyl-

laba in vocali longâ terminatur, vel cùm poſt vocalem litera quieſcens ſequitur, illa vocalis ſemper latiore & productiore ſono effertur, quàm Vocalis ſyllabam inchoans, & ſequentem conſonantem ſibi adjungens.

Vocales ab Hebræis appellantur תנועות *Motiones*, à Poteſtate: quia Literas per pronunciationem movent, vel, ut Kimchi in Michlol fol. 186. ſcribit, כי לא יוכל אדם להניע אות מבלי ה׳ התנועות *quia non poteſt homo movére literam ullam ſine quinque iſtis motionibus*, (a, e, i, o, u,) Omnis enim ſonus compoſitus eſt ex Conſona & Vocali. Et in libro לוית חן *Lif jas chen* ſcribitur: והנקודה תקרא תנועה לפי שהיא סבה תנועת האות כי האות דומה לגוף והתנועה לנפש h. e. *Punctum vocatur* תנועה Motio, *quia eſt cauſa motionis literæ ſeu conſonantis: quia Litera ſimilis eſt Corpori, & Vocalis Animæ*. Appellantur etiam ab aliis Grammaticis רשמים *Signa*, *Notæ*; להיותם רשם וסימן לאותה תנועה *quòd ſint Notæ & ſignum iſtius motionis:* Sic apud Ephodeum cap. 5. ubi etiam ſeipſum explicat, & dicit, ſe per רשמים intelligere רשמי הנקוד אשר יקראום קצת המדקדקים תנועות *Notas punctationis, quas quidam Grammatici vocant Motiones*. Vocantur etiam מלכים *Reges*, להיותם מושלים על האותיות להניעם כרצונם כמלך על עבדיו *quòd dominentur ſuper literas, pro arbitrio ſuo movendo eas, ſicut Rex ſuper ſervos ſuos*, quemadmodum iterum ſcribitur in לוית חן. Et ſic Veteres & primi Grammatici vocarunt generaliter omnes Vocales, tam Longas, quàm Breves; (Schevâ excepto, quod impropriè Vocalis dicitur) & numerabantur ab eis Septem, quæ שבעה מלכים *Septem Reges* dicebantur, item שבעה הברות *Septem ſoni*, שבעה קולות *Septem voces* (i. e. אותיות קוליות *Literæ vocales*) quæ erant *Kametz*, *Tzere*, *Chirek*, *Cholem*, *Schurek*, *Pathach*, *Segol*. Hi ſub *Kametz* comprehenderunt etiam *Kametz chatuph ſive breve*, quia eadem utplurimùm figurâ ſcribitur: ſub *Chirek*, utrumq; I, longum & breve: ſub *Schurek*, utrumque U, nempe *Schurek longum*, & *Schurek kâtou* ſive breve, id eſt, *Kibbutz*. De horum *Septem Regum* laudibus & utilitatibus agit R. Jehudah, primus Hebræorum Grammaticus, in ſuo libro, notante R. Jehudah Muſcato in Comment. libri Coſri par. 2. §. 80. fol. 127. col. 2. De his intelligendum ſcribit R. Bechaj in Legem fol. 26. col. 3. ſecundum ſenſum literalem, dictum illud vetus Cabaliſtarum: בשבעה קולות נתנה התורה *Cum ſeptem*

vocibus

vocibus (i.e. Vocalibus) *data eſt Lex.* Ad hoc accommodant etiam illud Salomonis Prov.9.v.1. חָצְבָה עַמּוּדֶיהָ שִׁבְעָה *Excidit* (Sapientia) *columnas ejus ſeptem*; eò quod hæ ſeptem Vocales ſint Columnæ, אֲשֶׁר כָּל הַבַּיִת נָכוֹן עֲלֵיהֶן *Super quibus rectè conſiſtit tota domus* (*Scriptura Sacra*). His veſtigiis inſiſtit quoque Aben Eſra in libro *Tzachúth*, & הוד מַלְכוּת נָתַן עַל שֶׁבַע הַתְּנוּעוֹת הַנִּזְכָּרוֹת *decorem regni attribuit Septem iſtis Vocalibus commemoratis*: ac ulteriùs illas divisit in נִפְרָדִים h.e. *Simplices*, & מֻרְכָּבִים *Compoſitas*. נִפְרָדִים *Simplices* facit tres, *Cholem*, *Chirek*, & *Pathach magnum*: מֻרְכָּבִים *Compoſitas* ex his, reliquas quatuor; Oſtendens inſuper, quomodo hæ ex primis ſint compoſitæ. Videat, qui volet. Et hinc dicit Coſri, Reges iſtos Septem ad tres Simplices poſſe reduci, ut ſuprà viſum cap. præc.

Ita ergo Veteres iſti & Primi Grammatici nullam diſtinctionem adhibebant inter Vocales propriè ſic dictas. Ab illis autem ſegregabant *Schevæ*, quod vocarunt עֶבֶד *Servum*, vel עֶבֶד עֲבָדִים *Servum ſervorum*; מִפְּנֵי שֶׁהִיא עוֹבֶדֶת לְכָל הַנְּקוּדוֹת *quia inſervit omnibus punctis*, in *Arugas habbóſem* fol.11. col.2.

Poſteriores verò Grammatici accuratiùs iſta diſtinxerunt, & vocarunt Vocales alias גְּדוֹלוֹת *Magnas*, alias קטנות *Parvas*.

Magnæ vocales ipſis ſunt *Cholem*, *Schurek*, *Chirek cum Jod*, *Tzere*, *Kametz*. Hæ à nonnullis appellabantur etiam מְלָכִים *Reges*, vel ἐξοχὴν, quaſi רָאשִׁיּוֹת *Principales & primariæ*, ut R. Muſcatus loquitur.

Parvæ ſunt *Pathach*, *Kametz chatuph*, *Kibbutz*, *Chirek ſine Jod*, & *Sagol*. Hæ vocabantur etiam à quibuſdam משרתים *Miniſtri*, quaſi *Secundariæ* & *Vicariæ* principalium.

Ab aliis *Magnæ* etiam vocantur אִמּוֹת *Matres*: & *Parvæ* בָּנוֹת *Filiæ*, *Proles illarum*; quòd brevium ſonus exilior, ex longis ceu matribus generetur. Hinc ſcribitur in לוית חן lib.2.cap.1. וְהַקְּטַנּוֹת הֵן בָּנוֹת לִגְדוֹלוֹת וּמְשָׁרְתוֹת לָהֶן שֶׁבִּמְקוֹמוֹת שֶׁלֹּא תוּכַל לָבוֹא תְנוּעָה גְדוֹלָה בְּסִבַּת דָּגֵשׁ אוֹ שְׁוָא נָח הִצְרִיךְ לָבוֹא שָׁם תָּבוֹא תנוּעָה קְטַנָּה הַמִּתְנוֹעַעַת תְּנוּעָה קְצָרָה בִּמְקוֹמָהּ וכו׳ h.e. *Parvæ vocales ſunt* (velut) *Filiæ magnarum*, *& famulantes eis: nam ubi locum non habet Vocalis magna, ob ſequens Dageſch, aut Scheva quieſcens, ibi in ejus locum fuit ſubſtituenda Vocalis parva, prolata motione breviore, &c.* R.D.Kimchi in Michlol fol.186. ſcribit, *Vocales Parvas* ideò ſic dici, *quòd motio*

ſeu prolatio illarum ſit קְטַנָּה וּשְׁפָלָה מֵהָאִמּוֹת *minor & humilior quàm matrum.* Hujus locus integer mox producetur.

Diviſionem hanc quoque approbat R. Moſes Kimchi, & ipſe Elias in Notis ad illius Grammaticam, hanc reddentes appellationis hujus rationem, כִּי אַחֲרֵי הַתְּנוּעָה הַגְּדוֹלָה נָח נִסְתָּר ולכן תִּגָּדֵל הַתְּנוּעָה. הַקּוֹדֶמֶת אֶל. הַנָּח כִּי צָרִיךְ לְהַעֲמִיד בָּהּ. כדי לְהוֹרוֹת עַל הַנָּח שֶׁאֵינוֹ נִרְאֶה בְּדֶרֶךְ אַחֶרֶת וכו' *quòd poſt Vocalem magnam ſemper ſit quieſcens* (litera) *abſcondita, ac proinde magnificetur* (producatur) *vocalis praecedens* (literam) *quieſcentem: neceſſe enim eſt, ut illic parum ſubſiſtatur, ad docendum de litera quieſcente, quae aliter videri ſive cognoſci non poteſt. Sic dicunt, Kametz parvum indicare Jod quieſcens, &c.*

Sed Abraham de Balmes improbat hanc diviſionem c.3. Grammatici ſui operis, ſcribens: אַךְ אָמְנָם לא נִרְאֶה לִי לְחַלֵּק הַתְּנוּעוֹת עַל פִּי הַכַּת הַזֹּאת. כִּי לֹא יָדַעְתִּי טַעַם. מְשִׁיכַת הַהֵ"א אֶל הַקָּמֵץ וְלֹא אֶל הַפַּתָּח ואם כן מִי הִגְדִּיל הַקָּמֵץ יותר מִן הַפַּתָּח וְהִנֵּה. הַפַּתָּח נִרְחָב יותר וְלָכֵן נִרְאִין דִּבְרֵי הַכַּת הָרִאשׁוֹנָה אֲשֶׁר רֹאשָׁהּ הָרַב ר' יְהוּדָה חַיּוּג שֶׁהוּא. ראש הַמְּדַקְדְּקִים והרא"ע שֶׁשָּׂמוּ הַמְּלָכִים הַשִּׁבְעָה הַנִּזְכָּרִים לְמַעְלָה וכו' hoc eſt, *Veruntamen mihi non videntur Vocales diſtinguendae ſecundum mentem ſectae iſtius: quia neſcio quare magis* ה *ad Kametz protrahatur, quàm ad Pathach, ac proinde neſcio, quare Kametz magnum dici debeat prae Pathach; quinimò Pathach magis latum eſt. Rectiora itaque videntur mihi verba ſectae primae, cujus capita ſunt, R. Jehuda Chijug, princeps Grammaticorum, & R. Abraham Aben Eſra, qui poſuerunt ſeptem Reges ſuprà commemoratos, &c.*

Scheva quod attinet, tam Simplex, quàm Compoſitum, ei *Vocalis* nomen impropriè tribui ſcribunt omnes, nec ullam ei quantitatem attribuunt, niſi quòd ubique rapidiſsimè & celerrimè pronuntiandum ſcribunt.

Haec verò omnia quorſum? 1. Eò ut appareat, fruſtra Revelatorem hîc in diſtinctione iſtâ Vocalium in Longas & Breves refutandâ ſudaſſe; cùm ea non ſit Hebraeorum, ſed Grammaticorum Chriſtianorum; neque etiam ab his eo ſenſu, quem ipſe ſibi refutandum ſuſcepit, uſurpata: neq; deniq; nos, in reſponſione ad hoc argumentum, ad exceptionem iſtam confugiendum exiſtimemus. De iſta verò Quaeſtione; *An Hebraei olim quoq, quantitatem ſyllabarum, & longas breveſq, habuerint?* alibi fortaſsis adhuc dicendi dabitur locus. 2. Ideò etiam ex Hebraeis iſta protulimus, ut appareat, quam illi

illi Diſtinctionis hujus in *Magnas* & *Parvas* reddant rationem; longè videlicet aliam, quàm Revelator, qui ſcribit; Magnæ *autem à Grammaticis Judæis dictæ videntur Vocales iſtæ; non quia eas putabant eſſe duorum temporum: ſic enim* Pathach &c. *dixiſſent etiam* Magnas, *quando eadem eſt illarum omnium decem ratio & menſura in carminibus Hebraicis; ſed* Magnas *illas dixerunt, tum quòd primæ eſſent à Maſorethis excogitatæ ad lectionem juvandam, quòdq; earum ſingularis ſit & multiplex in Grammatica Hebraica uſus atq; munus, quo nomine reliquis ſunt veluti nobiliores.* Parvæ *verò aliæ dictæ videntur, tùm quòd earum non tantus eſt, tamq; illuſtris, quàm eſt aliarum uſus, tum etiam, quòd poſt Magnas inventæ; atq; illis ſuperadditæ videntur à ſequentibus Maſoræ Magiſtris, qui priorum veſtigia ſecuti, has Vocales, quæ* Parvæ *ſeu* Breves *dicuntur, prioribus Magnis ſuperaddiderunt: vel fortè* Magnæ *dictæ ſunt illæ, quòd ſolæ ſufficiant ad ſyllabæ conſtitutionem cum ſuperſcripta conſonâ:* Parvæ *autem aliæ ſunt dictæ, quòd ſyllabam nunquam cum ſuperſcriptâ conſona conſtituant, niſi adjunctum habeant accentum: ſed duas ſuperſcriptas conjungant conſonas in ſyllabâ, copulæ ſive vinculi vice hac in parte fungentes.* Hæc omnia mera ſunt Revelatoris noſtri ſomnia, & gratis ab eo, ſine Hebræorum ſuffragatione excogitata, ut in ſeqq. adhuc fuſiùs videbimus.

Quod ſi hæc diſtinctionis hujus ſubeſt ratio, quæ quæſo dari poterit ratio, quòd Punctatores, & quidem ſine dubio primi, *Pathach* mutarint in *Kametz*, ſyllabâ in accentum pauſantem, ubi mora facienda, incidente? cur ablato accentu, ubi ſyllaba corripienda, veluti ante Makkaph, *Tzere* mutarunt in *Segol*, & *Cholem* in *Kametz-chatuph*, & viciſsim? Si nulla vel quantitatis vel qualitatis ſoni eſt differentia, unde & cur quæſo hæ mutationes factæ? Sanè vel ex hac unica conſideratione mihi videtur firmiſsimè concludi poſſe, ſingulárem aliquam ac notabilem eſſe oportere, inter geminas has unius & ejuſdem vocalis notas, differentiam, & quidem vel quantitatis, vel qualitatis, vel utriuſq; reſpectu; quantitatis ſi non metricæ & poëticæ, ſaltem temporis, quâ una ſyllaba in pronunciando aliâ longiùs produci ſolet.

II. Accedamus ergo nunc ad conſiderationem *Secundæ partis hujus Dilemmatis*, quâ dicit; *Tot Vocalium figuras non eſſe excogitatas propter geminum ſonum cujuſque ex quinque Vocalibus.* Quare? *Quia non fuit neceſſarium ſic facere, & propter geminum ſonum, geminas*

quoque figuras excogitare. Qui verò hoc? *Quia & Germani, & Galli, & Angli, geminos habent Vocalium ſonos, non tamen geminas & diſtinctas figuras. Ergo par decet ut ſit ratio apud Hebræos.*

℞. Sed & argumentum hoc mihi valdè videtur infirmum, & ejus probatio.

Primò negat, *unamquamq; Vocalem geminum habere ſonum*; ita tamen, ut dicat, *utut nonnullis geminus attribui poſſit ſonus, omnibus tamen & ſingulis quinque naturalibus Vocalibus A. E. I. O. V. vix ac ne vix quidem poſſe geminum ſonum aſſignari, qualitate diſtinctum, quin nonnulli coincidant confundanturq;, &c.* Mox verò ſe revocans, dat, *geminum eſſe unicuique Vocali ſonum; negat autem, inde ſequi, neceſſarium fuiſſe, geminam unicuique aſſignare figuram.*

Hoc quod attinet, non negant Hebræi, Quinque duntaxat eſſe Vocales principales, & primas; volunt tamen, ut ſuprà jam ex parte vidimus, quamque harum, aliam quoque habere & parere Filiam, ei analogam, & ſono, non quidem totaliter & inſigniter, ſed aliquo modo, diſtinctam, & hanc differentiam in cauſſa eſſe, cur geminæ in lingua Hebræa ſint, non quidem Vocales, ſed Vocalium figuræ.

Hinc ſcribit R. D. Kimchi in Michlol fol. 186. col. 2. דע כי התנועות הם חמש כי לא יוכל אדם להניע אות מבלי ה' התנועות. הראשונה אה ושמה קמץ גדול, השנית אי ושמה צרי ונקראת גם כן קמץ קטן לפי שעלתה כעילת הקמץ לבוא אחריה נח ובמקומות רבים תבוא זו תחת זו, השלישית או ושמה חולם, הרביעית או ושמה שורק. החמישית אי ושמה חירק, אלה הם חמש התנועות הגדולות, ויש להן חמש בנות כנגדן ותנועתן קטנה ושפלה מהאמות והן את ושמה פתח גדול והיא כתנועת הקמץ אלא שהיא שפלה ממנה, אי ושמה סגול והיא כתנועת הצרי אלא שהיא שפלה ממנה וכו' h. e. *Scito, quòd Vocales ſint quinq;: nullam enim poteſt homo movere literam ſine quinq; iſtis Vocalibus: Prima eſt A, & vocatur Kámetz gádol: Secunda E, & vocatur Tzére, item Kametz Káton; eò quòd eadem propemodum ſit ejus ratio quæ τῶ Kametz, ut nempe poſt ſe habeat literam quieſcentem, unde in multis locis una ponitur pro alia: Tertia O, & nomen ejus Chólem: Quarta V, & vocatur Schúreck: Quinta I, & vocatur Chíreck. Hæ ſunt quinque Vocales magnæ: & habent quinq; filias eis analogicè reſpondentes, quarum motio ſeu prolatio minor & humilior eſt, quam matrum, quæ ſunt; A, Pathach gadol, cujus mo-*

jus motio ſimilis eſt τῷ Kametz, ſed eſt humilior: E Segol, cujus motio reſpondet τῷ Tzere, ſed humilior, &c. ſimiliter de reliquis.

In eundem ſenſum ſcribit R. Moſes Kimchi in ſua Grammaticâ, in שַׁעַר הַנִּקּוּד; *ſingulis quinque Vocalibus magnis, h.e. principalibus, reſpondere totidem parvas.* Sic alii.

Sic Chriſtiani Grammatici diverſitatem ac diſtinctionem hanc gemini Vocalium ſoni agnovére: nec, quod ſciam, inventus, qui hîc de moroſitate Judæorum ſit conqueſtus, ut fruſtrà tot doctiſſimis viris ſe opponere ſatagat Revelator, inter quos nonnulli ſunt, quorum, circa linguæ Hebrææ peritiam, minimus digitus craſſior fuit lumbis ipſius. Et poſſemus nos quoque hîc prolixi eſſe ad hoc demonſtrandum; quia verò id jam à Grammaticis quibuſdam abundè factum eſt, & Revelator ipſe non omninò id negat, ſed tandem largitur, nolumus nos hîc largiùs extendere.

Ac licet differentia illa non ſit adeò magna & ſenſibilis circa omnes & ſingulas Vocales, eſt tamen aliqua, ſi quis diligenter attendat.

Licet etiam nos hodiè differentias illas omnes & ſingulas non accuratè obſervemus, aut animadvertere poſſimus; non ſtatim tamen ſequitur, olim quoque apud Iſraëlitas, & eos qui accurati erant circa linguam, ita fuiſſe. Judæi hodiè confundunt ע & א, an propterea olim quoque ita fuit? In Talmud Eruvin fol.53.2. laudantur incolæ Judææ, quòd præ aliis potuerint has duas literas pronunciando diſtinguere, inter מאברין & מעברין, inter אמר & עמר. Judæi non amplius norunt diſtinguere omnes & ſingulas literas Raphatas & Dageſſatas, veluti inter ג Dageſſatum & Raphe, inter ד Raphatum & Dageſſatum, &c. & tamen, ut poſtea videbimus, duplicem & diſtinctam pronunciationem iſtæ literæ habuerunt. Quidni etiam aliter fuerit olim circa pronuntiationem Vocalium?

Hinc conqueruntur paſſim Hebræi de corruptâ & amiſsâ verâ & genuinâ pronunciatione, non tantùm Literarum, ſed & Vocalium Hebraicarum. Sic enim ſcribit Ephodeus cap.32. לא תַחְשׁוֹב כִּי אֲנַחְנוּ הַיּוֹם בְּקִיאִים בִּקְרִיאַת הַכָּתוּב וּבִתְנוּעוֹת הָאוֹתִיּוֹת עַל הַדֶּרֶךְ שֶׁהָיָה אֵצֶל הַקּוֹדְמִים מֵאַנְשֵׁי הַלָּשׁוֹן הָעִבְרִי אֲבָל כְּמוֹ שֶׁחִיֵּב גָּלוּת הָאֻמָּה וּטִלְטוּלָהּ וְהִתְעָרְבָהּ בַּגּוֹיִם קְצוּרָהּ בִּידִיעַת שָׁרְשֵׁי הַלָּשׁוֹן הַזֹּאת וּסְדָרָיו וְאוֹפַנָּיו כְּפִי שֶׁהֵם וְהֶעְלֵם הַרְבֵּה מִגִּזְרַת הַשֵּׁמוֹת וְהַפְּעָלִים כְּמוֹ:

כְּמוֹ שֶׁהִתְבָּאֵר כֵּן הָעִנְיָן הַזֶּה בְּעַצְמוֹ חִיֵּב קִצּוּרֵנוּ בִּידִיעַת אֲמִתַּת הַקְּרִיאָה וְהוֹצָאַת קוֹלוֹת הָאוֹתִיּוֹת וכו׳ hoc eſt, *Non eſt quòd exiſtimes, nos hodiè peritos eſſe in lectione Scripturæ, & pronunciatione literarum, qualis fuit apud antiquos Hebræos: ſed quemadmodum captivitates & exilia populi noſtri, eorumq́ cum gentibus commixtio, cauſſata ſunt magnam ignorantiam multarum radicum, modorum, ac proprietatum linguæ hujus, oblivionem item multarum derivationum & originum, tam nominum quàm verborum, quemadmodum ſuperiùs explicatum eſt: eadem prorſus ratione induxit hæc res magnam imperfectionem & ignorantiam veræ pronunciationis antiquæ, ac prolationis poteſtatisq́ literarum. Sic ſcribit Rabbi Jona*, quòd Reſch peculiares habuerit proprietates, quarum gnari erant Tiberienſes. *Et exiſtimo ego, quòd eodem modo fuerit apud antiquos differentia quædam inter ſonum* Samech, Tzade, & Sin; *aliter legebant* סורר Pervertit, Thren. 3. 11. *aliter* שׂוֹרֵר Principatum tenens, Eſth. 1. 22. *aliter* צורר Hoſtis, Eſth. 3. 10. *Sic erat differentia inter* Koph, *&* Kaph Dageſſatum: *inter* Vau *&* Beth raphatum. *Hoc veriſſimum eſt, nos non ampliùs poſſe eam pronuntiationem aſſequi, & corruptam eam eſſe: nec ſpes eſt, eam reſtitutum iri, antequam veniat nobis Doctor ille juſtitiæ* (Meſſias), *juxta promiſſionem*; Lingua balborum feſtinabit loqui nitida, Jeſa. 32. 4 וְלָכֵן אַנִּיחַ הָעֵסֶק בָּזֶה: ונדבר בקצור אֲשֶׁר לָנוּ בִּקְרִיאָה מִצַּד הֶעְלֵם אוֹפַנֵּי שִׁפּוּט הַנִּקּוּד וְיִרְאֶה כִּי קְרִיאַת הַשְּׁוָא אֵינָהּ הַיּוֹם עַל דֶּרֶךְ שֶׁהָיְתָה אֵצֶל הָרִאשׁוֹנִים וכו׳ *Ideoq́ nolo me nunc in re iſta defatigare: ſed agemus de imperfectione noſtra circa Lectionem & pronuntiationem Punctorum vocalium. Hîc videtur, quod lectio τοῦ Scheva hodiè non ſit amplius ea quæ fuit apud priſcos, &c.* Et mox: וּמָה שֶּׁהוּא יוֹתֵר נֶעְלָם הוּא קְרִיאַת הַקָּמֶץ כִּי אֵין לָנוּ דֶּרֶךְ יָדַע מִמֶּנָּה מָתַי יִקָּרֵא חָטוּף וּמָתַי לֹא כִּי נִקּוּד זָכְרָה יְרוּשָׁלַםִ. וּנִקּוּד זָכְרָה לִּי אֱלֹהַי שָׁוֶה וְכֵן נָקוּד שָׁמְרָה זֹּאת לְיֵצֶר מַחְשְׁבוֹת וְנִקּוּד וְעֵין נוֹאֵף שָׁמְרָה נֶשֶׁף וכאֵלֶּה רַבִּים אֲשֶׁר הֶחָטוּף וּבִלְתִּי חָטוּף שָׁוִים בְּנִקּוּד וְעַל כָּרְחֵנוּ צְרִיכִים אֲנַחְנוּ בָּהֶם לְקַבָּלָה וְלָמָּה שֶׁהֵעִידוּ בַּעֲלֵי הַמַּסֹּרָה מִזֶּה: *Quod verò magis occultum eſt, eſt Lectio τοῦ Kametz: nullam enim habemus viam, quâ certò poſſimus cognoſcere, quando ſit raptum, aut quando non: nam punctatio* זָכְרָה ירושלם Sáchera *Recordata eſt Jeruſalem*, Thren. 1. 7. *& punctatio* זָכְרָה לי אלהי Sóchra *Recordare mei Deus mi*, *Neh.* 5. 19. *utrobique æqualis eſt: Sic; punctatio* שָׁמְרָה זאת Schomrah *Cuſtodi hoc in ſeculum, imaginationem cogitationum cordis*, 1. *Paralip.* 20. 18. *& punctatio*

עין

עין נואף שָׁמְרָה נֶשֶׁף *Oculus adulteri* Schámerah *obſervat crepuſculum*, Jobi 24.15. *utrobique eſt æqualis*, *& ſimilia alia multa*, *ubi Kametz longum & raptum eodem puncto deſignantur*, *ad quæ diſcernenda neceſſariò Cabalâ ſive Traditione aliquâ opus habemus*, *prout etiam Maſoretha hac de re ſunt teſtati*, *& differentiam hanc notarunt*, *&c.*

In libro צח שפתים, in teſtimonio, quod pro ſe adduxit ex Elia Revelator ſup. cap.3.pag.37. dicitur expreſsè, *quòd ex ore legentium poſſit diſcerni inter A Kametz, & A Pathach: inter E Tzere & E Segol, inter O Cholem & O Kametz chatuph: inter U Schurek, & U Kybbutz: inter I cum Jod, & I ſine Jod.*

In libro לוית חן cap.3. ſcribitur, *Tiberienſes potuiſſe diſcernere inter Pathach & Kametz, Segol & Tzere, Kibbutz & Schurek*, & porrò ſubjicitur: וּמִפְּנֵי הַגָּלֻיּוֹת רָעוֹת רַבּוֹת וְצָרוֹת וַהֲמוֹן תּוּגוֹת אֲשֶׁר סְבָבוּנוּ גַּם סַבְבוּנוּ נִבְקְעוּ כָּל מַעְיְנוֹת הָאוֹתִיּוֹת נִפְתְּחוּ אֲרֻבּוֹת צִנּוֹרוֹת הַתְּנוּעוֹת נֶהֶרְסוּ מַמְּגוּרוֹת הַקְּרִיאוֹת׃ וְלֹא נֵדַע לַעֲשׂוֹת. זֶה הַהֶבְדֵּל עַד לֵב נִמְהָרִים יָבִין לָדַעַת׃ וּלְשׁוֹן עִלְּגִים תְּמַהֵר לְדַבֵּר צָחוֹת *Et propter captivitates, mala multa, afflictiones, & multitudinem mœrorum, qui circumdederunt nos, fiſſi ſunt omnes fontes Literarum, apertæ ſunt cataractæ canalium Vocalium, deſtructa ſunt granaria vera Lectionis, neque poterimus obſervare differentiam hanc, donec cor ſtultorum intentum ſit ad ſcientiam, & lingua balborum feſtinet loqui nitidè* (Jeſa.32.4.)

In libro M S. עין הקורא circa finem, habetur admonitio, ne confundamus voces illas, quæ ſimilis & affinis ſoni habent literas, maximè in fine; ut; עוף · אוב : נת · נד ; אד עד : עת את : צַו צַב, &c. deinde, ne eas confundamus in pronunciatione, quæ ſimilis & affinis ſoni Puncta habent; veluti, אֶל · אֵל : עֶרֶב עֵרֶב, &c. tertiò idem etiam monetur de Accentibus: Et ſubjicitur; כָּל הַנִּקּוּד וְכָל מוֹצָאֵי הַתֵּיבוֹת וְכָל הַשִּׁכּוּן וְכָל הַמְּתִיגוֹת כְּדֵי לְהַבְדִּיל בֵּין תֵּיבוֹת לְתֵיבוֹת לָדַעַת אֶת פִּתְרוֹנָם וְאֶת מִשְׁפָּטָם וִיסוֹדָם לְכָל מוֹצָאֵיהֶם וּמוֹבָאֵיהֶם וכו׳ *Omnis punctatio, omnes terminationes vocum, omnes ſedes accentuum, omnia item Methæg, inſerviunt ad diſtinguendas voces, ut ſciamus earum interpretationem, proprietatem ſeu formam, & originem, &c.* Et mox: וְגַם אֲנַחְנוּ שָׁמַעְנוּ שֶׁיֵּשׁ קְצַת חֲכָמִים בְּאַסְפַּמְיָא הַיּוֹדְעִים לְהַבְדִּיל בֵּין כָּל תֵּיבָה לְתֵיבָה וְדוֹמֶיהָ וּבֵין כָּל אוֹת לְאוֹת וּבֵין כָּל תְּנוּעָה לִתְנוּעָה וכו׳ *Audivimus etiam, eſſe quoſdam Sapientes in Hiſpania, qui ſciant diſtinguere inter ſingulas voces ſimiles & affines, inter ſingulas literas, & inter omnes ac ſingulas Vocales.* Deinde dicit,

quòd varietas illa pronunciationis, quæ hodiè deprehenditur inter variarum regionum Judæos, inde ſit, quòd ſingulæ nationes ſuam habeant peculiarem pronunciandi rationem, hancque Judæi ſingularum terrarum imitentur, & tandem concludit; וְעַל אוֹדוֹת: הַכְּבֵדוּת הַזֹּאת אֵין מַרְפֵּא לִלְשׁוֹנֵנוּ עַד כִּי יָבוֹא מוֹרֶה צֶדֶק כִּי אָז יֵהָפֵךְ אֶל עַמִּים שָׂפָה בְרוּרָה וְתָרוֹן לְשׁוֹן אִלֵּם *Et difficultati huic lingua noſtra nulla eſt medicina, donec veniat Doctor ille Juſtitiæ. Tunc enim reddetur populis labium electum, & lingua mutorum cantabit.*

Aben Eſra in libro Tzachuth ſcribit de Kametz; *illud non pronunciari rectè ita, ut illi id in locis iſtis Hiſpaniæ pronuncient: ſed Tiberienſes, Ægyptios, & Africanos noviſſe illud rectè pronuntiare.*

Idem aliis quoque poſſet confirmari teſtimoniis ſimilibus.

Et hîc iterum in mentem ſibi revocet Lector; Si nùlla eſſet mutatio, cur ſubinde illæ vocales, formâ vocis vel paululùm immutatâ, inter ſe permutarentur; Pathach in Kametz, & vice versâ, Kametz in Pathach: Tzere in Sægol, & viciſsim Sægol in Tzere: Cholem in Kametz chatuph, & viciſsim Kametz chatuph in Cholem? annon fruſtraneum & de nihilo eſſet hoc, ſi nulla eſſet differentia?

Veruntamen Revelator ipſe non omninò hoc negat, ſed tandem id largitur, ita tamen ut neget, *hoc diſcrimine poſito, Authores horum punctorum poſſe ſtatui vel Moſen, vel Eſdram & Viros Synagogæ magnæ.* Quo fundamento? *Quia id non neceſſe fuerit: Quia ex uſu & perpetuâ loquendi conſuetudine iſtam differentiam potuerunt ſcire, ut hodiè Germani, Galli, Angli, qui non niſi habent quinque Vocales literas.*

Ad hoc reſpondemus; *Neceſsitatem* rei vel facti alicujus poſſe eſſe variam & multimodam. Poteſt enim conſiderari vel reſpectu ipſius *Rei* & ejus naturæ, vel reſpectu *Subjectorum* aut *Objectorum*, vel reſpectu *Circumſtantiarum.*

Alia ſunt *Neceſſaria* ad *τὸ εἶναι Eſſe*, neceſsitate abſolutâ: alia ad *τὸ εὖ εἶναι Ad Benè eſſe:* Illa neceſſaria ſunt ad Eſſentiæ conſtitutionem, hæc ad illius perfectionem & ornamentum.

Alia ſunt Neceſſaria Univerſaliter: alia Particulariter & reſpectù certæ alicujus rei.

Alia iterum ſunt Neceſſaria Omnibus & ſingulis: alia, Quibuſdam duntaxat.

Alia etiam ſiunt propter Neceſsitatem Præſentem, alia propter Futuram.

Poſito

Poſito jam, nondum tamen conceſſo; Punctorum iſtorum eam eſſe rationem, ut non omnes illorum figuræ ſint neceſſariæ abſolutè ad τὸ εἶναι pronunciationis & lectionis; ſunt tamen neceſſaria ad τὸ εὖ εἶναι, ad commoditatem, majorem perfectionem, majusq; decus & ornamentum.

Poſito, Punctorum neceſsitatem non fuiſſe Univerſalem, reſpectu totius linguæ, & omnium ſcriptorum; fuit tamen Particularis, reſpectu Scripturæ Sacræ, cujus lectio & intelligentia facta fuit magna ex parte ipſis peregrina, uti alibi oſtendimus. Et hoc quàm maximè hîc attendendum; quia non eſt quæſtio de lectione, linguæ Hebrææ in genere; ſed in ſpecie de Lectione Sacrorum librorum Hebraicorum.

Poſito etiam, cùm primùm inventa fuerunt Puncta vocalia, illa non omnibus & ſingulis fuiſſe neceſſaria, ut Viris Propheticis, eruditis, linguæ literarumque peritis; potuerunt tamen neceſſaria eſſe quibuſdam, veluti hominibus de vulgo, mulieribus, parvulis, & illiteratis, peregrinis item & proſelytis, Judaicam religionem amplectentibus, quorum etiam ubiq; Deus curam geſsit, & rationem habuit in ſuo verbo.

Poſito denique & hoc, tùm temporis, quo primùm inventa fuêre puncta, Neceſsitatem nondum fuiſſe ita urgentem & inevitabilem; potuerunt tamen à viris prudentibus, & futuras tempeſtates de longè proſpicientibus, excogitari propter Neceſsitatem venturam.

Et quomodo probabit Revelator, tempore Eſræ non fuiſſe opus hoc punctorum ſubſidio; cùm eo jam tempore apud quamplurimos linguæ Hebrææ notitia defecerit & defierit, maximè verò Legis Dei, Hoſ. 4. v. 6.

Eodem modo conſideranda eſt *Utilitas* & *Uſus* rei vel facti alicujus.

Alia habent Uſum & utilitatem Præſentem, alia Futuram: Alia apud Omnes, alia apud Quoſdam. Rurſum alia habent Utilitatem Patentem, alia Latentem. Quorum uſus latet, id fit quandoque propter cauſam abſtruſam in Re ipsâ hærentem; quandoque propter Externum impedimentum & defectum in Hominibus.

Hinc etiam elicimus tertiam reſponſionem ad propoſitum Dilemma Revelatoris, & dicimus,

III. Inſufficientem eſſe enumerationem partium, & ſic eſſe propoſitionem formandam; *Geminatio & multiplicatio iſta punctorum facta eſt vel propter Quantitatem, vel propter Qualitatem ſoni; vel ex parte etiam propter Cauſam aliquam hodiè nos Latentem, nobiſq́; jam Ignotam.*

Quidni enim alia aliqua poſſet ſubeſſe ratio? Quantum enim eſt quod ignoramus de cauſis, naturâ, & proprietatibus linguæ Hebrææ! Videatur ea de re Ephodeus in ſua Grammatica cap. 7. Quis amplius novit hodie rationem tot Anomalarum vocum in textu Hebræo, & alia? de quibus Ephodeus ſcribit: וגם כי הוא מן האפשר כי הענין ההוא ואף שיצא מן ההיקש כפי האמת שהוא לסבה נעלמת ממנו וכו' *Et poſſibile eſt, quòd iſta, licet ab analogia communi recedant, tamen revera ſuam habeant cauſam, nobis tamen occultam, &c.* Et cap. 15. כן אומר בזה הלשון הקדוש שהוא מכלל בריותיו שלא נפל בו דבר במקרה ובלא סבה אלא שזה נעלם מאתנו *Sic dico de lingua hac ſancta, quæ eſt ex Creaturis Dei, quòd nihil in ea ſit fortuitò aut per accidens, & ſine cauſa: ſed hæc nobis ſæpè eſt ignota.*

In ſpecie verò de hoc ipſo Punctorum Numero ſcribit cap. 5. ואלה ה' הרשמים נקראים נקודות לדקותם ונבדלים זה מזה בהבדל מוחש ואמנם אומר בהבדל מוחש לפי שבכאן שתי תנועות אחרות זולת הה' הנזכרות והם הקמץ והסגול אבל שאינם נבדלים מהפתח והצרי בהבדל מוחש ואמנם הונחו בלשון הקדש להשלמתו ולהבדיל בהם בין המלעיל והמלרע ולהראות הנח וההראות וכבר הניחו אותם מפני זה קצת החכמים שבעה וקרא אותם הא"ע מלכים להתנהג תנועת הסימנים על פיהם וכו' h. e: *Et iſta quinque notæ* (Pathach, Tzere, Cholem, Schurek, Chirek,) *ſunt, quæ vocantur Puncta propter ſuam exilitatem, & diſtinguuntur à ſe invicem differentiâ ſenſibili; Dico,* Differentiâ ſenſibili: *nam ſunt adhuc duæ aliæ vocales, præter iſtas quinq; commemoratas, Kametz nimirum & Sagol, quæ tamen à Pathach & Tzeri differentiâ non ita ſenſibili diſtinguuntur; nihilominus tamen excogitata & conſtituta ſunt in linguâ Sanctâ ad ipſius perfectionem, & ut diſcrimen faciant inter Milhel ſive Penacutum & Milrah ſive Acutũ, &c. Unde alii Grammatici ſeptem vocalès conſtituerunt, quas Aben Eſra vocat* Reges, *quòd prolatio punctorum ad illorum præſcriptum regatur, &c.*

Longum foret, ſi jam etiam ex nonnullis Grammaticis, & Cabaliſtis, alias ſublimiores & ſubtiliores cauſas Punctorum horum Vocalium vellem adducere. R. Bechai in Leg. fol. 26. col. 4. de

Kametz

Kametz & Pathach ſcribit: *Etſi videatur Kametz & Pathach unum planè idemq; eſſe, & vocalis unica; nequaquam tamen res ita habet, ſed eſt inter illas differentia* במבטא *in prolatione: Nam Vocalis Kametz eſt alta & excelſa, Pathach vero eò inferior: Kametz enim in dictione docet de præcellentia magna, & de verbo per ſe ſubſiſtente, neque cum alio conjuncto & conſtructo: ut* אָרוֹן ، מַלְאַךְ: *Pathach verò conſtruitur perpetuò cum voce proximè ſequente, &c.* (Hinc elicit rationem, cur אֲדֹנָי Nomen Divinum ſcribatur in fine cum Kametz, non cum Pathach). Et mox: *Hæc eſt differentia magna, quæ eſt in Lege noſtrâ, inter Kametz & Pathach, qualis eſt inter Lucem & Tenebras, Sanctum & Prophanum. Hinc, qui mutat Pathach in Kametz, is vel deſtruit intentionem, aut incidit in abnegationem* (hæreſin) &c. *Præterquàm, quòd Grammatici etiam dicunt, quòd Kametz dicatur de re verâ & reali, non verò Pathach, &c.* Vide etiam Aben Eſram, & alios.

Exceptio; *At cùm lingua Germanica, Gallica, Anglica, tót vocalium notas non habeant, quid neceſſe fuit, ut id eſſet in lingua Hebræa?*

℟. 1. Quòd lingua Germanica, Gallica, Anglica, quinq; tantùm habent Vocalium notas, id non arguit earum linguarum Perfectionem; ſed potiùs Imperfectionem: & quòd lingua Hebræa plures habet, inde potiùs illius Perfectio & Præſtantia, quàm Imperfectio concludenda videtur, uti Ephodeus ſcripſit in modò citato loco. Cur itaq; iſtarum linguarum imperfectio deberet præjudicare linguæ Hebrææ perfectioni? Ipſe Revelator ſcribit in *Arcano ſuo* lib. 1. cap. 16. §. 20. *non eſſe priſcæ Hebraicæ Scripturæ elegantiam & cultum æſtimandum ex hodierna Græcè & Latinè aut vernaculè ſcribendi ratione atque conſuetudine.*

2. A Linguis iſtis ad linguas Orientales nullo modo procedit Argumentum. Linguæ enim iſtæ, & illarum Scriptura atque Lectio, prorſus aliam habent indolem ac naturam, quàm Lingua Hebræa. Illæ leguntur & ſcribuntur à ſiniſtra ad dextram; hæc à dextra verſus ſiniſtram: Illæ Vocales ſuas recenſent in numero Literarum, & inter ſcribendum eodem ordine cum Conſonantibus eas inſerunt; Hebræa Lingua Vocales è numero Literarum excludit, & illas Literis ſub vel ſuperſcribit: Illæ non habent literas gutturales א ، ח ، ע, ut nec כ raphatum; hæc eas habet: Illarum natura non fert, ut ſine Vocalibus ſcribantur aut legi queant; hæc, & aliæ linguæ Orientales, licet Vocales habeant, tamen etiam

ſine illis ſcribi & legi poſſunt ac ſolent. Itaq; licet tres iſtæ linguæ, Germanica, Gallica, Anglica, tot vocalium notas non habeant, cur aut quo jure ad illarum proprietatem adſtringenda eſt lingua Hebræa? Adde quòd & hoc in dubium fortaſsis vocari poſſet. Linguæ Anglicæ peritus non ſum: unde illam omitto. Lingua Germanica, vetus præſertim Saxonica, cujus proles eſt lingua Belgica, Vocales longas ſolet geminare, Miin / Een / Meer / Noor / vel aliquando etiam aſpirationem h. apponere in productionis ſignum. Geminatio iſta vim ac poteſtatem habet alterius figuræ. Lingua Gallica duplex habet V; u, & ou, quarum illud breve, hoc longum: Sic A productum aliquando ſolet geminare, ut *Aage*: duplex O; o & au: Annon iſta geminatio vim habet novæ figuræ? Quid enim intereſt, ſi ad diverſam qualitatem indicandam ejuſdem vocalis, ea geminata ſcribatur, ſive alia eidem aſsignetur figura? Sic duplicem habet figuram vocalis I; i, & y. Ypſilon enim in Orthographia Gallica non habet poteſtatem U brevis, ſicut in Lingua Græca & Latina, &c.

Præterea annon aliæ quoque Linguæ à longis, & Maſorecharum Tiberienſium ævo aliquot, imò multis retrò ſæculis, ejuſdem Vocalis duplicem figuram agnoverunt? Quis autem hactenus audivit, rem iſtam à quoquam, ſcrupuloſitatis, moroſitatis, & ſuperſtitionis nomine traductam? Græca lingua ſeptem numerat, imò octo revera habet diſtinctas vocalium figuras: A unum: E geminum, Ἒψιλον & Ἦτα: I unum: O duplex, ὄμικρον & ὠμέγα: U duplex, Ὑψιλον (u breve) & ου vel ꙋ (u longum). *Duas illas figuras η, & ω, inveniſſe jam olim Simonidem Melicum*, docet Plinius Nat. Hiſt. lib. 7. cap. 56. Quid illum ad id permovit? An nuda moroſitas, ſcrupuloſitas, & ſuperſtitio? Non: ſed vis & poteſtas pronuntiandi diverſa, quæ in pronuntiando exauditur. Hinc addit ibidem Plinius; *quarum omnium vis in noſtris* (Latinis) *recognoſcitur* (in ſono ſcil. & pronuntiandi ratione). Conſtat enim ex Fabio Quintiliano, & Victorino, *Latinos olim quoque ſolitos fuiſſe Vocales longas, differentiæ gratiâ, geminatione earum exprimere.*

Itaque cùm hoc nec novum ſit, ut plures ſint in Linguis, quàm quinque Vocalium figuræ, nec quicquam huic rei inſit, quod meritò poſsit moroſitatis, ſuperſtitionis, ſcrupuloſitatis, & ſuperfluitatis argui, imò quod non ſuas juſtas ac dignas habeat cauſas; non video,

video, quid impediat, quo minus vel Moſi, vel ſaltem Eſdræ, Punctorum horum inventio adſcribi queat: vel, cur illi ſæculo demum adſcribi debeat illorum inventio & excogitatio, quo Lingua Hebræa non erat ampliùs Judæis familiaris aut vernacula, ſed prorſus barbara & peregrina; Imò ſi hoc quoq; detur, non video, cur quinto demum ſæculo à Chriſto nato hoc ſit adſcribendum, cùm initium hujus rei jam factum ſit, uti viſum, temporibus Eſræ?

E' contrario potiùs, divinam aliquam diligentiam, accurationem, curam & prudentiam, inventum hoc arguere multis videtur.

Ita revera eſt, ut Balmeſius ſcribit: מִזֶּה נוֹדַע שלמות זֶה הַלָּשׁוֹן עַל כָּל הַלְּשׁוֹנוֹת כִּי ברוב שְׁאָר הַלְּשׁוֹנוֹת חָסֵר מוֹצָא מָה וְזֶה אֵינוֹ חָסֵר כלום *Hinc cognoſcere debemus perfectionem iſtius linguæ ſuper omnes alias linguas. Nam in plerisq; aliis linguis deficit prolatio aliqua: in hac verò lingua nihil deficit.* Et alibi poſt explicatam rationem punctorum: לָכֵן יֵרָאֶה מִזֶּה כִּי גַם בְּאוֹתִיּוֹת גַּם בִּנְקֻדּוֹת לְשׁוֹנֵנוּ הוּא הַלָּשׁוֹן הַשָּׁלֵם וכתיבתנו היא כְּתִיבָה תַּמָּה מִכֹּל כְּתָבֵי הַלְּשׁוֹנוֹת כִּי לֹא יֶחְסַר כל בָּהּ ואֵין בָּהּ דָּבָר רֵיק כְּחֹק הַשְּׁלֵמִים הַתְּמִימִים *Ideò videtur hinc, quòd tùm in Literis, tùm in Punctis, Lingua noſtra ſit Lingua perfectiſſima, & Scriptura noſtra Scriptura abſolutiſſima, præ omnium linguarum ſcripturis: quia in ea nihil eſt deficiens, & nihil redundans, ſecundum naturam eorum, quæ abſoluta ſunt & perfecta.*

Videatur etiam author libri Coſri circa finem ſecundæ partis.

R. Jehudah Muſcatus in Comment. libri Coſri par. 2. §. 80. ex R. Jehudah Chijug, primo Hebræorum Grammatico, hæc citat verba: וְלוּלֵי שֶׁאֶשְׂנָא רוב דְּבָרִים ושלא הָיָה מֵחֵפֶץ הַסֵּפֶר הָיִיתִי מְבָאֵר סִבַּת אֵלֶּה הַתְּנוּעוֹת שֶׁהֵם כְּלַל לִלְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ בְּאֵר הֵיטֵב h. e. *Et niſi odiſſem multitudinem verborum, & alienum eſſet ab inſtituto hujus libri, explicarem cauſam iſtarum Vocalium omnium, quæ ſunt fundamentum Linguæ ſanctæ, & quidem accuratiſſimè.*

II. *DE VOCALIBUS SIVE PUNCTIS QUAE RAPTA DICUNTUR, VEL BREVISSIMA.*

Pergit Revelator, & peculiari capite idem quoque probare nititur ex conſideratione *Punctorum Raptorum*, de quibus nonnulla ſunt in gratiam Lectoris præmittenda,

mittenda, antequam ad Argumenti ipſius conſiderationem accedamus.

Præter decem nempe Vocales Longas & Breves, quæ quinq; Vocalibus Naturalibus, A, E, I, O, V, reſpondent, & propriè ac revera Vocales ſunt, habent Hebræi adhuc quaſdam Punctorum Notas ac Figuras, quæ חֲטַפִּים *Rapta* vocant; Chriſtianorum Grammatici, *Vocales breviſſimas*.

Figuræ hæ ſunt quidem diverſæ, ſed reverâ poteſtate unum duntaxat Punctum vel Vocalem, ſiquidem ita ſit dicenda, conſtituunt, quæ *Scheva* dicitur.

Scheva enim eſt vel *Simplex* אְ, vel *Compoſitum*; & hoc componitur cum Pathach ־ֲ; cum Sægol ־ֱ; cum Kametz ־ֳ. Ita revera, ut in לוית חן ſcribitur הוא מְשָׁרֵת אֶחָד שֶׁיִּשְׁתַּנֶּה לְצוּרוֹת שׁוֹנוֹת *eſt ſervus tantùm unus, ſed qui mutatur in figuras diverſas.*

Scheva Simplex omnibus competit literis, exceptis gutturalibus: & iterum dividitur à Grammaticis in Scheva *Mobile*, & Scheva *Mutum*.

Mobile, quod ſyllabam, ſive ab initio, ſive in medio vocis, inchoat, & ſuam conſonam trahit ad ſequentem vocalem, quâ accedente, demùm ſyllaba conſtituitur.

Mutum, quod ſyllabam terminat, & conſonam, cui ſubſcribitur, cum præcedenti conſonâ & vocali jungit.

Compoſitum, proprium eſt literarum gutturalium, & illis adhibetur loco Scheva ſimplicis. Ubi nimirum hæ ex analogia Grammatica deberent notari cum Scheva ſimplici, apponitur illis, ejus loco, Scheva compoſitum.

Ratio hujus rei hæc videtur eſſe. Literæ gutturales, cùm ſpirituales ſint, plus habent in efferendo difficultatis, & tardiorem moram. Difficiliùs enim exeunt, cùm nullis reliquorum proferendi inſtrumentorum adminiculis juventur. Cùm itaq; Scheva motu ſit rapidiſsimum, celerrimeque proferatur, in unam ſyllabam cum literis gutturalibus אהחע coire haud facilè poteſt. Itaq; componitur cum Kametz, Pathach, & Sægol, dilatandæ pronunciationis gratiâ, ut unaquæque litera eò meliùs atque planiùs, preſsiusque percipiatur. Hinc eſt, quòd Aben Eſra iſtas voces, in quibus ob gutturales adhibitum eſt Scheva compoſitum loco Scheva ſimplicis,

cis, vocat הֲנִּרְחָבִים *Dilatatas*, in מאזני לשון הקדש fol. 198. Sic dicit מְעֲמָד eſſe *Dilatatum*: dicendum enim fuiſſe מְעֲמָד, ad formam מִשְׁלָךְ; ſed propter gutturalem, Ajin eſſe *dilatatam*, & ſimilia. ibid. fol. 213. b. Neque tamen eò temporis aut quantitatis aſſurgit Scheva compoſitum, ut vel Longis vel Brevibus conferri poſsit Vocalibus, &c.

Ab Uſu itaq; & Figuris diverſis hujus Puncti itidem, ut antea, contra Punctorum Antiquitatem argumentum ducit Revelator, cujus ſumma huc redit:

Quo ad juvandam lectionem non eſt opus iis, quibus lingua Hebræa eſt vernacula, imo vix iis, quibus lingua Hebræa eſt barbara & peregrina, id non eſt additum vel excogitatum à Scriptoribus Sacris, quales erant Moſes & Eſdras, neque illorum temporibus: quia tum lingua Hebræa Judæis adhuc erat vernacula.

Atqui τὸ Scheva ad juvandam lectionem non eſt opus iis, quibus lingua Hebræa eſt familiaris & vernacula, &c. Ergo.

Minor probatur: *quia Scheva ex Hebræorum ſententia nec eſt vocalis, neque ſyllabam conſtituit, ſed tantum literam trahit vel ad antecedentem, vel ad ſequentem conſonam & vocalem. Id quod abſque hoc puncto etiam Lectores rudes & imperiti æque bene ſcivisſent & legere potuiſſent, atque cum eo. Ut E. G.* אִזְכּוֹר, *quod legitur* Eſ-cor, *Schevâ ſub Sajin quieſcente, æquè facilè legeretur, imo facilius, ſine Scheva. Cùm quieſcat, & mutum ſit, quid eo opus? Ut perperam fieret, ſi in his latinis,* Perpetuò, Perperam, Partes, Paſtor, *apiculus aliquis ſubſcriberetur vel appingeretur literæ* R, *&* S: *ita hic quoque id fit ſine ulla neceſſitate. Sic in* פְּרִי *quod legitur* Pri, בְּרֹאשׁ *quod legitur* Broſch, שְׂפַת *quod legitur* Sfat, *& ſimilibus, quid opus primæ literæ ſubſcribere Scheva? Non magis certè, quàm in his Latinis,* Primus, Brachium, Clamor, Spes, Spiritus, Studium, &c. *opus eſt primis literis* P, B, C, S, *appingi apiculus aliquis, quo ſignificetur, literas illas eſſe cum ſequenti in eadem ſyllaba conjungendas. Hic apiculus non juvat, ſed obturbat potius lectorem, qui dubius hæret, an ille Apiculus ſit Vocalis necne?*

℟. In hoc Argumento iterum negatur *Major propoſitio*, quæ non eſt ſimpliciter vera.

Qui Puncta Vocalia ejuſdem cum Literis Antiquitatis ſtatuunt, illi reſpondebunt; Puncta Vocalia ita eſſe ſacro textui addita, pro-

ut ea tùm erant in ſcribendâ linguâ Hebræa uſitata; non atten[illegible]do, an aliquid ſit neceſſarium necne. Ut ſacri illi Scripto[illegible] ſermonem ſuum accommodarunt ad familiaris ſermonis ſtyl[illegible] n[illegible] ita eam quoque ſcribendi rationem obſervarunt, quæ tum in uſu erat.

Qui dicunt, Moſen Puncta accepiſſe à Deo in monte Sinaj, reſpondent, hanc ſcribendi rationem Moſi à Deo fuiſſe oſtenſam & revelatam in monte, ut jam cum Deo ipſo contendendum eſſet ei, qui Punctorum Hebraicorum artificium vellicare velit.

Qui ad Eſram Punctorum inventionem referunt, illi negant, eo tempore Judæis adhuc in univerſum fuiſſe familiarem & vernaculam, Linguam Hebræam. Unde de illius ſæculo non valet Conſequentia Majoris, niſi quis Eſræ litem intentare vellet, de re nullius uſus, nullius neceſſitatis, nullius momenti, popularibus ſuis obtrusâ, & Scripturis Sacris intrusa.

Et licet daretur, non abſolutè ad juvandam lectionem eſſe neceſſarium Scheva, potuit alium hîc habere finem Eſdras, qui nobis, ut multa alia circa linguam Hebræam, hodiè ignotus. Neque etiam in his ſemper ſpectatur neceſsitas, ſed aliquando vel minima aliqua commoditas, vel ornamentum, & externus decor, vel conſuetudo. Figuræ iſtæ externæ ſunt מְהַסְכָּמַת הַמַּנִּיחַ *ex arbitrio, placito, & voluntate authoru & inventoris*, ut Hebræi loquuntur.

Adhæc, ut cuique linguæ peculiaris proferendi eſt genius, & quædam à naturâ tributa ὀρθοέπεια: ita unicuiq; etiam eſt propria quædam ſcribendi ratio, & ſuus quidam orthographiæ modus. Ut à ſcribendi & legendi ratione aliarum linguarum, ad Orthographiam Hebraicam, non valeat conſequentia.

Itaque ut Major univerſaliter vera ſit & admitti poſsit, ſic eſſet concipienda; *Quod nec ad juvandam lectionem eſt neceſſarium, nec ullam aliam habet commoditatem, utilitatem, cauſam & rationem, id &c.*

Sic jam negatur Minor propoſitio, *Scheva ſine ulla cauſa & ratione eſſe inventum & excogitatum.*

Scheva revera nihil aliud eſt, quàm obſcurus & incertus quidam ſonus, qui exauditur inter duas conſonas continuè pronuntiatas, vel in fine vocis aut ſyllabæ, poſt conſonæ mobilis pronuntiationem. Hic enim ſemper vel intercedit, vel accedit ſonus aliquis, qui A, vel E obſcuri & rapidiſsimi, ſonum aliquo modo refert, &

rectè

rectè a Grammaticis aures potius *ſalvere*, quam *ferire* dicitur. Hinc cùm duæ pluréſve conſonantes in unam ſyllabam, in Vocalem deſinentem, conjunguntur; cum Scheva, veluti conjunctionis illius ſymbolo, notantur: ſic etiam mobiles ultimæ literæ vocum, vocali deſtitutæ; licet illud non ſemper & in omnibus exprimatur.

Hinc puto ego שְׁוָא dictum eſſe quaſi שוא *Vanitas, Inanitas,* דָּבָר שֶׁאֵין בּוֹ מַמָּשׁ *Res in qua nulla eſt ſoliditas, realitas*. q. d. *Punctum inane & nihili quaſi, nullum certum ſonum habens aut edens, nullam ſyllabam conſtituens.* Nec abludit Aben Eſræ etymologia, qui derivat à Verbo שָׁוָה *Aequari*; לְפִי שֶׁהִיא נִשְׁוָה לִתְנוּעוֹת הָאֲחֵרוֹת בְּמִבְטָא *quòd aliis ferè omnibus vocalibus adæquetur in pronunciatione.* Nam cùm adeò celeriter pronuntiandum ſit, ut nullus certus ac diſtinctus percipiatur ſonus, ob iſtam celeritatem ſæpiſsime videtur accedere & inclinare ad proximum ſequentis Vocalis ſonum, intercedente maximè literâ gutturali: Ante alias literas propius ad A vel E obſcuri & incerti ſonum accedit.

Quòd huic rei in lingua Hebræa peculiaris aſsignata eſt figura, quam aliæ linguæ non habent, id ego potiùs Linguę Hebrææ perfectioni, & Authoris punctorum vocalium induſtriæ, accurationi, & ſolertiæ, quàm moroſitati, ſcrupuloſitati, & ſuperſtitioni, adſcribendum cenſeo. Et ut id non ſine ingenioſa induſtria, & ſolertiâ fecit: ſic proculdubio etiam non ſine ratione.

Quòd alię linguæ, Occidentales maximè, id non habent, id Linguæ Hebrææ, & ejus calligraphiæ præjudicare nec debet, nec poteſt. Nihil novi eſt, ut filiæ a matris natura, decore & præſtantia degenerent: neque ſemper matris virtutes, temperamentum, formam, ac lineamenta omnia exprimunt filiæ. Hebręa lingua ceu mater, plures peperit filias, quarum ſingulæ aliquid habent peculiare præ cæteris: ipſa verò ubique aliquid ſupra illas eximii & pręſtantis ſibi reſervavit. Matris & quarundam ejus filiarum hæc eſt natura, ut cum venuſtate & decore punctum hoc in ſua Orthographia gerant; aliarum verò non. Qui primus author horum punctorum fuit, rationes habuit, cur illud appoſuerit. Quid opus fuit Spiritibus, leni maximè, peculiarem figuram aſsignare, & inter conſonas referre? Quid eſt א niſi ſpiritus lenis? An omnes aliæ linguæ id faciunt?

Scheva Natura ſuâ non eſt Vocalis, neque etiam Vocalis nomen

ipſi ab Hebræis tribuitur, niſi abuſivè, quatenus figurâ, & ex parte etiam poteſtate, affinitatem aliquam cum eis habet. Nam 1. nullam certam & conſtantem habet lectionem, ſed vagam, obſcuram & incertum. 2. quia ex Schevâ ſolo & Conſonâ, ſive unâ ſive pluribus, nulla poteſt vox aut ſyllaba conſtitui, ſicut ex aliis Vocalibus, ſed neceſſe eſt, ut vera aliqua Vocalis accedat. 3. quia nullum admittit Accentum Tonicum, neque ex Regibus, neque ex Miniſtris.

Quòd noſtri Grammatici ex Scheva faciunt Vocalem breviſſimam; non quantitatis poëticæ ratione id fecerunt, ſed ſoni, quem habet, rapidiſsimi & celerrimi: neq; Vocalis nomen propriè, ſed impropriè, ei dederunt, ob rationem modò dictam.

Pronuntiationem ejus quod attinet, diverſa ea fuit olim ab hodierna. Olim enim variis modis pronuntiabant, ut illud tradidit R. Jehudah Chijug, primus Hebræorum Grammaticus, & ex eo Balmeſius, Aben Eſra, Ephodeus, & cæteri Grammatici. Hodiè etiam, pro diverſitate regionum & terrarum, in ejus pronuntiatione variant, quod non mirandum; cùm idem quoque in noſtris linguis obſervetur, quòd unaquæque regio ſuam propriam ac peculiarem habeat pronuntiationem. Tempora etiam alia, aliam pronuntiationem inducunt. De legendi ratione nova & antiquâ alii ſcripſerunt. Sufficit, quòd natura & poteſtas ejus nota ſit. Hinc enim de ejus uſu atque utilitate etiam judicari poteſt.

Sic quod *Scheva compoſitum* attinet, ejus rei cauſa ſupra eſt allata, quod id inſerviat ad literarum gutturalium pronuntiationem dilatandam, ut tanto commodiùs & pronuntiari & exaudiri poſsint.

Cur verò triplex ei aſsignata ſit figura & compoſitio, & an id neceſſe fuerit? Illud nullâ de cauſa quæritur. Quis enim horum omnium hodiè rationes reddat? Poſſent tamen fortaſsis etiam rationes dari, ſi quis ei curæ incumbere vellet, & ſi ad cauſam præſentem tam multum in eo eſſet ſitum. Sicut Scheva ſimplex pro ancipiti & inconſtanti ſua natura communicat potiſsimum cum iſtis tribus vocalibus, A, E, O, ſic ei iſtarum potiſsimùm Vocalium figuræ ſunt adjunctæ. Et in Grammatica quoque, ſi ubique eandem figuram habuiſſet, ut puta, ſemper vel vel · vel -, multæ ſæpe formæ & voces confuſæ fuiſſent, quæ diverſitate hac diſtinguuntur. Præterea qui eas appoſuit, procul dubio & uſus loquendi, &

di, & ἀφωνίας quoque rationem habuit, & huc punctorum rationem accommodavit. Denique, utut nos non aſſequamur vel rationes omnes, vel neceſſitatem; tamen non ſequitur, nullas eſſe, ut ſupra quoque dictum.

Neminem ego hactenus Grammaticorum, Eliæ licet ſententiæ addictorum, vidi, qui ita de his Punctis ſit philoſophatus, ſicut Doctor iſte Salmurienſis. Non etiam credo, quemquam fore, quem hæc ipſius φιλοσοφήματα, aut potius ſophiſmata, quæ multis paginis, & verborum copiâ involvit, ſint permotura, aut in ſententiam illius pertractura.

Si hæc omnia ita ſunt abſona, abſurda, inutilia, non-neceſſaria, &c. mirum ſanè eſt, quomodo tam citò, tam ſubitò, tam conſtanter, tàm univerſaliter omnibus, omnium terrarum Judæis, ſine ulla contradictione aut exceptione, perſuaſa, obtruſa, recepta; & quidem ab authoribus, nullâ præ aliis eruditis prærogativâ, nullo peculiari privilegio, nullis extraordinariis donis inſtructus; imò, obſcuris, ignotis & incertis? An hîc nulli Hebræorum Revelatoris vel naſus fuit ad odorandum, vel palatus ad ſapiendum, vel oculi ad videndum? An omnium mentes ad publicationem næniarum & affaniarum iſtarum ſtatim ita hebetatæ, corda ſtupefacta, ſenſus omnes ablati fuêre, ut hæc, quæ nullius uſus, nullius momenti erant, pro oraculis, pro ſignis cœlitùs delapſis ac demiſſis acceptarent? Quis etenim ex omnibus Hebræorum Grammaticis, qui hæc pariter ac Revelator noſter perſtrinxerit, ſugillârit, aut vellicarit?

Et gratis ubique ſibi ſumit hoc principium, *Eſræ tempore Linguam Hebræam Judæis adhuc in univerſum fuiſſe familiarem & vernaculam.* Pergamus autem, & videamus quoq; ejus Philoſophiam de reliquis punctis.

III. *DE DAGESCH.*

Dageſch, ut ex Grammaticis notum, eſt duplex, *Forte* & *Lene*.

Forte, quod literam, cui impreſſum eſt, geminat.

De *Dageſch forti* ſcribit Revelator;

Ut negare nolit, hoc punctum utile & neceſſarium eſſe illis, qui nihil Hebraicè ſciunt; Hebraicè tamen legere & intelligere cupiunt addiſcere:

attamen non eſſe admodum neceſſarium illis, quibus hæc lingua eſt vernacula; ut qui ex loquendi quotidiana conſuetudine ſatis ſciunt, quibus in vocibus hæc vel illa litera ſit geminanda, etſi nullo puncto hac de re moneatur; maximè cum etiamnum hodie videamus, tum Judæos, tum Chriſtianos, hujus linguæ vel mediocriter peritos, Hebraica non punctata non difficulter legere, & quando literæ ſint geminandæ, divinare.

Et hinc concludit, *nequaquam vel Moſis vel Eſdræ tempore puncta eſſe excogitata; eò quòd illis temporibus lingua adhuc fuerit vernacula.*

℞. Ad hæc patet jam ex ſuperioribus. Non valet Conſequentia:

1. Notæ iſtæ Ortographicæ, ad ſcribendi & legendi rationem pertinentes, non ſunt extremæ duntaxat neceſſitatis cauſâ excogitatæ, ſed etiam commoditatis, elegantiæ, euphoniæ, facilitatis & perſpicuitatis gratiâ. Nam etiam hunc ſcopum habent iſtarum rerum Inventores.

2. Non ſunt excogitatæ duntaxat pro linguæ, & rerum omnium jam peritis; ſed, & magna ex parte, in gratiam tyronum, puerorum, parvulorum, mulierum, proſelytorum, & quorumvis de vulgo. His verò, cùm incipiunt diſcere legere, an iſtud punctum non ſit commodum, utile, adeoque neceſſarium, quilibet judicato.

3. Non ſunt excogitatæ duntaxat in uſum ſcriptorum vulgarium, humanorum, civilium, &c. ſed primò & primario, propter Scripturæ ſacræ lectionem. In hac verò adeò facilè cuivis, etiam cui lingua Hebræa eſt vernacula, eſſe iſta divinare, hoc nimis viliter & humiliter eſt judicare de majeſtate ſacrarum Scripturarum, aut nimis humano ingenio tribuere. Conſtat in V. T. ab omnibus legendam fuiſſe ſacram Scripturam; non tantùm ab eruditis. Ergo oportuit, ut quoque ita ſcripta fuerit, ut omnes eam facilè legere potuerint.

4. Jam ſuprà viſum, Eſdræ tempore uſum loquendi Hebraicè deſiiſſe magna ex parte inter Judæos; & quamplurimos Linguæ Hebrææ rudes & imperitos fuiſſe. Malè igitur concluditur, Eſdræ tempore non opus fuiſſe, ut iſtiuſmodi apiculi, quibus legendi ratio facilitaretur, excogitarentur. Ego hinc contrà potius ſic inferrem; *Si eo tempore excogitati aut excogitandi fuerunt iſti apiculi, quo & lingua Hebræa Judæis cœpit eſſe barbara & peregrina, & maxima*

na Legis Divinæ, Hebræa Lingua conſcripta, fuit inter Judæos cæcitas & ignorantia; tum omnino Eſdræ tempore id eſt factum, poſt reditum ex Captivitate Babylonica. At prius eſt. Ergo & poſterius.

Sed quia ipſe Revelator cogitur concedere, *hoc punctum etiam tum utile & commodum fuiſſe, etſi non ita ſimpliciter & abſolute neceſſarium, ac proinde non abſurdum eſſe, ut a Sacris Scriptoribus inter ſcribendum fuerit adhibitum*; nos quoque non diutius hîc immorabimur.

De *Nota Dageſch lenis* fortiùs rem urget, nequaquam illam à Moſe aut Eſdra eſſe libris Sacris additam.

Rationes affert duas:

I. Iterum *à Neceſſitate*; quòd *licet hunc habeat uſum, ut ſonum literarum* בגד כפת *corroboret, & ex aſpiratis tenues faciat; tamen non neceſſe fuerit adſcripto punctulo lectorem hujus linguæ gnarum hac de re monere: Ex aſſidua enim loquendi conſuetudine quemq; ſciviſſe, quando literæ illæ eſſent aſpirandæ, quando verò non.*

Quintimò, inquit, *ne iis quidem, qui linguæ Hebrææ rudes & imperiti ſunt, non neceſſarium eſſet; cùm tota res ad unicam regulam reduci poſſit, ac proinde ſatis eſſet, Ludimagiſtrum ſemel Diſcipulum monere; Literas iſtas initio dictionis, & in medio poſt Scheva mutum, eſſe tenues, alibi eſſe aſpiratas.*

Exceptiones adverſus hanc regulam generalem invexiſſe moroſiſſimam, & ſcrupuloſiſſimam Judæorum, de harum literarum pronuntiatione, ſuperſtitionem, &c.

℞. Ad hanc rationem eædem reſponſiones valent, quæ modò allatæ de uſu Dageſch lenis, & uberiùs fuêrunt ſuperiùs deductæ. Non neceſſe eas hîc repetere.

Quod de Exceptionibus adverſus regulam generalem de Uſu Dageſch lenis attinet, quas Grammatici in univerſum omnes afferunt, dicit; *illas ex moroſa & ſcrupuloſa Maſoretharum ſuperſtitione eſſe natas*; futile eſt. Quaſi verò uſus juxta has regulas legendi, demùm ſit introductus poſt conſcriptas iſtas regulas: & non regulæ iſtæ eſſent natæ ex obſervato loquendi & legendi uſu. Quis hoc credat, aut ſibi perſuaderi patiatur? כל זה הוא מִצַּד הַשִּׁמּוּשׁ ובכאן יחוד לבגד כפת לָקוּח מִצַּד הַקּוֹל וְהַקְּרִיאָה וכו׳ *Totum hoc*, ſcribit Ephodeus, *eſt ex uſu. Et proprietas literarum Begad Kephat* (quòd nempe

nempe aliquando tenues ſunt, aliquando aſpiratæ) *deſumpta vel petita eſt ex ſono & legendi ratione.*

Addam, illuſtrationis causâ, locum ex eodem Ephodeo ſub finem cap. 31. qui appoſitè admodum huc facit: Poſteaquam per totum illud caput prolixè uſum Dageſch lenis in literis בגד כפת explicaſſet, ſic tandem concludit: הנה שהעירותיך על כל מה שראוי להעיר עליו מענין הדגשות והרפיון לבגד כפת וכבר ישבתי במושב לצים ובסוד משחקים, יפטירו בשפה וילעיגו למו על הענין הזה וחשבו שהוא מותר ודבר שאין לו שחר ויטענו במה לנו אם נרפה המודגש או נדגיש הרפה אחר שנדע הכוונה ונשמור העניינים ונמשכו אחר דעת האומר שאין קפדה בשמות אחר הבנת העניינים וא״כ הוא בשמות כש״כ בדגש והרפה אמנם האמת הוא שהענין הזה הוא עיקר גדול ומעקרי הלשון והשמירה ממנו מחוייבת וכמו שהרפואה המורכבת תפסד צורתה בהחליש כח פשוטיה החזקים באיזה כח או איכות ובחזק החלושים והרפים כן הענין הזה בזות הלשון הקדוש כי יפסדו סדריו והסכמת מניחו אם לא ישמרו עניני הכללים האלה בדגשות והרפיון · ואין זה לבד בזה הלשון כי גם בשאר הלשונות: אם תחזק הרפה או תרפה החזק תפסד צורת הלשון hoc eſt, *Ecce monui te de omnibus, quæ obſervanda ſunt circa uſum Dageſch lenis in literis Begad Kephat, quando nempe ſint aſpirandæ, & quando dageſſandæ. Sedi tamen jam in conſeſſu deriſorum quorundam, & in conſilio illuſorum,* (h. e. Vidi autem quoſdam deriſores) *qui diſtenderunt labium ſuum, & totam hanc rem ſannis exceperunt, exiſtimantes, eam eſſe ſuperfluam, & non eſſe ei auroram* (hoc eſt, utilitatem ullam) *ſic nimirum argutantes; Quid refert, utrum Dageſſemus id quod aſpirandum, aut aſpiremus Dageſſandum, modo ſciamus intentionem, & res ipſas obſervemus, mentemq; authoris? Nam ſi non amplius ſolliciti ſumus de nominibus ſeu vocalibus, cum rem intelligamus; quantò minus ſollicitos eſſe conveniit circa Dageſch & Raphe. At verò certiſſimum eſt, Rem hanc eſſe fundamentum magnum, & quidem ex fundamentis ipſius linguæ, ejusq; obſervationem eſſe neceſſariam. Quemadmodum enim medicinæ alicujus compoſitæ forma corrumpitur, cum debilitantur virtutes ſimplicium ejus fortium, in aliqua facultate aut qualitate, cumq; roborantur debilia & lenia: ita quoque negotium ſe habet in hac Linguâ ſanctâ. Corrumpuntur namque ordines ejus, & placitum inſtitutoris ejus, ſi non obſerventur regulæ iſtæ de his literis Dageſſandis & Aſpirandis. Neque hoc tantùm locum habet in iſta lingua, ſed etiam in*

cæteris:

cæteris: ſi fortiter pronuntietur, quod tenue, & tenuiter quod fortius, corrumpitur certè forma linguæ. Pergit: ואם הוא אמת מה שאמרו אותו החז״ל מהלשון הזה הקדוש של חבור קולות מה ממנה סגולות נפלאות לשנות הטבעים כמו מה שאמרו מהשמות הקדושים וזולת זה הנה אין ספק שההזהר מזה הכרחי מאד · וכבר אמרו בספר תהלות כי לסדור מאמרי המזמורים ולתפלה בהם בנפש זכה סגולות רבות נפלאות והתפלה בהם לא תשוב ריקם · וכבר קראו הידיעה הזאת שמושא דתלים כמו שכתבתי · וגם בתורה השלימה אמרו שהיא כלה מלאה משמותיו של הב״ה · וצא וחשוב אם אם שמירת הרפיון והדגשות מחייבת אם לאו · ולא לחנם הקפידו בו בעלי המסרה והסופרים הקודמים שהיו קודמים לנביאים ולאנשי הקבלה *Et ſi verum eſt, quod ſapientes noſtri b. m. dicunt de lingua iſtâ ſanctâ, quòd compoſitio ſonorum ejus habeat proprietates admirandas, ad mutandas naturas, prout de Nominibus ſanctis dicunt; nullum eſt dubium, quin obſervatio hujus rei ſummè ſit neceſſaria. Sic dicunt de libro Pſalmorum, quòd ordinatio vel diſpoſitio dictorum ex Pſalmis, & Orationes inde confectæ, in animâ purâ habeat multas proprietates mirabiles, ejuſmodiq; oratio non vacua revertatur. Scientiam hanc appellarunt* שמוש תלים *Schimmuſch Tillim*, Uſum Pſalmorum, *ut alibi ſcripſi. Quin & de Lege univerſa dicunt, quòd tota plena ſit Nominibus ſanctis Dei Opt. max. Hinc ergo collige, utrum obſervatio Dages lenis & fortis neceſſaria ſit nec ne. Non de nihilo itaq; eſt, quòd tàm ſolliciti de eo fuerunt Maſſorethæ, & Scribæ antiqui, qui antiquiores fuerunt Prophetis & Cabaliſtis.* Hactenus Ephodeus.

In libro עין הקורא *En hakkóre*, quem manuſcriptum habeo: קוראי אמת יתעוררו על הדגשים להזהר בהם כי הם תיקון גדול ללשונינו הברורה ומצחצחים את המלות גם מהם נודע לפעמים תולדות התיבות *Vera lectionis ſtudioſi cauti quoq; erunt, ut diligenter obſervent Dages: illa enim ſunt decus magnum linguæ noſtræ ſelectiſsimæ, multumq; ornatus addunt vocibus. Quin etiam cognoſcuntur ex illis aliquando genealogiæ ſeu origines dictionum.*

II. Ratio, quam Revelator affert, ad evincendum, Dageſch lene non eſſe à Scriptoribus Sacris, ut putà Moſe aut Eſdra, hæc eſt:

Quòd diſcrimen hoc pronuntiationis ignotum fuerit LXX. Interpre-

tibus Græcis, & D. Hieronymo; ac proinde recentiſsimum illorum Maſoretharum inventum, qui Puncta invenerunt.

Ignotum autem illis fuiſſe punctum hoc, inde patet; quòd non modò his, modò illis literis Græcis aut Latinis, expreſſerint ſex iſtas Hebraicas, ſed ſemper unis iiſdemq́ue, ſive ſint cum Dageſch leni notatæ, ſive non.

Ad hanc rationem reſpondetur

1. Sive à Maſorethis Tiberienſibus, ſive ab Eſdra, inventum ſit Punctum hoc diſcretivum, ut ita dicam; hoc tamen extra dubitationem eſſe puto, cum Puncto iſto non tùm primùm quoque natam & introductam eſſe duplicem iſtarum literarum pronuntiationem: ſed eam, quæ in uſu tunc & antea jam fuerat, expreſſam & diſcretam. Sive enim Maſorethæ, ſive Eſdras author punctorum ſtatuatur; abſurdum tamen arbitror dicere, illos cum figuris novis, novam quoque legendi, loquendi, & pronuntiandi rationem invexiſſe. Quin potiùs eam quam didicerant, & à Majoribus acceperant, quàm fieri potuit, accuratè exprimere & referre voluerunt.

2. Quis credat, differentiam hanc pronuntiationis demum 500. aut 600. poſt Chriſtum natum annis ortam. Ante Maſorethas iſtos fictitios literæ iſtæ jam ſic fuere pronuntiatæ, aut non. Si antè fuerunt; ergo ipſis & Hieronymo antiquior. Si non ante fuerunt, quomodo potuerunt Judæis per totum mundum diſperſis novam hanc pronuntiandi legem & conſuetudinem perſuadere, inculcare? Abſurdum hoc eſt abſurdiſsimum, nec cuiquam facile perſuadendum. Certè, ſi laborem inquirendi & inveſtigandi in hanc rem ſumere quis velit, non dubito, quin antiquiora longè ejus veſtigia ſit reperturus.

Ephodeus hanc differentiam adſcribit *Authori Scripturæ Hebrææ*, cap. 5. ואולי יאמר אומר כִּי בַּעַל הַכְּתָב הִנִּיחַ שְׁתֵּי צורות לְקול אֶחָד וְהֵם הַסָּדִי והסמך · הַקּוף וְהַכַּף הַדְּגוּשָׁה · הַוָּאו וְהַבֵּית הָרָפָה · טֵית והתָּיו הדגושה · וְהָאֱמֶת כן הוא אצל קְרִיאָתֵנוּ הַלָּשׁוֹן הָעִבְרִי הַיּוֹם · ואולי הָיוּ אלה הַצּוּרוֹת אצלם לקולות מתחלפים כִּי אֵין אֲנַחְנוּ היום בְּקִיאִים בַּקְּרִיאָה hoc eſt, *Dicat autem fortaſsis aliquis, Authorem Scripturæ poſuiſſe duas figuras ſono uni; nempe, Sade & Samech; Koph & Caph Dageſſatum; Vau & Beth raphatum; Tet & Thau dageſſatum. Et revera ita eſt, prout nos hodiè linguam Hebræam legimus. Fortaſsis autem fuerunt figuræ iſtæ diverſæ, apud priſcos notæ ſono-*

rum

rum quoque diverſorum. Nos enim hodiè nequaquam ſumus exercitati in lectione linguæ Hebrææ, ſicut explicabitur. Et alibi ſcribit; *Tiberienſes potuiſſe has literas diſtinctè pronuntiare.*

Et ex Hebręis patet, quòd à multis jam ſęculis, longè ante Grammaticorum & Maſoretharum, imò & Talmudicorum tempora, literæ iſtæ ſex, quibus & ſeptimam *Reſch* addiderunt, *ob duplicem pronuntiationem* appellatæ fuerint אותיות כפולות *Literæ duplices.*

Liquet hoc ex libro יצירה *Jetzírah*, quem, ob ſummam & ignotam Antiquitatem, Abrahamo Patriarchæ attribuunt; non quidem quòd ab eo verbotim ſit conſcriptus, ſed quòd credant, doctrinam continere continuâ ſerie per traditionem oralem inde ab Abrahamo Patriarcha derivatam. Id quidem ſuis authoribus relinquimus. Hoc tamen certum, ante Talmud jam fuiſſe: quia in Talmud ejus fit mentio in libro Sanhedrin cap. 7. & per conſequens etiam ante iſtos Maſorethas. Eo igitur in libro cap. 4. ſic legitur de his literis: שֶׁבַע כפולות בג״ד כפר״ת מִתְנַהֲגוֹת בִּשְׁתֵּי לְשׁוֹנוֹת יסודן חַיִּים וְשָׁלוֹם וְחָכְמָה וְעוֹשֶׁר חֵן וזֶרַע וּמֶמְשָׁלָה וּמִתְנַהֲגוֹת בִּשְׁתֵּי לְשׁוֹנוֹת בב׳ דד׳ גג׳ פפ׳ רר׳ תת׳ תַּבְנִית רַךְ וְקָשֶׁה תַּבְנִית גִּבּוֹר וְחַלָּשׁ כפולות שֶׁהֵן תמורות תְּמוּרַת חַיִּים מָוֶת תְּמוּרַת שָׁלוֹם רַע תְּמוּרַת חָכְמָה אִוֶּלֶת תְּמוּרַת עוֹשֶׁר עוֹנִי, תְּמוּרַת חן כִּיעוּר תְּמוּרַת זֶרַע שְׁמָמָה תְּמוּרַת מֶמְשָׁלָה עַבְדוּת, שֶׁבַע כפולות בג״ד כפר״ת כְּנֶגֶד שֶׁבַע קְצָווֹת מֵהֶן שֵׁשׁ קְצָווֹת מַעְלָה וּמַטָּה מִזְרָח וּמַעֲרָב צָפוֹן וְדָרוֹם. וְהֵיכָל הַקֹּדֶשׁ מְכֻוָּן בְּאֶמְצַע וְהוּא נוֹשֵׂא אֶת כּוּלָן וכו׳ hoc eſt, *Septem literæ ſunt Duplices* בג״ד כפרת, *quæ duplicem habent linguam, h. e. pronuntiationem; Fundamentum illorum eſt; Vita, Pax, Sapientia, Divitiæ, Gratia, Semen, & Dominium. Dupliciter autem pronuntiantur, BBh: GGh: DDh: C, Ch: PPh: RRh: T th; pronuntiatione nimirum molli & dura, forti & debili. Duplices etiam ſunt, quia ſimul Permutationes ſignificant, hoc eſt, Rem, & ejus Contrarium. Sic Permutatio Vitæ eſt Mors; permutatio Pacis eſt Malum; permutatio Sapientiæ eſt Stultitia; permutatio Divitiarum eſt Paupertas; permutatio Seminis, Deſolatio; permutatio Dominii, Servitus: Septem etiam Duplices, reſpectu ſeptem Extremitatum: Sex illarum ſunt Extrema; videlicet, Suprà & Infra, Oriens & Occidens, Aquilo & Auſter; Templum verò Sanctum eſt in Medio, & ſuſtinet omnia, &c.*

Ad hanc Miſchnam ſive *Δευτέρωσιν* ſcribit Rabbi Moſes Butrillo in ſuo Commentario; *Rabbi Aharon, maximus Cabaliſta, caput Aca-*

demiæ Babelis, ſcribit de hac re in hæc verba; Author libri Jezirah ſcripſit, & vocavit literas בגד כפרת *Septem Duplices:* quia nullæ aliæ literæ ſunt in Alphabetho, quæ admittunt pronuntiationem tenuem & aſpiratam, præterquam iſtæ ſeptem. Et hanc ob cauſam vocantur כפולות *Duplices, &c.*

R.Elieſer de Garmiſah: *Abraham Pater noſter ſcribit in libro Jezírah*; Septem ſunt literæ Duplices בגד כפרת. *Vocat has literas* Duplices, *quia veniunt cum Dageſch & Raphe, ſive literæ ſit ſolitaria, ſive aliis literis inſerta. Reliquas duodecim literas Simplices non poteſt homo duobus iſtis modis pronuntiare, cum Dageſch & Raphe. Atq; hoc eſt quod dicit* רך וקשה Molli & Durâ: רך *enim eſt quod aliâs vocavocatur* רפה Raphe: קשה *eſt quod aliâs vocatur* דגש Dageſch. *Septem verò duplices veniunt cum Dageſch, & ſine Dageſch, &c.*

In eundem ſenſum explicat R.Abraham ben Dior.

R. Saadias Gaon; *Ideò vocantur* Duplices, *quia quandoque ſunt* דגושות Dageſſatæ, *quandoque* רפויות *Raphatæ.*

Mentio etiam harum Septem literarum Duplicium, in libro Zohar in Geneſin col.153.

Hinc ab omnibus quoq; Grammaticis Hebræis vocantur iſtæ literæ אותיות כפולות *Literæ Duplices*; niſi quòd Maſorethæ, & Grammatici poſteriores, ex illarum numero exemerint *Reſch.* De qua re Ephodeus cap. 31. ſic ſcribit: והמדקדקים ואנשי המסרה לא זכרו הריש לא שיהיו חולקים בזה על סברת בעל ספר יצירה כי האמת הוא כמאמרו כי לריש שני קולות ג״כ בדגשות וברפיון אבל כי הם ירצו להניח בזה כללים יודע מהם מתי תהיה האות דגושה ומתי תהיה רפויה ומשפט הריש בלתי נכלל בכללים האלה ותנועתה נדגשות והרפיון יודע מכלל אחד וכו׳ hoc eſt, *Grammatici autem, & Maſorethæ, non recenſuerunt in eorum numero literam Reſch; non quod diſſenſerint ab opinione authoris libri Jezírah: nam veritatem ipſe dixit, quòd Reſch etiam duas habeat pronuntiationes, cum Dageſch & Raphe: ſed quia illi voluerunt conſtituere certas Regulas, ex quibus cognoſci poſſet quando litera aliqua ſit Dageſſata, & quando Raphata, iis autem Regulis non contineatur Reſch, cujus Dageſſatio aut Raphatio poteſt dignoſci ex Regula unica, &c.* De Reſch vide etiam Kimchium in Michlol fol.108.2. ubi Regulam tradit, quando ſit רך *Molle*, i. e. raphatum, ſeu aſpiratum; & quando ſit קשה *Durum*, ſive cum Dageſch.

Talmudicorum tempore litteras has duplicem & diſtinctam habuiſſe

buiſſe pronuntiationem, variis documentis ex ipſo Talmud oſtendi poteſt.

Quòd *Daleth raphatum* aliter fuerit pronuntiatum quàm *Dageſſatum*, patet exemplo quodam, quod legitur in Talmud Tractatu Nidda fol.36. col.2. ubi legitur: אי לא צ״ית גדייה הוא סבר גדייה *Si non auſcultaverit,* גדייה; *alter exiſtimavit, illum dicere* גדייה. Qui verbum hoc pronuntiavit, protulit Daleth raphe, ſive cum aſpiratione, q. *Gáſjeh*, hoc eſt, *Trahe, attrahe, attolle eum*, ſc. bonis verbis: alter qui auſcultavit, intellexit *Gadjeh*, Daleth ſc. cum Dageſch leni, ſine aſpiratione prolato, h. e. *Excinde illum*, ut in Additionibus Talmudicis notatur, quarum verba ſunt, אִיהוּ אָמַר לֵיהּ גדייה בְדָלֶת רָפֶה והוא סָבַר גַּדְיֵהּ בִדָגֵשׁ. Sic *Daleth raphatum* pronuntiatione nonnihil conveniebat cum *Sajin*. Hinc ſcribitur in libro Cabaliſtico *Kené binah*, f.32.2. הַדָלֶת רְפוּיָה הִיא נִקְרֵאת כְּמוֹ זַיִין כְּמִשְׁפַּט לְשׁוֹן הָעִבְרִי *Daleth raphatum legitur ad inſtar Sajin, ex conſuetudine linguæ Hebrææ.* Et paulò poſt: הַדָלֶת רפוּיָה קְרִיאָתָהּ זַיִין ות׳ רְפוּיָה קְרִיאָתָהּ סָמֶךְ *Daleth raphatum legitur ut Sajin, & Thau raphatum legitur ut Samech.*

ב *Beth* raphatum ſeu cum aſpiratione, neque ſemper *leniter*, olim fuiſſe pronuntiatum, præter alia oſtendit crebra ejus apud Talmudicos Scriptores cum *Vau conſona* permutatio, & quòd in exprimendis vocabulis Græcis, per *υ Ypſilon* ſcriptis, promiſcue adhibeatur nunc *Vau*, nunc *Beth*. Sic legitur promiſcuè הַוָאי, & הבאי: Græcum εὐγενὴς εὐγενέστατος, in antiquis Medraſchim ſcribitur אבגנסטטו & אוגנסטטו, אבגינוס & אוגינוס: Græcum Βουλευτὴς exprimitur per Vau in medio, בולווטוס, & per ב בלביטין & בלבטין pro בולבטין, in Talm. Hieroſ. Sanh. cap. 1. Devárim rabba ſect. עקב. Pro ὑδραυλὴς in Talmud eſt הדרבלין. Latinum *Vivarium*, in Talmud exprimitur per Beth ביבר. Cur non per Vau? quia Vau & Beth aſpiratum, affinem habent ſonum. Sic Latinum *Vive*, exprimitur in Medraſch Echa cap.1. v.5. per Beth: ביבי מארי אפלטור *Vive Domine Imperator.* Θησαυρὸς, *Theſaurus*, טסברין & תסוורין &c. Idem docet etiam hoc, quòd ב & פ ſæpè permutantur. Sic dicitur הבקר & הפקר promiſcuè, ברזל & פרזל; בקע & פקע.

כ *Caph* utroque modo, ut Ch, & ut K fuiſſe lectum Talmudicorum tempore, ſimilibus exemplis poteſt demonſtrari, in quibus per hanc literam Græca exprimuntur, quæ tam per *Cappa*, quàm

per Chi ſcribuntur. Sic legitur כְּכלי pro Græco κύχλω : כוסכס pro Græco κύκλος : כְּרוּסְפְּדִין pro Græco κράσπεδον : כפרוסא pro Καμάρωσις, &c. לַכָּא pro *Lacca*. Quare non uſi ſunt literâ ק? Quia כ Dageſſatum, & ק Koph, affinem habebant pronuntiationem.

De litera פ idem innumeris exemplis demonſtrari poſſet, quòd jam eo *tempore & pro* Ph vel F, & P lectum fuerit.

De ת *Thau* etiam occurrent exempla; ut, in Medraſch Eſth. cap.1. v.9. & Vajik. rab. ſect.19. *Semiramis* legitur expreſſum per ת in fine, שְׁמִירָמִית. Ergo T etiam antiquitùs jam ſic fuit aſpiratum, ut ejus pronunciatio aliquid affine cum S habeat.

Tempore Chriſti & Evangeliſtarum jam duplicem hanc pronuntiationem notam & uſitatam fuiſſe, ex ſequentibus exemplis patet.

Κηφᾶς eſt Syrum כֵּיפָא; unde patet, כ Kaph eo tempore dageſſatè fuiſſe pronuntiatum: ſecus ſcribendum fuiſſet χηφᾶς: Ἰόππη *Joppe*, eſt Hebræum יָפוֹ: Σάρεπτα eſt Græcum צָרְפַת. Ergo פ etiam jam tum utroque modo fuit uſurpatum. Καπερναούμ eſt Hebræum כְּפַר נָחוּם, ubi utriuſque literæ & כ & פ pronuntiatio eſt dageſſata. *Paſcha* πάσχα, Græcum פֶּסַח. παράδεισος eſt Hebræum פַּרְדֵּס. Hebræum כּוֹרֶשׁ LXX. Græci exprimunt Κύρος, non χύρος.

Ex his ergo ſatis liquet, Antiquam eſſe duplicem pronuntiationem harum literarum, & diu ante Hieronymum fuiſſe: unde alia quærenda cauſa, cur ille ſemper unis iiſdemque literis eas expreſſerit, ut & LXX. Septuaginta, non potuerunt ſuis literis commodè pleraſque iſtas literas aſpiratas exprimere, ut. ב · ג · ד. In aliis fortaſsis, ut & ipſe Hieronymus, voluerunt ſic ipſam genuinam conſonam exprimere in textu Hebræo extantem; maximè quòd & tùm exemplaria Biblica, nudis conſonis, ſine punctis eſſent vulgò uſitata. Meum non eſt factu ipſorum rationem reddere. Sufficit ex Hebræis demonſtraſſe, diu ante Hieronymum, & ipſos Maſorethas Tiberienſes, dupliciter fuiſſe literas iſtas pronuntiatas.

Excipitur: *Atqui Hieronymus ſcripſit; Hebræos ignorare literam* P!

℞. Id poteſt de Figura propria ac peculiari explicari, non de Poteſtate. Nam ex iis, quæ dicta ſunt, certum eſt, Hieronymi tempore jam illas literas dictas fuiſſe *Duplices*, & dupliciter fuiſſe pronuntiatas. Ecquis credat, Hebræos caruiſſe literâ P, h. e. poteſtate & valore illius literæ? Et ſi literæ פ denegetur pronuntiatio

tio

tio lenis, quâ ratione literæ ג, quæ illi eſt homogenea, ea perpetuo aſsignatur? Suprà vidimus, ב & פ ob ſoni affinitatem inter ſe permutari, & unam pro altera poni. In הבקר & הפקר eſt exemplum pronunciationis aſpiratæ *hevker*, *hephker*: In פרזל, ברזל pronuntiationis lenis, *Barſel*, *Parſel*. Certè, ex Antagoniſtæ ſententia; Si unicam tantùm habent pronuntiationem, cùm ita inter ſe permutentur, vel utraque erit aſpirata, vel utraq; tenuis. Atqui neutrum eſſe poteſt, ex ejus ſententia: quia literam Beth, dicit ubique eſſe tenuem, literam Phe, ubique raphatam. Ergo nequeunt unicam duntaxat habere poteſtatem, ſed duplicem; ut nunc pronuncientur cum aſpiratione, nunc ſine illa. Annon K apud Græcos ſuum habet nomen Κάππα ab Hebræis aut Chaldæis? Κάππα enim eſt ipſiſsimum כַּפָּא Chaldæorum. An autem a mille demum annis id nomen apud Græcos accepit, poſt tempora nimirum Maſorethaurum? In Medraſch Echa cap. 1. v. 1. כפא בלשון יון עשרים Κάππα (litera ſcil.) *in lingua Græca valet viginti*. Hinc apparet, & Hebræos & Chaldæos, à quibus hoc nomen Græci acceperunt, olim; ut hodiè, dixiſſe *Caph*, *Cappa*; non *Chaph*, aut *Chaffa*. Plura in hanc rem reperiri poſſent, niſi ea mihi, & lectori tædioſa eſſent ac moleſta.

IV. *DE LINEOLA RAPHE.*

Porrò, quando hæ ſex literæ Duplices aſpiratæ eſſent, ſcribebatur olim ſuper illas Virgula tranſverſa, quam רָפֵי *Raphe* dicebant, ut פֿ. רָפֵי *Raphe* enim idem quod *Remiſſum*, *Lene*; cujus veſtigia adhuc alicubi in Bibliis Hebraicis extant, Exod. 20. v. 9. 13. 14. 15. Ejus uſus cæteroquin in libris Hebraicis exoluit: perpetuus autem in libris Hebræo-Germanicis, in mulierum, plebejorum & puerorum gratiam conſcriptis, immò & neceſſarius.

Quibus igitur Argumentis oſtendit Revelator, punctum Dageſch lenis non fuiſſe olim neceſſarium, ac proinde neque eſſe a Moſe neque ab Eſdra, iiſdem, dicit, *idem evinci de hac lineola Raphe; niſi velimus affirmare, Sanctos illos homines minùs neceſſarios adhibuiſſe inter ſcribendum apiculos.*

℟. Qui-

℞. Quibus fundamentis ac rationibus ad iſta argumenta ſupra fuit reſponſum, eædem & hîc ad iſtud argumentum enervandum valent:

Poſſumus tamen colligere contra Revelatorem, Literas iſtas olim duplicem habuiſſe pronuntiationem: quia pronuntiatio aſpirata olim, quando ſine punctis Hebraica ſcribebant, hac lineolâ fuit deſignata, quæ in antiquiſsimis libris Hebraicis conſpicitur.

Deinde oſtendit ea nobis etiam neceſsitatem Dageſch lenis apud eos, quibus lingua etiam eſt vernacula. Annon Lingua Germanica hodiè Judæis eſt ſatis familiaris, adeoque vernacula; non minus ac Germanis Chriſtianis? Cur ergo adhibent iſtam lineolam in libris Germanicis Hebræo charactere editis? Propter mulieres, parvulos & alios, atq; in genere ad facilitandam lectionem. Eandem ergo ob cauſam olim adhiberi & excogitari potuit ſine ulla abſurditate.

Excipit Revelator: *Si iſta lineola à Moſe vel Eſdra fuit, cur jam expuncta eſt è libris Sacris? Annon Sacrilegium fuerit, id è ſacro textu expungere, quod à ſanctis illis Prophetis profectum eſſet? At vero non probabile eſt, vel Judæos, vel Chriſtianos, tale ſacrilegium commiſſuros fuiſſe. Addita ergò omninò fuit à recentioribus librariis illa lineola.*

℞. An hujus lineolæ inventio vel Moſi vel Eſdræ ſit adſcribenda, non definimus, neque illa eſt inter ea Puncta, de quibus nunc eſt quæſtio.

Num etiam illa olim ubique, in libris ſine punctis exaratis, uſurpata & adhibita fuerit deſignandæ aſpirationi literarum Begad Kephat, ignoramus.

Quod ſi tamen quis dixerit, olim, ante tempora Eſdræ, cùm libri Hebraici ſine punctis ſcribebantur, hanc lineolam in iſtum uſum adhibitam fuiſſe, quid abſurdi dixerit? Quod ſi addat, vel Eſdram, cùm totam punctandi & legendi rationem, quam nunc conſpicimus, de novo invenit, hanc lineolam ob multitudinem punctorum & accentuum expunxiſſe, & in ejus locum punctum ſubſtituiſſe imſertum his literis, non quando aſpiratæ eſſent, ſed cùm aſpiratio tollenda erat, an propterea Eſdram ſacrilegii inſimulabit? Nequaquam. Eſdras Vir fuit dono Prophetico inſtructus, ad reparandam & reſtituendam Dei Legem à Deo vocatus: Quâ authoritate, ſine ſacrilegio, potuit Puncta & Accentus Scripturæ

pturæ Sacræ addere, quæ antea non erant, eadem potuit illam virgulam omittere ſine facinore, aut cum puncto alio commutare æquipollente. Quî etiam magnum erit crimen, ſi ejus omiſsio poſterioribus ſcribis attribuatur? Et qui tam immane ſacrilegium hinc elicit Revelator noſter, qui alibi defendit, Eſdram totam Scripturam veterem Hebraicam, literas omnes Hebraicas ſuſtuliſſe, & in illarum locum Aſſyriacas ſubſtitui ſe? Majusne eſt virgulam unicam expungere alicubi, & in punctum illam commutare, quàm omnes literas tollere, & cum aliis permutare? Ut Revelator de Literis dicit, illas potuiſſe ſine facinore aliis æquivalentibus permutari; quid vetat, quo minus & hæc lineola in aliam æquivalentem commutaretur? Vide ejus Diatrib. de Literis p.8[illegible]. & ſeqq.

Author libri *Arúgas habbóſem* cap.6. ſcribit, illam omiſſam fuiſſe propter Accentus, ne cum illis confundatur: דע כי הָרָפֶה הוא קו מְשֻׁכָּב עַל הָאוֹת לְהוֹרוֹת עַל רִפְיוֹנָהּ וְנָהֲגוּ לְהַשְׁמִיטוֹ מִפְּנֵי הַטְּעָמִים שֶׁעַל הַתֵּבָה *Scito*, inquit, *quòd Raphe ſit lineola recumbens ſupra literam ad docendum de aſpiratione ipſius. Conſueverunt autem nunc illam omittere propter Accentus, qui ſunt ſupra dictiones.*

In *Liſjas chen* cap. 17. מֵאַחַר שֶׁאִי אֶפְשָׁר לְהָנִיעַ אות מִבְּלִי שֶׁיְּחַזֵּק או יַרְפֶּה קְרִיאָתוֹ לָכֵן שָׂמוּ קו אֶחָד עַל אות בגד כְּפַת נִקְרָא רָפֶה לְהוֹרוֹת רִפְיוֹן ׃ וּלְרוֹב הַתְּנוּעוֹת וְהַטְּעָמִים הַסּוֹפְרִים השמטוהו וּנְטָשׁוּהוּ וּלְהוֹרוֹת עַל חֹזֶק שָׂמוּ נְקוּד תּוֹךְ הָאוֹת שְׁמוֹ דָּגֵשׁ וְהֵם שְׁנֵי מִינִים קַל וְחָזָק *Cùm fieri non poſſit, ut moveatur vel pronuntietur litera, quin lectio ejus vel intendatur, vel remittatur, idcircò poſuerunt olim lineolam ſupra literam* בגד כפת, *quæ* Raphe *vocabatur, ad docendum de remiſſione ſive aſpiratione ejus. Propter multitudinem autem Vocalium & Accentuum Scribæ omiſerunt eam: Et ad ſignificandam pronuntiationem fortem impoſuerunt punctum in medio literæ, Dageſch dictum, quod duplex eſt, Forte & Lene, &c.*

Sic ſcribit Auguſt. Sebaſtianus Nouzenus in libello de prima ſermonis Hebraici lectione: *Quamobrem, cum iſtius lineolæ naturam à Dageſch abſentia metirentur quidam, in univerſum adſcribere neglexerunt, ne variis plurimiſq; hinc inde punctis ac lineis, quibus & Accentus quoque ſignificantur, ſcripturam alioquin ſatis gravatam epiſtylis, partim onerarent, partim etiam figurarum ſimilitudine confunderent. Arbitrantes ſiquidem, vel a rudibus ſatis intelligi poſſe, eam nimirum quæ Dageſch abjeciſſet literam, ad remiſſiorem pronuntiandi mo-*

dum, beneficio Raphe eſſe inclinandam, etiamſi nuſquam Raphe adſcriberetur.

Ego certè hactenus, præter Revelatorem, neminem vidi, qui vel ſuperfluam olim hanc lineolam judicarit, cùm ſine punctis ſcriberetur; vel malâ fide nunc ablatam, cùm præſentibus punctis illa loco eſt mota. Nullius itaque ſoliditatis hæc quoque eſt ipſius ratiuncula.

V. *DE MAPPIK.*

Ejuſdem farinæ eſt, quod affert de puncto *Mappik*, quod in fine vocis inſcribitur literæ He, quotieſcunq; illa eſt pronuntianda;

Ut, inquit, *nolim negare, utile eſſe & commodum hoc punctum hodiè illis, qui linguæ Hebraicæ rudes ſunt & ignari: ita etiam planum eſt, ſupervacaneum id eſſe illis, quibus lingua iſta eſt vernacula & familiaris. Hi enim id ſciunt ex uſu, & quotidiana loquendi conſuetudine, &c.*

Itaque neque à Moſe neque ab Eſdra eſt excogitatum.

℟. 1. Ad Antecedens iterum repetenda ſunt ea, quæ ſuprà ſcripſimus.

2. Negatur de conſequentia tempore Eſdræ: quia ex ipſa Revelatoris confeſsione, quam ſuprà audivimus, tempore Eſdræ jam Judæos propriæ linguæ cepit oblivio, & lingua Chaldaica ipſis evaſit vernacula. Hinc ergo potiùs concludere licet, tum temporis fuiſſe neceſſarium, ac proinde ab Eſdra excogitatum.

VI. *DE PUNCTO DEXTRO AC SINISTRO τῶ SCHIN.*

De Puncto dextro & ſiniſtro, quo litera ש hodiè notatur, ejusque literæ diverſa pronuntiatione, quâ hodiè profertur, prout punctum vel in hoc vel in illo cornu gerit; dicit Revelator;

Pronuntiatio hujus literæ duplex ignota fuit LXX. Græcis, item D. Hieronymo, horumq; tempore ש unicum duntaxat habuit ſonum, non geminum, ut hodie: ignotum quoq; fuit D. Hieronymo iſtud punctum.

Ergo poſt Hieronymum demum & gemina iſtius literæ pronuntiatio nata: & punctum hoc diſcretivum inventum; non tam ad deſignandum geminum ejus ſonum, quàm ad tollendam, in rudiorum gratiam, quarundam

rundam vocum homonymiam, quæ abſq; illo puncto ambiguæ forent ſignificationis.

Antecedens inde probat; *quòd L X X. Interpretes illam literam ſemper exprimant per Sigma Græcum & Hieronymus per literam S, quocunque puncto affectam. Præterea, quòd Hieronymus, quùm de litera iſta verba facit, unum ei aſſignet ſonum, non geminum, quod non feciſſet, ſi jam ipſius tempore à Judæis (a quibus linguam Hebræam edoctus fuit) bifariam pronuntiatum fuiſſet iſtud elementum.*

℟. Ponit hîc Revelator, hanc literam antiquitùs, & uſque ad tempora Maſoretharum, unum duntaxat, non geminum, habuiſſe ſonum: & hinc concludit, punctum hoc duplex antiquitùs quoque fuiſſe ignotum. Non entis enim nulla ſunt accidentia. Ego, ut ſæpiùs antehac, ita & hîc neminem Hebræorum vidi, qui de geminæ pronunciationis hujus literæ veneranda & cana antiquitate dubitârit: ſed omnes eam unanimiter agnoſcunt, & extra omnem dubitationis aleam ponunt.

Dico ergo; Litera hæc vel jam olim ante tempora Maſorethacum habuit geminum ſonum; vel non habuit.

Si habuit, adeoque unà cum ipſis literis accepit geminam hanc prolationem, quid vetat, quò minus & punctum hoc diſcretivum vel ipſi Literarum, vel Punctorum inventori, ut putà, vel Moſi, vel certè Eſdræ adſcribatur & attribuatur? Nam cùm multæ voces abſque hoc puncto diacritico ſint ambiguæ, neceſſarium fuit tempore Eſdræ, quo lingua Hebræa, vulgo maxime Hebræorum, cæpit fieri peregrina & barbara, tale aliquid apponere, quo homonymia collatur.

Si non habuit; ſequitur, Maſorethas demùm geminum hunc ſonum, & geminam pronunciationem, cum gemino iſto puncto introduxiſſe.

Atqui hoc valdè videtur abſurdum.

Nam haudquaquam probabile eſt, Maſorethas Tiberienſes (qui omnium ultimi & recentiſsimi fuerunt) hoc vel voluiſſe vel potuiſſe facere.

Non voluerunt procul dubio hoc facere. Quis enim credat, illos voluiſſe novam legendi loquendique Hebraicè rationem introducere, & veterem, à Patribus majoribusque acceptam, abrogare?

Non potuerunt hoc facere; Quod ſi enim Judæi uſque ad illorum tempus alii pronunciationi fuerunt aſſueti, & aliam in Sabbathinis ſuis, Moſis & Prophetarum, lectionibus obſervarunt, & à Majoribus acceperunt; credibile'ne eſt, illos hujus Criticorum paucorum manipuli, imò unius duntaxat Ben Aſcheris authoritate potuiſſe dimoveri, & ad novam amplectendam & ſequendam perſuaderi? Et ut maximè iſti Tiberienſes hoc apud ſuos populares in Judæa, vel etiam Babyloniâ, obtinuiſſent; cùm Judæi eo tempore per totum orbem ferè jam diſperſi eſſent, quomodo id tam ſubitò potuerunt publicare, propagare, adeoque per totum mundum omnibus ubique imperare?

Itaque planè non eſt probabile, illos primos hujus geminæ pronuntiationis authores eſſe, utut puncti illius inventores eſſent.

Nam, ſi illi punctum hoc invenerunt, & primi adſcripſerunt, procul dubio non aliâ re ad illud excogitandum permoti fuêre, quàm quòd ex legendi uſu & praxi, per traditionem à Majoribus acceptâ, obſervarint, unam hanc eandemque figuram, pro vocum diverſitate, diverſam habere pronuntiandi & efferendi rationem, ut ſuprà quoque de Dages & Raphe dictum. Unde hoc punctum ſignum certiſsimum eſt, ante ipſos antiquitùs aliam atque aliam literæ hujus fuiſſe pronuntiationem. Abſque hoc illi nunquam puncta diverſa huic literæ appoſuiſſent.

At, inquit, nec LXX. nec Hieronymus diſcrimen hoc noverunt: quia ſi noviſſent, procul dubio id alicubi expreſſiſſent.

Suprà dixi, meum non eſſe, facti ipſorum reddere rationem. Confuderunt illi etiam alias literas, quæ diſtinctæ ſunt: Et aliquando unam eandemque diverſis expreſſerunt.

Quod ſi tamen dicamus, utriuſque שׁ *&* שׂ pronuntiationem fuiſſe affinem, quam affinitatem & differentiam Græci & Hieronymus non potuerint commodè exprimere & referre, nihil forſaſsè abs re dixerimus.

Hodiè equidem à Judæis Germanis, Polonis, Bohemis, & aliis, cùm punctum in dextro gerit cornu, pronuntiatur ad inſtar Sch, à quibus & nos illam pronuntiandi rationem accepimus; cùm in ſiniſtro, ut S; an verò illa accuratè exprimat veterem & genuinam ejus poteſtatem, dubitari poſsit? & forſan non ita magna ut hodiè; aliqua tamen, eaq; perceptibilis, erat inter שׁ & שׂ differentia.

Placet

Placet hic addere, quæ [illegible] in ſuo *Peculio Abrahæ* hac de re ſcribit: השין כשתהיה נקודה על ראשה הימני אז קריאתה קריאת השין באמת וכשהנקודה בשמאל אז תהיה קריאתה קריאת הסמך ׃ ולפי דעתי שאף כשהנקודה בשמאל אין קריאתה קריאת הסמך ממש אבל קרובה אליה ובחמרת הקרבה נראית קריאתן אחת׃ אף כי על האמת יש הפרש ביניהן כי קריאתה אמצעית בין השין ימין ובין הסמך ׃ שאם לא כן לא נראה איך נפל טעות גדול כל כך בפליטי אפרים בימי יפתח שנאמר בהם ויאמרו לו אמור נא שבולת ויאמר סבולת׃ וגדולה מזאת כי נעים זמירות ישראל באלפא ביתא באורת השין שם מעורבות אות שין שמאל ושין ימין כי שם בוה שרים רדפוני שש אנכי שמאל שקר שנאתי שבע ביום הללתיך ימין שלום רב ימין שברתי לישועתך שמאל שמרה נפשי שמרתי פקודיך ימין שזה יוכיח היות שין שמאל בינונית בין השין והסמך hoc eſt, *Quando* ש *punctum habet ſuper verticem dexterum, tum lectio ejus eſt lectio Schin revera: quando verò punctum habet in vertice ſiniſtro, tum lectio ejus eſt ut Samech. Meâ tamen ſententiâ, etiam cùm punctum habet in ſiniſtro cornu, non eſt pronuntiatio ejus revera ut* ה *Samech, ſed affinis ipſi. Et propter affinitatem videtur lectio utriuſque eſſe eadem, etiamſi revera ſit inter illas differentia. Lectio enim ejus intermedia e[illegible]ter Schin & inter Samech. Niſi enim ita eſſet, non video, quomodo error tam craſſus fuiſſet in profugis Ephra[illegible]im tempore Jephthæ, ſicut de illis dicitur Jud.12.* Et dixerunt *ei, dic* Schibboleth, *& dixit* Sibboleth. *Evidentius autem id liquet ex eo, quod Hieropſaltes in Pſalmo centeſimo decimo-nono in litera* ש, *mixtim poſuerit* ש *&* ש. *Nam in* שרים רדפוני *&* שש אנכי *eſt Sin: in* שקר שנאתי, *&* שבע ביום *eſt Schin. Sic* שלום רב *eſt cum Schin;* שברתי לישועתך *cum Sin? Hoc certè arguit, quod* שין שמאל *Sin intermedium ſit inter Schin & Samech.* Et ſuprà p. 208. audivimus Ephodeum ſcribentem, *quòd exiſtimet,* apud antiquos *differentiam pronuntiationis fuiſſe inter Samech, Sin,* & *Tzade; ut aliter pronunciatum fuerit* סורר, *aliter* שורר, *aliter* צורר.

ש cùm punctum in dextro gerit cornu, non propriè olim ſonaſſe id quod apud Græcos χ, vel Sch apud Latinos & Germanos, hinc etiam forte colligi poſsit, quòd Vocabula Græca per χ ſcripta, in Talmud & Medraſchim antiquis non per ש, ſed per ס & כ ſint expreſſa; ut σχῆμα אסכימא Schema: σχολὴ אסכולי: σχεδία אסכדיא.

Quod ſi ergo affinis fuit pronunciatio harum duarum literarum, quid mirum, ſi unâ eademque literâ eas expreſſerint?

Et, ſi nulla fuiſſet inter eas ſoni differentia, quæ quæſo confuſio verborum fuiſſet: *Sur*, ſignificaſſet Canere: Principatum gerere, Recedere: Murum, שור: Arctare: Formare, Fingere: Rupem, צור (quia Tzade Græci etiam per S exprimunt). Nulla fuiſſet differentia inter שִׂבֵּר *Sperare*, & שִׁבֵּר *Confringere*; שכל *Intelligere*, & שכל *Orbari, Orbare*: שכר *Inebriari*, & שכר *Mercede conducere*, & quamplurima alia.

Inter ס & שׂ differentiam eſſe, videtur ex his & ſimilibus: סָכַר per Samech eſt *Obturare, Obſtruere*; שָׂכַר eſt *Conducere*; סָכַל *Stultum eſſe*, שָׂכַל *Intelligentem eſſe*. Itaque probabilis eſt Hebræorum ſententia, exiſtimantium, apud antiquos fuiſſe differentiam inter Samech & Sin, ſicut audivimus.

An Hieronymus geminum hunc ſonum ignorarit, ego dubito? Dubitandi cauſam mihi præbet, quòd in Quæſtionibus in Geneſin de voce אִשָּׁה *Vira*, ad verba illa Geneſeos, לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *Hæc vocabitur Vira vel Virago, quia ex Viro ſumpta eſt*; in hunc ſenſum ſcribit: *Porrò*, inquit, *Theodotio aliam etymologiam ſuſpicatus eſt, dicens*, Hæc vocabitur *Aſſumptio*, quia ex viro *ſumpta* eſt. *Poteſt quippe* illa אִשָּׁה *ſecundum varietatem accentus &* Aſſumptio *intelligi*. Quomodo אִשָּׁה poteſt non ſolum *Vira*, vel *Virago*, ſed & *Aſſumptio* intelligi vel exponi? *Secundum varietatem Accentus*, inquit Hieronymus. Quæ eſt illa *Varietas Accentus? Accentus* Hieronymo nihil aliud eſt, quam ipſe vocis uniuſcujuſque ſonus & tonus: & in eo reſpicit aliquando ad ſonum Vocalium, aliquando ad ſonum Conſonantium. Hìc certè *Varietas Accentus* non intelligitur de Vocalibus, ſed de Conſonis, & nihil poteſt eſſe aliud, quàm Varia ac diverſa pronuntiatio, diverſus tonus aut ſonus literæ ש; אשה Secundum unum accentum, id eſt ſonum, nempe Schin, eſt *Vira*, ſecundum alium, nempe Sin, *Aſſumptio*; ſi videlicet derivetur à radice נָשָׂא, quæ per Sin ſcribitur. Hinc eſt diverſitas illa interpretationis, & non aliunde.

Neque aliter poteſt ac debet intelligi, quod ſcribit Amos cap. 8. Berſabeæ *autem pro varietate accentuum vertitur in linguam noſtram*, Puteus juramenti: *aut Puteus* ſatietatis, *aut* ſeptimi. Diverſitatem hanc interpretationis facit diverſa pronuntiatio literæ ש. Nam ſi legas per שׁ jamin, ſeu per *Schin*, eſt Puteus *juramenti* vel *ſeptimi*: ſi per שׂ ſmol, ſeu per Sin, eſt Puteus *Satietatis*. שבע *Schaba* eſt *juramentum*

mentum vel *ſeptimus*; *Saba* eſt *Satietas*. Ergo hæc eſt Hieronymo hic *Accentus Varietas*.

Quòd ad tollendam vocum homonymiam, atque etiam in rudiorum gratiam, additum ſit huic literæ hoc punctum, non nego; quod verò Maforetharum Tiberienſium tempore demum ſit additum, aut quòd cum hoc puncto demùm etiam nova hæc pronunciatio ſit orta, id, quia non probatur, meritò negatur.

VII. *DE ACCENTIBUS.*

Ut Punctorum Vocalium plures habent Hebræi, quàm cæteræ linguæ, non tamen ſine cauſa & ratione, notas ac figuras: ita quoque Accentuum multiplices ſunt varietates, ita ut ab aliis 23. ab aliis 25. 26. & plures numerentur.

Quod itaque hactenus de Punctis urſit Revelator, ad evincendam illorum Novitatem, idem nunc fortiter quoque atque acriter obtinere ſatagit ex Accentuum iſto numero.

Hunc in finem totus in eo eſt, ut oſtendat; *ſi non omnes, magnam certe Accentuum partem eſſe non neceſſariam, ſuperfluam, & inutilem, ut illorum vel uſus, vel inventio, nulla cum veritatis aut veriſimilitudinis ſpecie Viris* θεοπνεύστοις, *veluti Moſi aut Eſdræ, ſed recentibus, iiſq; moroſis, ſcrupuloſis & ſuperſtitioſis Criticis, quales Maſoretha Tiberienſes fuerunt, ſit adſcribenda.*

Cùm enim in nulla lingua plures ſint Accentuum naturales differentiæ, quàm tres, Acutus, Gravis, & Circumflexus; imò cùm etiam, ad Accentum deſignandum, unica ſufficere poſſit notula, nullâ ſanâ ratione arbitratur, tantam illorum catervam fuiſſe coacervatam. Id quod diſtinctè de uſibus illorum, qui prætenduntur, oſtendit.

Duplex ſtatuitur ab Hebræis Grammaticis Accentuum Uſus; Grammaticus & Muſicus.

I. *USUS GRAMMATICUS iterum eſt bifarius; Vel enim notatur iis nativus uniuſcujuſq; vocis Tonus, quænam ſc. ſyllaba ſit in illis acuenda, ſeu gravanda. Vel inſerviunt ad Diſtinguendam Orationem in ſua membra, Cola ſc. Commata, Periodos, &c.*

Jam verò ad neutrum uſum neceſſe fuiſſe putat tanto Accentuũ numero.

Nam

Non ad primum; quia cum lingua Hebraa vulgaris erat vernacula, ex aſsidua conſuetudine loquendi ſatis ſciverunt, quanam ſyllaba in ſingulis vocibus ſit Accentu afficienda: aut, ſi aliqua neceſsitas fuit, potuiſſet res, ſi non uno, tribus certè, vel ad ſummum, quatuor Accentibus pauſantibus perfici, una cum accentu Euphonico Metheg, aut Makkaph, &c.

Non ad ſecundum; Cùm enim tres aut quatuor ſint ad ſummum a Grammaticis Gracis & Latinis, quantumlibet exactis & diligentibus obſervata, & hactenus uſurpata, Diſtinctionis ſententia ſpecies, nempe Periodus, Colon, Comma ſive Στιγμὴ, *&* Υποστιγμὴ, *his deſignandis, tres aut quatuor Accentuum figura, ad ſententiarum diſtinctionem vel accuratiſsimam, ſufficere poterant; ſi modò etiam Scriptores ſacri usque adeò in ſcribendo fuerunt accurati, ut apiculis quibuſdam omnes has diſtinctionum ſpecies varias ſignare voluerint. Ad quid tot Reges, tot Miniſtri &c.*

Ad hanc Objectionem quod attinet, committemus hîc inter ſe Adverſarios ipſos: & primò quidem reſpondebit pro nobis Elias, Novatorum horum Propheta, ut appareat, Regnum ipſorum hîc rurſum, ut jam aliquoties, inter ſe diviſum eſſe.

Is igitur in libro ſuo De Accentibus, quem טוב טעם *Tuv taam* appellat, cap. 2. eandem Objectionem his verbis movet. ורבים
שאלו מה היה צורך לבעלי הטעמים לעשות כל כך מלכים וכל כך
משרתים שונים אלה מאלה וכי לא היה מספיק בכל המלות שיש
בהן העמדה והפסקה ענין מין אחד של הטעמים המפסיקים הנקראים
מלכים כגון אתנח או זקף או רביע או פשטא ודומיהן ולא ישימו
פעם זה ופעם זה: וכן בטעמים שאינם מפסיקים הנקראים משרתים
למה הניחו פעם מונח פעם מהפך פעם דרגא ודומיהן וכי לא
היה מספיק לשום אחד מהן בכל מלה שאינה מפסקת, גם היה
מספיק לשום בכל מלה המפסקת טעם אחד ובכל מלה שאינה
מפסקה לא ישימו שום טעם רק קו אחד כמו נתג תחת האות
של דגון אם מלעיל או מלרע ובטוב היה מובן שבכל מלה שאין
בה טעם שהמאמר היה נמשך עד המקום שנמצא שם טעם
hoc eſt, *Multi quarunt, qua neceſsitas urſerit Authores Accentuum facere tot diverſos ac diſtinctos Reges & Miniſtros? annon ſuffeciſſet omnibus illis dictionibus, in quibus pauſa & diſtinctio ſententia eſt, una quadam ſpecies Accentuum diſtinguentium, qui vocantur Reges, veluti Athnach, Sakeph, Revia, Paſchta, vel ſimilis aliquis, et non apponere neceſſe fuiſſet nunc hunc, nunc alium? Sic quoad Accentus non pauſantes, qui Miniſtri vocantur, ut quid poſuerunt nunc Munach, nunc Mahpach,*
nunc

nunc Darga, & alios; nunquid ſatis fuiſſet in unaquaque dictione apponere unum Accentum non pauſantem? Quinimò ſatis fuiſſet, appoſuiſſe tantùm unicum Accentum in voce illa, in qua erat pauſa: ac in dictione, in qua nulla erat pauſa, nullum planè, ſed Virgulam duntaxat, ceu Methag, ſub litera illa in qua tonus faciendus, ſive id in penultima, ſive in ultima ſyllaba fuiſſet. Sic certè ſatis benè conſtitiſſet, quòd per omnes voces accentu carentes ſermo protrahendus & continuandus eſſet uſque ad eum locum, in quo Accentus fuiſſet repertus. Hactenus Objectio.

Quomodo reſpondet Elias? ויש להשיב כי הטעמים לא נעשו להורות על ההפסקה או על המשכת הענין לבד כמו שחשבו רבים · כי גם להורות על הנגון ועל השיר להנעים את הקריאה כי ידוע כי השיר והנגון מעוררים את רוח השכל והעיון כמו שאמר הפילוסוף הטבע ימשך אחר הפלגת השיר ומתפעל מזרותו וכו׳ *Sed reſpondendum eſt,* inquit, *quòd Accentus non ob id tantùm ſint facti, ut diſtinctiones vel protractiones ſententiarum indicent, ſicut multi opinantur; ſed etiam, ut oſtendant, Modulationem & Cantum, ad ſuaviorem & decoram magis efficiendam lectionem ipſam. Certum enim eſt, Cantum & Melodiam, alacriorem reddere ſpiritum intellectus & contemplationis, ſicut ait Philoſophus:* Natura rapitur excellenti melodiâ ſive Muſicâ, & afficitur variatione illâ, &c. *Hinc factum, ut nulla ſit dictio, quæ ſuum non habeat Accentum Regem vel Miniſtrum, qui doceat pronuntiationem & modulationem illius propriam, quamvis id Judæi Hiſpani & Itali non per omnia obſervent, ut qui non cantant vel cantu exprimunt niſi Reges majores; Miniſtros autem propemodum omnes uno eodemq; legunt tono. Aliter autem nos Germani facimus, qui unumquemq; Accentum, ſive is fuerit Rex, ſive Miniſter, ſuo proprio tono legimus, &c.*

Sic itaque Elias vult, multitudinem hanc Accentuum eſſe non ſolùm ad deſignandum tonum ſyllabarum, aut ad diſtinctionem ſententiarum; ſed & propter Uſum Muſicum, ſive Pronuntiationem ipſam, de qua mox plura dicentur: & unumquemq; Accentum, tam Reges quàm Miniſtros, ſuum proprium ac peculiare habere munus. Et licet in eam propendeat ſententiam, eoſdem eſſe authores Punctorum & Accentuum; honorificè tamen ubiq; de toto hoc invento, & de Accentuum uſu ſcribit ac loquitur, nec uſpiam vel ex illorum numero, vel ex illorum munere, aliquid ſuæ ſententiæ firmandæ elicere potuit.

In libro Maſoreth Hammaſóreth mox ab initio ſcribit idem:

גם הטעמים היו שמים להיות בכם תורה נפתרת כי לולי טעמי הפסוק הבנתו לא נבררת hoceſt, *Quin etiam Accentus ipſi appoſuerunt, ut juxta eos Lex clarè eſſet expoſita: Niſi enim Accentus eſſent in Scriptura, intellectus ejus non poſſet percipi.*

Idem faciunt reliqui à Revelatore producti Novitatis Punctorum patroni, Aben Eſra, Coſri, &c. ut mox audiemus.

Neque valet Conſequentia; *Græci & Latini quatuor aut quinque duntaxat habent diſtinctionum notas. Ergo Hebræi quoque non debent habere plures.*

Primò etenim alia eſt linguæ Hebrææ ratio, quàm aliarum. Audiamus hîc doctiſsimum Theologum Franciſcum Junium, qui Grammaticæ Hebrææ lib. 4. cap. 3. ubi de Proſodia Hebraica agit, ſic ſcribit: *Hanc proſodiæ noſtræ rationem ſcimus ab iis improbatum etiamq́; oppugnatum iri, qui in dicendo rigidiores ſunt; & nos quoque agnoſcimus, non ſatis apertè fuiſſe diſtinctam à Grammaticorum vulgo: ſed hoc velim ſibi Lectores perſuadeant, nos Hebræum ſermonem, quàm facillimâ ratione poſſumus, tradere, & ad veritatem ejus, non ad judicium aut voluntatem cujuſquam, regulas exigere: Præterea ne hac quidem ratione planè Græcos & Latinos caruiſſe, quibus ſua vocabula fuerunt enclitica, ut noverunt omnes: Poſtremò, ſi neque Græcis hominibus, neque Latinis, neque Noſtris, licuit eſſe tàm diſertis; non continuò irrideri, improbari, damnari, aut in noſtras anguſtias cogi Hebræum ſermonem oportere, ſed potiùs admirationi eſſe; cùm illius proſodia, ſi naturam, artem, gratiam, & majeſtatem ſpectaveris & cum judicio expenderis, omnibus aliis anteponenda ſit.*

Deinde, aliæ quoque fortean ſubſunt rationes, licet hodiè nobis ignotæ. Hinc ſcribit Elias iterum in libro טוב טעם cap. 2. והכלל כי שמו הטעמים לפי בחירתם ואין לשאול למה שמו לפעמים זרקא ולפעמים הפזר או הרביע ודומיהן ׃ ואולי הם כונו בזה סודות מסודות התורה כי דעתם רחבה מדעתנו ואין אתנו יודע מה h.e. *Summa; poſuerunt Accentus pro beneplacito ſuo, neque quærendum quare poſuerint nunc Sarka, nunc Paſer, aut Revia, &c. Fortaſſis reſpexerunt in his ad quædam ſecreta Legis. Nam ſcientia ipſorum fuit amplior ſcientiâ noſtrâ, nec ullus inter nos eſt qui ſciat vel tantillum.* En quomodo Revelator hîc iterum deſeratur à ſuo Patrono! Quod ſi Maſorethæ juſtas ac dignas potuerunt hujus rei habere cauſas, quantò magis Eſdras, cujus ſcientia longè fuit amplior ſcientiâ Maſorethārum Tiberienſium.

Si

Si, ex Eliæ ipſius ſententia, non quærendum de cauſa varietatis Accentuum à Tiberienſibus introductæ, cur id faciendum, ſi ab Eſdra inventa ſtatuantur?

Et in libro ערוגת הבשם *Arúgas babbóſem*, cap. 27. poſt explicatam Accentuum Regum naturam, ſcribitur: וְהִנֵּה אֵלֶּה כֻּלָּם מְלָכִים אֲשֶׁר בְּיָדָם שֵׁבֶט הַמּוֹשֵׁל לְהַעֲמִיד הַקְּרִיאָה וּלְהַפְסִיקָהּ אֲמְנָם יֵשׁ לְכָל אֶחָד מֵהֶם חֻפָּה לְפִי כְבוֹדוֹ כִּי הָאַתְנָח מַפְסִיק וס״פ יוֹתֵר מִמֶּנּוּ *Et iſti omnes ſunt Reges, in quorum manu eſt ſceptrum dominatoris ad ſiſtendam lectionem, & ceſſare faciendum eam. Unicuiq; tamen eſt peculiaris thalamus ſeu locus, pro ratione dignitatis ipſius. Nam Athnach diſtinguit, ſed Silluk adhuc magis: Athnach pauſam majorem facit, quàm Sakeph: Sakeph majorem quàm Tebhir: Tebhir magis quàm Tarcha. Sarka facit pauſam, ſed minorem quàm Scheri. Sic Paſer, Karne parah, Schalſchéleth & Teliſcha, pauliſper ſiſtunt orationem, & prombvent eam uſq; ad Regem proximè ſequentem; atque ſic conſequenter obſervatur ordo graduum, &c.*

Cùm verò præcipuum hujus reſponſionis fundamentum in eo conſiſtat, quòd Multitudo & varietas iſta Accentuum ſit propter Cantum & Uſum Muſicum, de illo paulò pleniùs eſt diſpiciendum.

II. *USUS MUSICUS Accentuum vulgò dicitur is, quo pronuntiatio vocum, juxta multiplicem ſonorum varietatem, dicitur eſſe moderanda ac regenda, prout audimus hodiè totum contextum Biblicum à Judæis certâ melodiâ & vocis variatione cantillari.* Ab hoc uſu vocantur à priſcis Hebræis in Talmud & alibi, נְגִינוֹת *Modulationes, Cantiones*, ſicut apud Latinos *Accentus* ab *Accinendo*, & à Græcis προσῳδίαι, notatione eadem.

Contra hunc Uſum ſic inſurgit Revelator; *ut neget, His Accentuum apiculis deſignari Muſicam illam Sacram, quâ, Moſis & Davidis tempore, ſacra Cantica in Templo aut Tabernaculo decantabantur.*

Rationes hujus ſuæ ſententiæ affert duas:

1. *Quòd, ſi hic eſſet Accentuum uſus, procul dubio illi in ſolis libris Poëticis adhibiti fuiſſent. Videmus autem, illos non minùs accuratè in libris hiſtoricis & oratoriis, ſolutâ oratione conſcriptis, quàm in Sacris Poëmatibus & Canticis, libriſq; metricis, eſſe adſcriptos; cùm tamen non ſit probabile, Viros Propheticos voluiſſe etiam hos libros Muſicè, & harmonicâ modulatione decantari, æquè ac Pſalmos Davidicos.*

2. *Si iſta notulæ à Moſe, Davide, &c. adſcriptæ eſſent, feciſſent idduntaxat in iis Codicibus, qui Sacris Cantoribus tradendi erant, non in omnibus, etiam iis, qui vulgi manibus teruntur. Probabile non putat eſſe, illos voluiſſe plebem docere Muſicam: neque etiam plebeculam notas haſce Muſicas capere potuiſſe.*

Ad hæc reſpondeo; me non affirmare adhuc aut definire poſſe, an his apiculis per totum contextum Biblicum, & per omnes libros, deſignetur illa ipſa Muſica ſacra, quâ Moſis & Davidis tempore, Sacra Cantica in Templo aut Tabernaculo decantabantur. Non etenim velim vel auſim aſſeverare, uno & eodem modo, vel eadem melodiæ ratione, fuiſſe Lectionem Biblicam, & Cantionem Pſalmorum, in Templo à Levitis peractam & decantatam.

Et diſcrepantiam aliquam hîc interceſsiſſe, colligitur ex eo, quòd obſervatum ſit, aliam eſſe Accentuum in libris Poëticis, quàm in libris Hiſtoricis & Propheticis, rationem. Hinc legitur in ספר חסידים *Sepher Chaſidim*, fol. 38. col. 2. לא תַשִׂיג גְבוּל רֵעֲךָ אֲשֶׁר גָבְלוּ רִאשׁוֹנִים שֶׁתִּקְנוּ הַנִּגּוּנִים שֶׁלֹּא יֹאמַר נִגּוּן שֶׁל תּוֹרָה לַנְּבִיאִים וּלַכְּתוּבִים וְשֶׁל נְבִיאִים לְתוֹרָה וְלַכְּתוּבִים וְשֶׁל כְּתוּבִים לְתוֹרָה וְלַנְּבִיאִים אֶלָּא כָל נִגּוּן כְּמוֹ שֶׁהוּא מְתוּקָן שֶׁהַכֹּל הֲלָכָה לְמֹשֶׁה מִסִּינַי שֶׁנֶּאֱמַר יַעֲנֶנּוּ בְקוֹל hoc eſt, Non dimovebis terminum proximi tui, quem determinarunt priores (Deut.19.14.) *qui ſc. ordinarunt melodias vel modulationes; ne videlicet melodiam Legis uſurpes in Prophetis & Hagiographis; aut melodiam Prophetarum in Lege vel in Hagiographis; aut Hagiographorum, in Lege & Prophetis: ſed unamquamq; melodiam, ſicut ordinatum eſt: quia omnia ſunt conſuetudo Moſis de monte Sinaj, ſicut dicitur;* Moſe loquebatur: Et Deus reſpondebat ei in voce.(Exo.19.19.) ſc. ſuavi.

Quod ſi verò accuratè conſideraverimus, quomodo Hebræi Uſum hunc Accentuum Muſicum, circa Lectionem totius S. Scripturæ, definiant & explicent, Cantus hic potiùs dicendus erit *Rhetoricus*, vel *Oratorius*, aut certè *Miſtus ex Muſico & Rhetorico*.

Volunt enim, Accentus hos inſervire ad moderandam ac regendam ſingularum vocum pronuntiationem: per vocis intentionem, remiſsionem, elevationem, depreſsionem, tarditatem, celeritatem, ſeveritatem, ſuavitatem, &c. ad exprimendos affectus; interrogationes, exclamationes, admirationes, & quæ alia circa vocis inclinationes & flexiones occurrunt. Et hoc eſt, quod illi נְגִינָה

Melodiam,

Melodiam, Modulationem vocant; quia in hujuſmodi pronunciatione, & varia vocis flexione, ineſt aliquis cantus, ſed moderatior & ſubmiſsior; ſicut de *Athanaſio Alexandriæ Epiſcopo legitur, quòd juſſerit lectorem Pſalmorum, vel Pſalmiſtam, tam modico vocis flexu & ſono ſonare, ut* pronuncianti *vicinior eſſe videretur, quàm* canenti; ut Auguſtinus refert Confeſsion. lib. 10. cap. 33.

Quanta itaque poteſt eſſe vocis varietas vel inflexio, tanta etiam potuit olim à viris ſagacibus excogitari notarum Varietas.

Et cantum talem in dicendo vel legendo etiam agnoverunt Tullius & Fabius. Tullius in Oratore dicit: *Eſt etiam in dicendo quidam cantus obſcurior, non hic è Phrygia & Caria Rhetorum epilogus, penè Canticum: ſed ille quem ſignificat Demoſthenes & Aeſchines, cùm alter alteri objiciat vocis flexiones, &c.* Fabius cùm de quodam Cantico dixiſſet: *Tales ſunt*, ait, *inclinationes vocis, quas invicem Demoſthenes atque Aeſchines exprobrant: non ideò improbandæ: cùm enim uterque alteri objiciat, palàm eſt utrumq; feciſſe, &c.*

Ergo Cantus Lectionis vel Orationis, hîc de vocis flexione & ſuavitate intelligendus, quam priſci Hebræi Accentibus Muſicis deſignare voluerunt.

Cauſas hujuſmodi cantillantis lectionis reddunt has; quòd hac legendi ratione major voluptas & aviditas excitetur, devotio augeatur, memoria plurimùm juvetur, & ſenſus eorum, quæ ſic leguntur, longè rectiùs, cùm à legente, tùm ab auſcultante, percipiatur; quando nimirum vel in libro legens, vivam quaſi Oratoris vocem, his notis ſubtiliter expreſſam, oculis intuetur; vel auſcultans, Orationem aliquam & ſingulas ejus partes, pronunciatione cum reipſa conveniente, proferri audit, &c.

Quamvis Hebræi etiam ingenuè fateantur, rerum harum notitiam magna ex parte inter ipſos à longo jam tempore periiſſe.

Sed confirmanda & illuſtranda ſunt hæc Hebræorum teſtimoniis, ut appareat, me nihil hîc ex proprio cerebro effingere, ſed illorum duntaxat mentem explicare; maximè, cùm ea hactenus à nemine adhuc producta viderim.

Inſignis hac de re locus extat in libro Coſri, cujus author minimùm ante 500. & amplius annos vixit, parte ſecundâ, §. 72. quem non pigrabor exſcribere, & in Hebraiſmi ſtudioſorum gratiam transferre: כִּי הַמְּכֻוָּן מִן הַלָּשׁוֹן הִכָּנֵס מַה שֶׁיֵּשׁ בְּנֶפֶשׁ הַמְדַבֵּר

בנפש השומע וזאת הכונה לא תגמר על תומה אלא פנים אל פנים
מפני שלדברים הנאמרים מעלה על הדברים שנכתב כמו שאמרו מפי
סופרים ולא מפי ספרים מפני שנעזרים בדברי שבעל פה בעמידה
במקום ההפסקה ובהתמדה במקום הסמוך ובחוזק הדבור ורפיונו
וברמיזות ובקריצות מתמיהא ושאלה והגדה ויחול והפחד ותחנות
ותנועות שמקצרות בהם המליצה הפשוטה ואפשר שיעזור המדבר
בתנועות עינו וגבותיו ובכל ראשו ובידיו להבין הכעס והרצון והתחנה
והגאוה על השיעור שהוא רוצה ובשאריות הזאת אשר נשארת
מלשוננו הנוצרת הברואה ימצאו ענינים דקים ועמוקים נטבעו בה
להבין הענינים ולהיותם במקום המעשים חהם שהם פנים בפנים
והם הטעמים אשר יקרא בם המקרא מציירין בהם מקום ההפסק
והסמוך ומפריד מקום השאלה מן התשובה וההתחלה מן ההגדה ,
והחפזון מן המתון · והצווי מן הבקשה שיחובר בהם חבורים · ומי
שזר כונתו מבלי ספק שהוא דוחה וכו' *Quia intentio Linguæ eſt, id, quod in animo loquentis eſt, ingredi facere vel deſerre in animum audientis, hæc verò intentio non perfectè poteſt perfici, niſi de facie ad faciem; eò quòd verba ore prolata magnam ſupra verba ſcripta habent præcellentiam, ſicut vulgò dicunt,* Ex ore Scribarum, non ex ore Scriptorum ſeu librorum (i. e. Utilius eſt diſcere à Vivo præceptore, quàm ex libris); *Nam verba ore prolata juvantur morâ, in loco ubi pauſandum; & continuatione, in iis quæ cohærent; ſermonis gravitate & remiſſione, nutibus, nictu, admiratione, interrogatione, narratione, ſpe, pavore, deprecatione, aliisq; motibus vel affectibus, quibus deſtituitur oratio ſimplex; quinimò poteſt etiam loquens juvare ſermonem motibus oculorum & palpebrarum ſuarum, totoq; adeò capite, & manibus, iisq; ſignificare iram, benevolentiam, humilitatem, elationem, prout & quantum ipſi placuerit; Ideò in paucis iſtis reliquiis, quæ nobis de lingua noſtra à Deo creatâ remanſerunt, inveniuntur res quædam ſubtiles & profundæ, quæ ei à naturâ impreſſæ ſunt, ut ad rectam rerum intelligentiam inſervirent, & loco illarum vivarum actionum eſſent, quæ in ſermone vivo adhiberi ſolent,* Accentus *ſcilicet, cum quibus Scriptura legitur; quibus locus pauſarum vel diſtinctionum, & continuationis deſignatur; interrogatio à reſponſione, initium vel exordium à narratione; feſtinatio à cunctatione, vel tarditate; præceptum a petitione diſtinguuntur, de quibus peculiares libri ſunt compoſiti.*

De hoc Cantu Biblico prolixè quoq; ſcribit Ephodeus in Præfatione operis ſui Grammatici, quæ quia rara ſunt, nec ubiq; obvia,

via, vel hoc nomine ex MS. communicare placet: הדרך השמיני והוא מיוחד יותר אל המקרא שיהיה הלמוד והעסק בו בשיר והלחנים כי זה עם שהוא מפה שיוסיף תשוקה וחפץ אל העוסק בו לעריבות השיר והתעורר הכחות בו והתחזקם הנה הוא ג״כ מפני שייטיב הכח הזוכר וזה למה שבא במאמר המשורר מארכות וזמן התנועות הקוליות והמנוחות וההעמדות הנכנסות בו ועם זה ג״כ תשלם ההבנה והכונה במאמר לאורך הזמן אשר ישורר בו וזאת היא הסבה להתפלל בבתי כנסיות כו׳ hoc eſt, *Modus octavus, (ſeu Regula octava,* de ratione ſc. legendi Scripturam) *eſt magis proprius Bibliis, ut videlicet lectio fiat cum cantu & modulationibus. Hoc enim, præterquàm quòd aviditatem & voluptatem auget lectori, ob ſuavitatem cantillationis, quâ omnes quaſi facultates excitantur & recreantur; inſuper etiam multùm conducit ad memoriam; dum videlicet in ſermone ſic cantillantis mora temporis inſumitur in lectione vocalium, & pauſarum, & reſpirationum occurrentium. Præterea Intelligentia quoque & mens dictorum perfectiùs percipitur protractione illâ temporis, quam Cantor obſervat. Atque hæc eadem eſt cauſa, cur in noſtris Synagogis vocum melodiâ & ſuavitate preces noſtras faciamus, quia ſic intentio noſtra in Oratione meliùs perficitur. Et hæc res in perfectione ſumma fuit dum Sanctuarium adhuc ſtaret, in Cantoribus & Inſtrumentis Muſicis, fuitq́ maxima ars, &c. quamvis illa hodierno die inter nos perierit.* Et mox: *Ex iis, qui perfecti in hac arte fuerunt, fuit David, & inſtrumenta quoque ad id peculiaria habuit, &c.* Item: *Ex proprietatibus hujus artis fuit quoque, excitare facultatem Propheticam, ſicut dicitur;* Nunc itaque adducite mihi pulſantem in inſtrumentis, & fuit cùm pulſaret, &c. 2.Reg.3.15. *Hujuſmodi canticum, quod has proprietates habuit, vocabatur* שיר יי Canticum Domini, *& dicitur de eo;* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, Pſal.137.4. *Et hic cantus proprius iſti libro Sanctuarij, cujus dicta ſolemus cantillare, quamvis non ſit ex illo genere Canticorum, neque illas proprietates habeat; magna tamen eſt ejus præſtantia ſuper omnes alios cantus, quibus Chriſtiani ſolent ſuas lectiones & orationes decantare. Magnam enim dat ad res ipſas intellectum, totumq́ negotium ita ſe habet, uti ſcripſit author libri Coſri, par.2. §. 72.* Quia intentio ſermonis ore prolati eſt, docere de eo quod eſt in animo loquentis, atque id imprimere animo auditoris; hoc verò non perfici poteſt niſi ſermone orali de facie ad faciem, qui hoc reſpectu multis modis præſtantiâ ſuperat ſermonem

monem ſcriptum: quia ſermone ore prolato, qui eſt הַדִּבּוּר הַחַי ſermo vivus, adjuvantur per ſermonis abruptionem vel pauſationem, per ejuſdem continuationem, intenſionem, remiſsionem in locis convenientibus, per nutus, nictationes oculorum, admirationem, interrogationem, deprecationem, mandatum, &c. quibus omnibus caret oratio ſcripta, quæ eſt הַדִּבּוּר הַמֵּת ceu ſermo mortuus; Præterea ſermonem vivum & ore prolatum, poteſt loquens adjuvare motibus oculorum & manuum, ad ſignificandam iram, amorem, & ſimiles affectus. Itaque Eſras Scriba, cum Viris Synagogæ magnæ, adinvenit Accentus in linguâ hac ſanctâ, quibus quoad fieri poteſt, perficitur & compenſatur, quod hac in parte Sermo ſcriptus minus habet, quàm Sermo ore prolatus. Cantus autem cum iſtis Accentibus proprius eſt Bibliis, & magna inde provenit perfectio: Nam deprehendes, ſi vel centum unà legerint in Scriptura, illos non aliter legere ac ſi eſſet duntaxat unicus Vir; tempore uno pauſabunt, ſimul etiam ſermonem conjungent & producent. Cauſa autem hujus rei dicitur ibidem eſſe tum Lectionis ipſius ἀκρίβεια & ſuavitas, tum Memoriæ adjuvatio, & ut res tantò faciliùs & rectiùs percipiantur, &c. *Hactenus illic. Et hoc ipſum eſt quod nos volumus. Quòd ſi verò attenderis ad vocem Canticorum reliquorum populorum, rem longè aliter deprehendes. Illi enim propemodùm omninò deſtruunt formam ſententiarum, nihilq; ferè aliud percipitur, niſi nudus ſonus duntaxat; eò quod non aliò, quàm ad ſuavitatem & voluptatem Auditus reſpiciunt in Varietate illa ſonorum craſſorum, ſubtiliorum, &c. Et id imitati ſunt quidam noſtrûm in quibuſdam Poematis vel Carminibus metricis, quia cum gentibus commiſti fuerunt, & opera ipſorum didicerunt, corrumpentes ſuâ harmoniâ ſuiſq; modulationibus formam dictorum & ſententiarum. Optimè verò fecerunt, quòd tempore pœnitentiæ, & dierum illorum ſanctorum, uſi ſunt ejuſmodi melodiâ, & ejuſmodi modulationibus, quæ ſenſum & rem ipſam adjuvarent, cordaq; ad pœnitentiam excitarent, & nequaquam reſpexerunt ad ſuavitatem Cantus, qui deſtruit formam ſententiarum, &c.* Notet hîc Lector, Ephodeum in verbis adductis ex libro Coſri, quæ etiam nos modò allegavimus, variare à libris noſtris editis, *& nomine authoris Coſri Inventionem Accentuum expreſſis verbis adſcribere Eſræ & Viris Synagogæ magnæ.* Itaq; aliud exemplar habuit, vel ex ipſo Arabico exemplari libri Coſri tranſtuliſſe videtur. Quod inquirent, qui illius habent copiam.

Et

Et capite quinto : וכבר ימצאו בלשון העברי רשמים וסימנים
אחרים זולת אלה הנז׳ יקראו אותם טעמים אבל שזה שנמצא כמנו
בספרי הקדש להשלים הבנת הכתוב ומה שיחסר הדבור בכתב מהדבור
פנים בפנים , וזה שכבר יראה בדבור פנים בפנים מה שיתן חקוי
בנפש השומע וציור בהבנת. הנרצה בדבור מאיכות. הקולות אשר ידבר
בהם בחזק והרפיון והמנוחה הנכנסת בין חלקיהן באריכותה וקצורה
והתכיפות והאיחור ודבור המתפחד והמתפלל והמתחנן והשואל
והמצוה והמתמיה והכועס והמרצה אשר יזכר מאיכות הדבור פנים
בפנים מכל זה. מה שלא נוכל לעמוד עליו בדבור בכתב , והונחו
הטעמים להשלים מה שאפשר השלמתו מכל זה. ויקראו בהם כתבי
הקדש וכבר כתב על זה ר׳ יהודה הלוי בכוזר וכו׳ ולסבה הזאת
קראום טעמים כי יתנו לנו טוב. טעם. ודעת בספרי האלהים h.e.
Præterea reperiuntur in lingua Hebræa Notæ & Signa alia, præter iſta commemorata, quæ טעמים. Accentus *vocant, ſed propriè tantùm uſurpantur in Libris Sacris, ad perficiendum intelligentiam Scripturæ, & id, quod in oratione Scriptâ, præ eâ quæ ore profertur, deeſt, ſupplendum. Nam videmus, Sermonem ore prolatum indere animo auditoris imaginem quandam & figuram earum rerum quæ ſignificantur, per varias vocum qualitates, quibus profertur; veluti per intenſionem, remiſſionem, & quietem vel interſpirationem, quæ fit inter partes illarum; per vocis item vel ſermonis productionem, abbreviationem, celeritatem, tarditatem, &c. per vocem expaveſcentis, orantis, deprecantis, interrogantis, petentis, jubentis, admirantis, irati, reconciliati, benevoli, &c. quæ omnia cognoſci poſſunt in ſermone ore prolato, nequaquam verò in oratione ſcripta. Itaq; conſtituti ſunt Accentus, ut iis hæc omnia ſupplerentur, &, quoad abſolutiſſimè fieri poteſt, perficiantur: His leguntur Scripturæ ſacræ, uti hæc jam pridem obſervavit R. Jehuda Hallevi, in libro Coſri, &c. Et hanc ob cauſam vocantur* טעמים Guſtus; Rationes; *eò quòd dant nobis guſtum bonum, & ſcientiam in libris Divinis, &c.*

Idem capite ſeptimo : והמציא עוד הטעמים שיתנו עריבות לקריאה
עד שיתן חשק בלב האנשים למקרא לעריבות השיר אשר יתנוהו
הטעמים וגם שיהיה למקרא עמידה קיום והשארות בכח הזוכר , כי
מן הידוע כי השיר והנעימה מביא להשאיר המשורר בכח הזוכר וכי
באמצעותה תקל הזכירה וההזדככות , ואלה שתי סבות למציאות
הטעמים זולת הסבה החזקה והעצמית וכבר כתבתי זה hoc eſt,
Invenit (Eſdras) *quoq; Accentus, qui magnam conciliant Lectioni ſuavitatem; primò, ut vel ob hanc ſuavitatem muſicam, voluptatem ac deſi-*

rium legendi in cordibus hominum excitaret; deinde, ut lectio Biblica tantò firmiùs inhæreret & permaneret in memoria lectorum. Conſtat enim hanc eſſe cantus & melodiæ rationem, ut ea quæ canuntur, tenaciùs memoriæ inſideant, & ejus virtute memoriam juvari ac promoveri. Atque hæ duæ ſunt cauſæ inventionis Accentuum, præter cauſam illam graviſſimam & eſſentialem, quam ſupra cap:5. explicavi.

Calonymus, in libello de Accentibus, qui adjunctus Grammaticæ Abrahami de Balmis: הטעמים הנה הם הכרחיים להבנת הכתובים לקוראים כאילו הם מדברים פנים בפנים וזה כי הכונה בלשון להכניס מה שיש בנפש המדבר לנפש השומע וזאת הכונה לא תגמר בשלמות כי אם פנים בפנים, וכשאין המדבר בפני השומע ויודיע המכוון בלבבו בכתב הנה הטעמים המושמים בכתב יעזרו המכוון כי הם מורים מקום התחלת הדבור והמשכתו והפסקתו ויתר הדברים המצטרכים לו hoc eſt, *Accentus ſunt Lectoribus neceſſarii ad intelligentiam Scripturarum,* (quia faciunt) *ac ſi* (Scripturæ) *loquerentur de facie ad faciem. Scopus etenim linguæ eſt, immittere id quod in animo loquentis eſt, in animum auditoris; hæc autem intentio non poteſt perfectè compleri, niſi coràm vel ore ad os. Quùm verò loquens non eſt in conſpectu Auditoris* (i.e. cùm auditor abeſt) *eiq; intentionem ſuam, ſcripto notam facit, tum Accentus, qui poſiti ſunt in Scriptura, juvant, ut tantò meliùs mens loquentis percipi queat: Docent enim, ubi ſermo ſit incipiendus, continuandus, incidendus, & alia huc neceſſaria.*

Idem, poſteaquam dixiſſet, Accentus diſtingui ratione נגינה h.e. *Toni* vel *Soni,* quòd videlicet Quidam habeant tonum unum: Alii ſonos diverſos, &c. de cauſa hujus rei ſic ſcribit: והנה כאשר נביט היטב בעין השכל נמצא כי לתכלית מה נעשה וזה כי להצטרך בעל הטעמים לנגינה אחת במקומות מתחלפים והיה טעם אחד בלתי נכון במקום אחד מהם לסבה מהסבות הוצרך לו למצוא טעם אחר מהנגינה ההיא להשימו שמה h.e. *Si oculo intellectus noſtri benè rem inſpexerimus, quòd hoc ob cauſam aliquam ſit factum; Cùm nempe Author Accentuum opus habuit tono uno in diverſis locis; unus verò Accentus non idoneus eſſet in aliquo illorum locorum, ob certam aliquam cauſam, tum neceſſe habuit invenire Tono illi Accentum alium, quem illic poneret, &c.* Et mox: ולכן בהיות בנגינה אחת צורך להתחלפיות רבות מפאת צורך התיבה הצטרך לעשות טעמים רבים בה ובקצתם נגלו אלו הענינים ובקצתם יעלמו, ואולי יש הפרש מה בנגינה אחת ולא ידענוהו ונאמר שהיא אחת במו בכל כך מינים שופרות

שופרות שהם כל אחד מהם לתכלית ולא יגלה זה בהם לעינינו כי
נחזיק כלם בעד ממשיכים לבד והנה בהמשכה מדרגות זה לפני זה
ויעלמו hoc eſt, *Proinde, cùm in tono uno opus fuiſſet pluribus diverſitatibus ex parte dictionum, faciendi fuerunt ei* (Authori Accentuum) *Accentus plures in ea: & in quibuſdam hæc ſunt manifeſta, in aliis verò occulta. Fortaſſis etiam differentia aliqua eſt in eodem tono, quam nos ignoramus, & dicimus eſſe unum; ut V. G. in tot ſpeciebus accentuum illorum, qui* שופרות Buccinæ *vocantur, quorum ſinguli ſunt ob certum aliquem finem, qui tamen non apparet oculis noſtris: quia omnes illos ſumimus pro Continuantibus vel protrahentibus tantùm; In protractione autem ſunt gradus differentes, ſed latentes nos.*

Poſtmodum etiam prolixè agit de particularibus proprietatibus & Virtutibus Accentuum, quæ videat & expendat, qui volet. Tandem verò ſic concludit: ובכאן נשלמו כחות הטעמים הפרטיים
כפי יכלתנו ודעתנו הקצרה ואילו היינו יכולים לרדת לסוף דעת
בעל הטעמים היינו נותנים סבה לכל פרטיהם ולמה זה קודם זה
ולמה זה מאוחר לזה ולמה פעם אחת משתמש מזה ופעם אחרת
משתמש מאחר במכוון אחד בעצמו כי בעונותינו נתדלדלה חכמתנו
הקדומה מרוב הגליות והטלטולים ואין איש שם על לב לעין ולפלפל
באלו הענינים העמוקים ואבדה חכמת חכמיו של ישראל ובינת
נבוניו נסתתרה וכו׳ *Hæc dicta ſunto de Particularibus virtutibus Accentuum, pro viribus noſtris, & tenuitate ſcientiæ noſtræ. Quod ſi potuiſſemus deſcendere ad fundum mentis Authoris Accentuum, cauſſam dediſſemus omnium ac ſingularium quoque particularitatum illorum, quare hîc iſti præponatur, cur alter huic poſtponatur? quare item uſus fuerit nunc accentu iſto, nunc alio, in re una eademque? Sed propter iniquitates noſtras attenuata eſt ſapientia noſtra priſca, per varias perſecutiones & exilia, nec quiſquam eſt qui hæc ad animum revocet, & cordi habeat res iſtas profundas conſiderare & diſquirere, ſed periit ſapientia ſapientum Iſraëlis, & intelligentia intelligentium ejus occultata eſt. Deus verò propter miſerationes & benignitates ſuas det nobis cor amplum ad ſciendum ſecreta Literarum Scripturæ, Punctorum, & Accentuum ejus: qui enim hæc rectè intelligeret, non egeret expoſitione aliâ, &c.*

Samuel Arcuvolti in ערוגת הבושם *Arúgas-habbóſem.* cap. 27. ab initio ſcribit: כבר רמזתי בפ׳ הקודם לזה כמה רמו ושגבו לאין
תכלית מקורות האותיות והנקדות והטעמים ובפרקים אשר בתחלת
חבורי זה דברתי למספיק כפי כחי בדקדוק האותיות והנקודות וכפי

המתחיל מסדר הלמוד הנה. עתי. עת דודים להכנס בגבולי הטעמים ודרכיהם · אמנם במעט שעברתי מהם כי לא מצאתי את שאהבה נפשי והוא דרך הנגון המיוחס להם קול ה׳ בהדר הנותן נשמה לכל דבור ודבור וממנו תלקח ראיה. על הבנתו בהיותו נערך לענינו אם לשבט אם לארצו אם לחסד ובזה יתעוררו כחות הנפש להשכיל להיטיב כענין והיה כנגן המנגן וגו׳ אוי נא לנו כי מאז גלינו מארצנו מפני חטאינו הקל קול יעקוב ובאורך הגליות שרים כחוללים. בישראל חדלו · ומה כחי כי איחל אם אין אתנו יודע עד מה משיר ציון · מי יערוך לפנינו יחסיו וחין ערכו · מי ידריכנו בנתיבותיו הלא נשכבה בבשתנו וישחו כל בנות השיר. וכו׳ hoc eſt, *Capite præcedenti indigitavi, quàm ſublimes, excelſæ, adeoq; immenſæ ſint ſcaturigines literarum, punctorum, & accentuum. In primis autem hujus operis capitibus ſufficienter, pro virili tamen mea, egi de ratione Grammatica Literarum & Punctorum. Secundum ordinem ergo doctrinæ tempus nunc eſt quoq; aggredi doctrinam Accentuum, eorumq; rationes explicare. Parum autem abfuit, quin omninò præterirem eos: quia non invenio eum quem diligit anima mea; Modum nempe modulandi, qui eis attribuitur, ad reddendam orationem ſuavem, & decentem reſpirationem unicuiq; ſententiæ, unde etiam melior ejus intellectus deſumi poteſt, quando modulatio ſuo loco, & ad ſuam vocem, ſenſui accommodatur: præterquam quòd per hoc etiam excitentur facultates animi, cùm ad intelligentiam, tùm ad lætitiam, juxta illud;* Cumque pſalleret pſaltes, fuit ſuper eum manus Domini, 2. Reg. 3. 15. *Sed Væ nobis, quia ex quo ejecti ſumus è terra noſtra, attenuata eſt vox Jacobi, & longitudine exiliorum cantores unà cum tibicinibus deſierunt. Et quæ eſt facultas mea, quod exſpecto an non ſit inter nos, qui ſciat aliquid de cantico Tzyonis? Quis novit nobis ordinare proprietates ejus, & gratiam diſpoſitionis ejus? Quis docebit nos incedere in ſemitis ejus? Nunquid occubuit vel periit ad confuſionem noſtram, & depreſſæ ſunt omnes filiæ cantici? &c.* Et mox: אמנם קרב אתה ושמע את אשר אחשבהו יציב ונכון בדרוש זה והוא ראשונה שהטעמים גם הם אורות מתנוצצים מהקדשה על התבות אם להכין דבר לאשורו כאשר נבאר ע״י העמידות וההפסק וההמשכה וזולת לחקות הדברים כלב הקוראים במקום הקריצות והתנועות והגבהת הקול והשפלתו שיעשה המדבר פה אל פה כדי לעזור לזה · אם להורות לנו נגון אשר בנועמו תתעורר הנפש כאמור hoc eſt, *Accede itaq; & auſculta, quid ego rectum ac verum cenſeam in quæſtione hac. Principio dico, quòd Accentus etiam multum lucis & ſplendoris*

doris conferant dictionibus; cùm *ad intelligere faciendum rem ſecundum rectitudinem ſuam (ſicut explicavimus) per inciſionem, pauſationem, continuationem, & ſimilia, ad imprimendas res in cor lectorum, loco nutuum, geſtuum, & vocis elevationis aut depreſſionis, quæ obſervari ſolent in viva voce*; cùm *ad docendum nos tonum & pronuntiationem, cujus ſuavitate & amœnitate excitatur anima, ut dictum, &c.* Et quibuſdam interjectis: ומאחר שאחת מהוראות הטעמים הוא הנגון מתחלפי עד השמינית ומפנה ולמעלה והיא. בכלל גבוה מעל גבוה שומר כנודע לבעלי החכמה ההיא לכן באו הטעמים תחת האותיות להורות על הקולות הכבדים אשר בשפל ישבו ועל האותיות להורות על הקולות החזקים אשר יעלו אבר כנשרים ונגוני אלה ואלה נשכחו מאמתנו כי מע״ החרבן ראשון היו הלוך וחסור הענינים המסגלים וכו׳ *Cùm ergo una ex utilitatibus Accentuum ſit quoque modulatio vel melodia varia, uſq; ad octavam, &c. idcirco recurrunt Accentus ſub literis, ad docendum de ſonis gravibus, qui in humili ſedent* (Eccl. 10. v. 6.): *& ſupra literas, ad docendum de vocibus vel ſonis fortioribus, qui aſcendunt alâ ſicut aquila* (Eſa. 40. 31.). *Sed melodia tam horum, quàm illorum*; (Accentuum) *in oblivionem venerunt in gente noſtrâ. Nam inde à vaſtatione templi primi res illæ, quæ gentis noſtræ propriæ fuêre, paulatim defecerant: in Vaſtatione verò* ס״ב תבר *penitùs ſunt conſumptæ. Idcirco agemus de Accentibus, quantum de illis ſcimus, &c.* Et in fine illius capitis: *Nunc itaque, benevole Lector, fac aurem tuam inſtar infundibuli; ad intelligendum mirabilia ex verbis Rabbinorum noſtrorum b. m. per iſta, quæ in hoc capite tibi aperui. Verba enim iſta mea non aliâ mente à me ſunt prolata, quàm juxta illud*; Da ſapienti, ut ſapientior fiat; *donec ſuper nobis exoriatur Sol juſtitiæ, & veram accentuum modulationem intelligamus. Quàm efficaces erunt ſermones rectitudinis* (Jobi 6. 25.) כי נדעה נרדפה דרכי המוסיקה השמימית כימי קדם לתת לכל תבה ותבה נגון מיוחד לה בטעם לשבח כפי המובן ממנה אם למנוחה אם לאנחה, אם לשמחה אם לעצבון, אם לגבורה, אם לחלשה, אם לאכזריות אם לחנינה: אם לנפילה אם לתקומה, אם לכעס אם לרצון וכדומה לאלה, כי לא טוב אנכי מאבותי גדולי עולם שקטנם עבה ממתני וגמרו אומר כי לא בידם טובם לבוא עד תכלית דרוש הטעמים *cùm iterum ſciemus & aſſequemur Vias Muſicæ cæleſtis, ſicut olim, & poterimus dare unicuique dictioni ſuum tonum proprium, pro ratione ſenſus illius, ſive ad quietem, ſive ad ſuſpirationem; ſive ad lætitiam, ſive ad triſtitiam, ſive ad fortitudinem, ſive ad debili-*

tatem, ſive ad crudelitatem, ſive ad miſericordiam; ſive ad caſum, ſive ad reſurrectionem, ſive ad iram, ſive ad benevolentiam, & ſimilia. Ego enim non ſum melior patribus meis, qui magni in mundo fuerunt, & quorum minimus digitus craſſior erat meis lumbis: hi abſolutè pronuntiarunt, non eſſe in facultate ipſorum, ut uſum & utilitatem accentuum perfectè aſſequantur. Deus autem liberet nos ab erroribus.

Idem cap.31. ubi comparationem inſtituit inter Sermonem & Scripturam, ſic inter alia ſcribit: *Verùm alio reſpectu Sermo vivus latior eſt quàm Scriptura: quia Sermo ore prolatus adjuvari poteſt à loquente nutibus ac geſtibus variis, oculus poteſt annuere, digitus oſtendere, & alios motus exercere, ad ſignificandam homini mentem ſuam, ita ut cogitationes cordis ipſius in animis auditorum imprimantur, unde Rabbini noſtri dicunt,* Utilius, eſſe diſcere ex ore Scribarum, quàm ex ore ſcriptorum ſeu librorum: *Scriptura autem non poteſt tam plenum edere ſermonem, ſicut oratio viva per motus hujuſmodi:* אמנם להשלים החסרון הזה מהמכתב באו הטעמים בנגוניהם ובדיניהם הנותנים הבנה אל הדברים לנסתרים במקום המעשים לנמצאים בעת הדבור כי אל זה גם. כן יביטו הטעמים *Veruntamen ad ſupplendam hunc defectum, in Scripturâ adſunt Accentus cum modulationibus & proprietatibus ſuis, qui dant intelligentiam abſentibus, ut actiones & geſtus præſentibus in oratione viva: nam ad hoc etiam reſpicıunt Accentus;* ולכן הנגונים הם על שני מינים, הא' הוא הנגון הנבנה על הדברים בהשקפת עניניהם כי בהתחלפות הקולות יבדיל בין ההפסק והסמוך והחפזון והמתון והשמח והעצבון והתמיהא והאיום וזולת, וזה הוא הנגון המשבח במוסיקא כי לא לבד ישקיף לתענוג האזן אבל גם לתת רוח ונשמה אל הדברים הנאמרים וכו' hoc eſt, *Idcirco Modulationes duorum ſunt generum; Primum eſt Modulationis, quæ verbis convenit reſpectu ſenſus ipſorum: nam cum varietate vocum eſt differentia facienda inter ea quæ divellenda & conjungenda ſunt, inter ea quæ celeriter, & ea quæ tardè ſunt pronuncianda, inter læta & triſtia, inter admirationes, & conſternationes, ac ſimilia. Et hæc eſt modulatio Muſica omnium præſtantiſſima: Muſica enim non reſpicit ſolùm ad voluptatem aurium, ſed etiam, ut det ſpiritum & animam verbis prolatis. Atq; hac ſpecie uſi fuerunt olim Levitæ, quia abſque ea non potuiſſent conſonare inſtrumenta Muſica, hæcq; ſola digna eſt, quæ accommodetur Canticis Linguæ noſtræ ſanctæ:* המין הב' הוא הנגון ההמוני *Alterum eſt, Muſica vulgaris & popularis, quâ verba decantantur, reſpectu habito ad ſolam*

lam voluptatem aurium. Hinc multis cantilenis, ſenſu in immenſum à ſe invicem diſtantibus, accommodatur melodia una eademꝗ, a vulgo.

Ex his petitum, quod Sebaſtianus Nouzenus ſcribit, in libello de Literarum, Vocum, & Accentuum Hebraicorum naturâ, c. 17. *Accentus Muſicus is eſt, qui non tantùm juxta etymologiam, ſonos muſicos, vel in canendo harmoniam indicat, ſed diſtinctiones ſingulas (quod quidem ei vel præcipuum eſt) ad bonum ſenſum, propriis quibuſdam figuris notuꝗ, diſponit, ut ſcias, ubi ſuſpendere ſpiritum, quo loco verſum diſtinguere, ubi comma figere, ubi colon apponere debeas, ubi ſenſus claudatur, unde incipiat, & (quemadmodum in Latinis Quintilianus ſcripſit) quid lentiùs, celeriùs, concitatiùs, leniùs deniꝗ, ac temperatiùs, tardiùsve dicendum ſit, commonſtrat. Breviter, ex hujus proſodiæ figuris tam variis, tamꝗ, diverſis (habet enim plurimas) cùm pronuntiantis, tùm ſcribentis affectum, ac velut totius orationis vultum, habitumꝗ, ſtudioſis eruenda eſſe, quidam ex Rabbinis non indocti exiſtimaverunt. Nam quis obſecro in animum inducat ſuum, quâ unuſquiſque accentuum præditus figurâ eſt, temerè, ac citra prudens à priſcis ſapientibus conſilium, expreſſum eſſe? Item cur hic illum præcedat, hunc autem ſequatur ille, ad hæc cur ſua cuiꝗ, appellatio tributa ſit, cur ille ſupra, hic infra corpus vocabuli ponatur, cur denique dictionis finem hic, illè verò principium, ut peculiarem quieſcendi locum delegerit uſurpaveritꝗ? Quæ tametſi à doctiſſimis Judæorum Magiſtris ignorentur; neque ob ſuorum peccatorum molem, ante ſui jam olim, ſed fruſtra, deſiderati Meſſiæ tempora ſcire confidant; verùm enimverò, cùm intra paucos annos in linguarum ſtudiis ad miraculum uſque à Chriſtianis hominibus & ſudatum ſit, & profectum, juvante Chriſto, item, cùm alia multa, tùm præcipuè Hebraica, ſplendorem acceperint, ſpero futurum equidem, ut ſi qua hinc pietati gloria redit (cedit enimverò ex his ſimilibuꝗ, literis vel maxima) tanto cognitionis bono ſuos Chriſtum haudquaquam dedignaturum.* Hæc ille ex Hebræorum mente de Accentibus eorumque uſu.

Reüchlinus in libro de Accentibus lib. 2. fol. 60. *Scriptura Sacra ut eſt omnis virtutis & morum nutricia: ſic & decorum illud in dicendo venuſtè proſequitur, haud tantùm in agendo, ut ipſa pronuntiatio unum ſenſum uno ſpiritu modeſtè depromat, non confusè, non permiſtim, non per præcipitia, more Cappadocum, ut ille Pauſanias, Herodis Athenienſis diſcipulus, συςέλλων τὰ μηκυνόμενα, ϗ μηκύνων τὰ βραχέα, ſed gravitate ac ordine quodam, præterea denique nonnullâ etiam cum va-*

rietate,

rietate, ut orationis particulæ quædam ſint inter eloquendum remiſſæ, quædam exultantes, ne pigræ omnes, ne longæ quæ ſonum reddant, ne item acres, celeres, crepitantes. Proinde invenêre modum proavi & patres noſtri, quo minus luxurioſa redundaret ſanctiſſimorum oraculorum enuntiatio, ſed magis oratorio numero, & cum majeſtate proferretur, ne tanta Spiritus Sancti gravitas, terreſtris animalis levitate minueretur. Nec hoc ideò tractarunt priſci authores, ut Sanctarum Scripturarum oratio, quæ ferri debet & fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis ſyllabis conſeneſcat. Nam id tum, ut aſſerit M. Fab. Quintilianus, miſeri hominis in minimis occupati eſt, qui relicto rerum pondere, ac nitore contempto, quaſi teſſerulas Lucilio ſtruat. Quod priùs & Ciceroni viſum erat. Quo magis admirentur velim juvenes, & hoc noſtro artificio provocati, abſtruſa hujus linguæ rimari aſiduò conentur, quoniam quidem ut ſunt juniores, ita certè perſpicaciores, Priſciano Cæſarienſi teſte, &c. Et lib. 3. f. 71. *Negari enim omninò nequit, quin pro ratione Grammatici Accentus, etiam Accentus ille Muſicus ſit exortus. Inde hoc extat, quòd tropi modulorum, in locum & vicem Accentus grammatici ſucceſſerunt, & virgulæ, quas in libro primo ſyllabis ac literis affiximus, hoc tertio in libro, in figuras tropicas, & notas cantionum transfigurantur. Sed id etiam haud minus verum eſt, quòd ipſam ſententiæ veritatem tropi Muſici diſcernant, ita quòd Muſica proſodiæ ſurrogaanter dare locum ſoleat accentus nativus, & item nihilominus ſonorum variatio ſenteutiæ veritatem explanet. Proinde aliud eſt etiam ejus officium, ingens quidem & haud ſcio an maximum, quòd eo cantu tepor & ſomnolentia noſtrarum mentium valeat excitari, quò ſpiritus ille noſter interpellans gemitibus inenarrabilibus, vel nobis ignorantibus ferventiſſima deſideria effundat ad Deum, &c.*

Huc referantur etiam illæ Accentuum commendationes, quæ apud alios leguntur.

Aben Eſra paſsim & authorem & uſum illorum commendat, ut ſuprà cap. 3. jam viſum : עִקָּר גָּדוֹל הוא לִשְׁמוֹר דֶּרֶךְ הַטְּעָמִים *Momentum magnum eſt obſervare rationem accentuum*, ſcribit Jeſa. capite 1.

In libro מאזנים f. 199. b. כל פֵּירוּשׁ שֶׁאֵינֶנּוּ עַל פִּירוּשׁ הַטְּעָמִים לֹא תֹאבֶה לוֹ וְלֹא תִשְׁמַע אֵלָיו *Quæcunque expoſitio non eſt ſecundum rationem Accentuum, ne acquieſcito ei, neque audias eam.*

Sic in plurimis locis, cùm in libellis ſuis Grammaticis, cùm in

ſuis

ſuis Commentariis expoſitiones locorum Scripturæ elicit, & confirmat Accentuum authoritate, & authoris illorum, monens verum verborum ſenſum inde petendum eſſe.

R. Salomon ad vocem פניהם cum Sakeph gadol notatam, Ezech.1.11. אילמלא שראיתי זקף גדול נקוד על ופניהם לא הייתי יודע לפרשו אבל הניקוד למדני להבדילם זו מזו ולהעמיד תיבת ופניהם בפני עצמה, *Niſi vidiſſem Sakeph gadol punctatum ſuper* ופניהם, *non ſciviſſem explicare illud: ſed Punctatio hæc docuit me voces illas à ſe invicem ſeparare, & ſcorſim collocare vocem* ופניהם.

Sic alibi apud eundem crebrò occurrunt, טעם המקרא יוכיח *Accentus Scripturæ hoc arguit*, ut Joſ.7.15. והזקף שהוא על באש מוכיח שהוא נפרד מאותו שכן מצינו מקראות שהטעם מחלקן *Et Accentus Sakeph, qui eſt ſuper voce* באש *arguit, quòd ſit ſeparanda à voce* אותו. *Sic enim invenimus loca Scripturæ, quæ Accentus dividit: ut* אחרי דרך מבוא השמש, *Deut.* 11. 30. *ubi vox* אחרי *ſeparatur à voce* דרך *per Accentum.* Sic in eodem loco Deut.11. 30. וטעם המקרא מוכיח שהם שני דברים שנקדו בשני טעמים אחרי נקוד בפשטא ודרך נקוד במשפל והוא דגש ואם היה אחרי דרך דבור אחד היה נקוד אחרי במשרת בשופר הפוך ודרך רפה hoc eſt, *Et Accentus Scripturæ arguit, quòd ſint duæ res* (vel duæ periodi) *quia punctantur cum duobus Accentibus: τὸ* אחרי *punctatum eſt cum Paſcha, & τὸ* דרך *punctatum eſt cum* משפל, (id eſt, Accentu *Jetibh*, qui à quibuſdam vocatur שופר משפל *Cornu dejiciens, vel demiſſum*) *& eſt Dageſſatum: quòd ſi verò* אחרי דרך, *unus ſermo, & conjungenda eſſent, tùm* אחרי *punctatum foret cum accentu miniſtro Schophar haphuch, &* דרך (Daleth nempe in hac voce) *foret Raphe.* Unde patet, non levem, aut nullam, fuiſſe Accentuum rationem apud ipſum.

R. Bechaj ad Geneſ.5. 29. ad vocem זה quæ duplici accentu eſt notata, Teliſchâ gedola & Geraſchajim, ſcribit: ולפי שמלת זה כוללת שתי כוונות אלו נכתבו במלת זה שני טעמים ואל יהי דבר זה קל בעיניך שכל התורה כולה רמוזות וכו' *Et quia dictio* זה *comprehendit duas intentiones iſtas, ideò notata eſt cum duobus Accentibus. Neque vilis ſit hæc res in oculis tuis: nam Lex tota plena eſt ejuſmodi myſteriis, & rebus intellectualibus, quæ ſingulari Dei Providentiâ ſic dictæ ſunt, uti liquet ei qui diligenter legit in libro Legis Dei. Hinc tradiderunt Rabbini noſtri, quòd etiam Accentus, qui ſunt in Lege, ſint de monte Sinaj, &c.*

Author Tractatus illius, qui eſt circa Maſoram finalem Bibliorum majorum; עַל יְדֵי הַנִּקּוּד וְהַנְּגִינוֹת נֵדַע פְּסוּק הַטְּעָמִים וּפֵתֶר הַפְּסוּקִים וְהַמִּלּוֹת *Ope punctorum & accentuum ſcimus diſtinctionem ſenſuum vel ſententiarum, & interpretationem verſuum & dictionum ſingularum.*

R. Iſaac ben Arámah in עקדת שחק, fol. 246. col. 3. ad locum Deut. 10. 12. וְעַתָּה יִשְׂרָאֵל מָה יְהוָה אֱלֹהֶיךָ שֹׁאֵל מֵעִמָּךְ וגו *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, &c.* ſic ſcribit; וְכַמָּה הִפְלִיג בַּעַל הַטְּעָמִים לְהַמְלִיץ זֶה הַטִּנְיָן הַנִּפְלָא בִּכְתוּב הַשְּׁאֵלָה הַזֹּאת שֶׁהָיְתָה הָעֲמִידָה עָלָיו וְזֶה בְּהַטְעִימוֹ מִלַּת מֵעִמָּךְ בְּאַתְנַח וְגַם מִלַּת הַיּוֹם הַקּוֹדֶמֶת לְטוֹב לָךְ וּכִיוֵּן בָּזֶה לוֹמַר וכו׳ *Quàm benè autem expreſſit Author Accentuum ſenſum iſtum, in Scriptura Interrogationis hujus, ſignum pauſationis apponendo; dum videlicet vocem* מֵעִמָּךְ *affecit accentu Athnach: ſimiliter etiam in v. ſeq. vocem* הַיּוֹם, *ante* לְטוֹב לָךְ. *Voluit enim dicere, &c.*

Muſcatus in Comment. libri Coſri par. 2. §. 80. fol. 129. b. הַטְּעָמִים לְתֵיבוֹת כִּתְבְלִין לַקְּדֵרָה הֵן לְיוֹפִי הַקְּרִיאָה הֵן לְתוֹעֶלֶת הָעִנְיָנִים *Accentus ſunt dictionibus, quod condimenta cibis, cùm ad elegantiam lectionis, tum ad intelligentiam ſenſuum.*

Dicunt etiam: הַתֵּבָה בלא טַעְמָהּ כְּמֶלֶךְ בְּלֹא עֲטָרָה *Dictio ſine Accentu, eſt ſicut Rex ſine corona.*

Quod *Cantillandi* illum *uſum* attinet, eam conſuetudinem antiquam eſſe, patet vel ex illo dicto Rabbinico: כָּל הַקּוֹרֵא בלא נְעִימָה וְשׁוֹנֶה בְּלֹא זִמְרָה עָלָיו הַכָּתוּב אוֹמֵר *Quicunque legit Scripturam ſine ſuavi modulatione, & Miſchnam ſine cantu, de eo Scriptura dicit;* Ecce dedi ipſis ſtatuta non bona, Ezech. 20. 25. Vide ſup. cap. 6. pag. 94. b.

Sed & apud Veterem Bibliorum Interpretem Latinum ejus fit mentio, 1. Paralip. 2. v. ult. ubi legitur: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Jabes,* Canentes atque Reſonantes, *& In-tabernaculis commorantes.* Ad quæ verba Nicolaus de Lyra ſcribit; *Canentes atq; Reſonantes,* id eſt, *Legentes in libris Legis Divinæ, quæ lectio fit per modum cantus ratione accentus.* Et Paulus, Burgenſis epiſcopus; *Scriptura Sacræ textus legitur communiter ab Hebræis in ſuis Scholis per modum cantus, non ratione accentus: quia Accentus poſſet propriè ſervari ſine cantu; ſed ratione ſententiæ, ut eſt notum peritis in illa lectura. Unde & alio cantu utuntur in Pſalterio, alio in Prophetis, alio in*

libro

libro Job, alio verò in libro Proverbiorum, & hujuſmodi, licet quoad accentum uniformiter ſe habeant in omnibus libris. Pro iſtis tribus vocibus Latinis; *Canentes, atque Reſonantes, & In-tabernaculis-commorantes,* in textu Hebræo ſunt iſtæ תִּרְעָתִים שִׁמְעָתִים שׂוּכָתִים, quæ à pleriſque Interpretibus ſumuntur pro Nominibus propriis, ab Interprete verò Latino appellativè ſunt expoſita; quaſi ſc. illæ familiæ ab officio, & occupationibus, quibus vacabant, ſic dicti fuiſſent. Hinc ſcribit Conradus Pellicanus in ſuis Commentariis ad hunc locum; *Alia verò medietas ceſſit familiis eruditorum Scribarum, habitantium cum Jabez, qui fuit præceptor illorum ac doctor inſignis, atque familiis* Thirhatitarum, Simathitarum, & Sochotitarum, *habentes nomina à progenitoribus ſuis, &c.* Thiratitæ *dicuntur, quia ingenioſi, eruditi, & oracula divina præcinentes:* Simathitæ *verò, quia ex eis erant, qui diligenter auſcultabant ad ſacras cantiones, & doctrinas divinæ legis, & oracula.* Sochotitæ *verò dicti ſunt, quia non in urbibus, ſed in tabernaculis habitabant, omnium rerum mundanarum contemptores, ut ſacræ eruditioni diſcendæ ac docendæ incumberent liberiùs.*

Ex his omnibus liquet, quid Hebræi Doctores, & doctiores quidem, cùm recentes, tùm antiqui, de Accentibus, eorumq; Uſu qui vocatur Muſico, circa Lectionem ſacram Biblicam, ſentiant; quodq; conſtet, Rationem hanc Legendi, per obſcurum aliquem Cantum, ſatis eſſe Antiquam. Quamvis interim etiam fateantur, præcipuam hujus Uſus Muſici rationem, ut & alia multa gentis ſuæ ornamenta priſca, periiſſe.

Hinc verò mihi ſequentes concluſiones elici, & probabili valdè conſequentiâ educi poſſe videntur:

1. Non vel uſque adeò miram, vel abſurdam videri debere hanc Accentuum apud Hebræos varietatem & multitudinem, ut non vel authoribus ipſius Linguæ, vel Eſdræ adſcribi queat; cùm tam multiplex illorum ſit uſus; quamvis nobis non ampliùs adeò cognitus & perſpectus: Neque ex aliis linguis ad hanc, quæ ubiq; habet aliquid peculiare & θεῖον, argumentari licere. Et ſanè neminem ego adhuc, etiam ex Chriſtianis, vidi, vel hujus linguæ valdè peritum, vel aliâs cordatum & præjudicio vacuum, qui ejuſmodi conſequentias ex Accentuum numero & munere nexuerit. Ipſe Elias de his non cogitavit.

2. Si non niſi 500. aut 600. poſt Chriſtum annis ſunt inventæ

omnes iſtæ notæ, mirum ſane eſt, quâ ratione illud non ſolum tam ſubitò per totum terrarum orbem ſparſum & divulgatum, ſed & ab omnibus Judæis tam unanimi conſenſu receptum fuerit? Mihi non eſt veriſimile, tam ſeris ſeculis, quibus oralium Traditionum αὐθεντία jam inter ipſos erat ſublata, & catena illa Cabaliſtica multis modis diſrupta, tantam privatorum quorundam Doctorum, vel etiam Synagogæ alicujus, authoritatem fuiſſe, ut rem adeò novam & inſolitam ab ipſis reciperent, & ſtatim, non minus atq; in literis, Digito Dei ipſius authenticatis, infinita myſteria ex illis elicerent, & inter Traditiones Sinaiticas ex ore Dei acceptas referrent. Hoc eſt, quod author libri Coſri urget, Parte 3. §. 32. ubi ſcribit, *Occupationem illorum, qui Puncta & Accentus invenerunt, fuiſſe circa rem utiliſſimam ac neceſſariam, & ſimul hunc habuiſſe uſum, ne Lex Divina ullo modo immutari poſſet; imò profectò hæc eſſe ex ſapientia planè admiranda: Appoſitionem enim hanc punctorum & accentuum, talem eſſe rem, quæ non potuerit ex Sapientia humana proficiſci, ſed à Sapientia Divina & extraordinaria originem ſuam ducere. Neque etiam,* inquit, *probabile eſt, noſtram gentem hæc accepturam fuiſſe, niſi vel ab uno vel à pluribus, ſingularibus & extraordinariis à Deo inſtructis donis, hoc eſt, niſi Prophetæ, aut ſimiles viri fuiſſent. Nam contra alios in promptu fuiſſet exceptio, quemvis alium tantundem aut plus præſtare potuiſſe.* Vide hunc locum ſuprà cap. 3.

3. Si artificium hoc Accentuum tam recens eſt inventum, &, ut vult Revelator, gradatim per plura ſæcula auctum & ad hanc perfectionem, in qua nunc conſpicitur, perductum, à Ben Aſcher & Ben Naphtali, qui floruerunt circa annum Chriſti 1040. expendat quæſo benevolus Lector,

primò, annon mirum ſit, eo ſtatim tempore circa ipſa initia inter hos duos tàm multas diſſenſiones fuiſſe de Accentibus? cur illi non conſenſerunt?

ſecundò, quî factum, quòd primo ſtatim ſæculo, quo inventum hoc prodiit, ejus rationes, leges, uſus, fuerunt incogniti? An ſibi ſolis invenerunt? Si aliis, cur non explicarunt rationes & fundamenta illorum? Si communicarunt, quomodo tam ſubitaneâ oblivione iterum involvi potuerunt? Quòd verò circa illa tempora nihil certi ampliùs de illis habuerint, aut certè multa jam de illis ſcienda ignorârint, patet ex libris illis ſæculis

ſcriptis,

ſcriptis, uti eſt liber Coſri, qui ſcriptus circa annum 1140. Liber de Accentibus Judæ ben Bilham, qui antiquior ſit neceſſe eſt: quia Aben Eſra, qui etiam floruit circa annum Chriſti 1140. eum jam citavit Pſal.74. & alibi: Liber הורית הקורא *Horijas hakkóre*, qui etiam agit de Punctis & Accentibus: hunc citat R. Jehuda ben Bilham, unde ſi non illis duobus, Ben Aſcher, & Ben Naphtali, antiquior, ſaltem illis coætaneum fuiſſe oportet, &c. Atqui hi omnes jam dubitarunt de multis circa Accentuum rationem.

tertio; Si inventum hoc tam eſt recens, ejus principium non ignorare potuerunt R. Jehuda Hallevi, Aben Eſra, author libri Horijas hakkóre; Si non ignorarunt, cur nihil de eo prodiderunt? maximè cùm occaſionem habuiſſent. Cur Eſræ adſcribunt? Imò cur tantam Divinitatem eis adſcribunt, tanta myſteria in illorum figuris atque uſu recondiderunt?

quartò; Si inventum hoc Accentuum tam ſerum eſt & recens, à viris humano Spiritu actis effectum, cur non uniformitatem obſervarunt, cur tam multa irregularia poſuerunt, & notam illis appoſuerunt? Illas notas, ex Novatorum ſententia, oportet eſſe vel ab ipſis authoribus, vel à Maſorethis recentioribus. Non ſunt ab ipſis authoribus, quia illi facti ſui rationem reddere debuiſſent, ſi fidem mereri voluiſſent; cùm non majoris authoritatis fuerint, ut Coſri ſcribit, quàm quivis alius: Non à recentioribus; quos enim dabunt nobis, vel unde dabunt Maſorethas poſt milleſimum centeſimum Chriſti annum?

Hæc omnia docent, longè majorem eſſe illorum Antiquitatem, quàm fictitiorum horum Maſoretharum?

Et ſic pro virili noſtra hactenus excuſſimus ac diſcuſſimus Argumenta à Revelatore pro Novitate Punctorum producta, quatenus illa Maſorethis Tiberienſibus poſt-Talmudicis adſcribuntur.

Caput XV.

An Ben Aſcher & Ben Naphtali poſſint eſſe Punctorum & Accentuum, ſive ex toto, ſive ex parte, primi Authores & Inventores?

Superiùs capite ſecundo vidimus, Punctorum Inventionem à nonnullis adſcribi etiam duobus quibuſdam celebribus Hebræorum ſive Scribis, ſive Doctoribus, qui vulgò *Ben Aſcher* & *Ben Naphtali* dicuntur.

Antequam ergò ſententiam illam examinemus, operæ pretium fuerit, quædam in Lectorum gratiam de horum duorum Doctorum hiſtoria præmittere, ut tanto meliùs de re ipſa poſtea judicare poſſint.

Frequens eſt equidem illorum memoria apud Hebræos & Chriſtianos; Hiſtoria autem illorum rara & parca, nec ita plana & evidens, quod deplorandum.

NOMEN illorum quod attinet; Primus *Ben Aſcher*, ſed abbreviatè, dicitur. Plenum ejus nomen fuit, notante R. Gedaljah, *R. Aharon, Filius R. Moſis, de tribu Aſcher.* Alter, *Ben Naphtali*, ab Elia vocatur plenè *Jacobus ben Naphtali*; à R. Gedaljah, *R. Moſes, Filius Davidis, de tribu Naphtali.*

MUNERIS & *OFFICII* ratione, ſcribit Elias Levita, in libro Maſoreth, Præf. 3. illos fuiſſe שְׁנֵי רָאשֵׁי יְשִׁיבוֹת. *Duo capita*, vel, *duos Rectores Academiarum.* R. Gedaljah in genere ipſos vocat שְׁנֵי חֲכָמִים גְדוֹלִים *Duos magnos ſapientes.*

LOCUM ubi vixerint, floruerint, vel Rectores fuerint, non exprimit Elias. In libello de Accentibus, qui Bibliis primis Venetis adjectus eſt, & Ben Aſchero adſcribitur, dicitur *Ben Aſcher fuiſſe ex Tiberiade, quæ eſt ad lacum Genneſareth.* Ergo hic fuerit Rector Tiberiadis. (Siquidem eo tempore Academia adhuc ibi fuit): aut

aut ſaltem celebris illic Doctor. De *Ben Naphtali* in ſpecie nihil legi apud Hebræos. Probabiliter autem colligi fortaſsis poſsit; cùm alter in Palæſtina fuerit, hunc fuiſſe in Babylonia: quia in lectione vocum, de quibus diſſentiebant, Hieroſolymitani Judæi ſequuti ſunt Lectionem Ben Aſcher; Orientales verò, ſive Babylonii, lectionem Ben Naphtali, ſicut audiemus.

De *TEMPORE* quo floruerunt, ſcribit R. Gedáljah, in libro Schalſchéleth hakkabbálah fol.37. col.1. illos, *ſuâ quidem ſententiâ fuiſſe circa annum 794. ſupputationis minoris, Chriſti* 1034. Sic etiam in Tzemach David. Chriſtiani nonnulli antiquiorem illis ætatem aſsignant, ut Genebrardus, uti ſuprà viſum, cap.2. & Galatinus, de cujus ſententia mox agetur: In libro de Divinis Arcanis, p.857. Sed hi non dicunt, unde id habeant.

ACTIONES & *STUDIA* ipſorum, unde celebres evaſerunt, fuerunt Critica, qualia Maſorethar um erant, circa correctam & emendatam Sacræ Scripturæ lectionem: aut fortè *Scribæ periti* fuerunt, qui exemplaria Biblica correcta & emendata deſcribebant, unde Balmeſius ipſos vocat סופרים *Scribas*. Ortæ ſunt autem inter ipſos diſſenſiones, de multarum vocum accurata ſcriptione, ſed grammaticales tantùm, nec magni momenti, & quæ ſenſum aut ſignificationem vocum nihil planè attingant; de Punctis ſcilicet duntaxat aliquibus, ſed maximam partem Accentibus, ut videre eſt ex Catalogo illarum vocum, qui ſubjunctus eſt Bibliis majoribus. Diſsidia illorum de Punctis vocalibus, ſunt tantummodò, ut Elias obſervavit, de Cholem, Kametzchatuph, Kametz magno, Pathach, Scheva, & Chateph pathach: item de Dageſch, & Raphe: De Accentibus etiam non omnibus diſſentiebant, ſed tantùm de minoribus: veluti Metheg, Makkaph, Munach, Paſchta, &c. Diſſenſionem etiam unam obſervo de ſcriptione integræ vocis שַׁלְהֶבֶתְיָה Cantic.8. v.6. ſed tantùm de ſcriptionis modo, non verò de ſenſu. Ben Aſcher vult eſſe unicam vocem; compoſitam ſc. uti in Maſora parva annotatur: Ben Naphtali vult, eſſe duas voces ſeparatas. Aben Eſræ nota ſive gloſſa ad hanc vocem eſt: יש מַחֲלוּקֶת בֵּין אַנְשֵׁי הַמָּסוֹרֶת אִם הִיא מִלָּה אַחַת או שְׁתַּיִם וְהַקָּרוֹב שֶׁהִיא שְׁתַּיִם וּסְמִיכַת הַשֵּׁם כְּמוֹ כְּהַרְרֵי אֵל hoc eſt, *Diſſenſio eſt inter Maſſorethas, utrum ſit vox una, an duæ: & videntur eſſe duæ constructæ, ut* כְּהַרְרֵי אֵל Pſal.36.7. Nota, Aben Eſram hîc illos accenſére Maſorethis,

ſorethis, &c, ut alibi ſæpè, illis ceu Maſorethis ſe opponere. Punctatori autem & Accentuum authori nullibi ſe opponit.

Sub Ben Aſcheris nomine prodiit libellus quidam de Accentibus, in primâ editione Venetâ Bibliorum Hebraico-Chaldaicorum in fol.

In Pugione Chriſtianorum Martini Raymundi par. 2. cap. 3. mentio fit Grammaticæ Ben Aſcheris. Ibi enim, ex occaſione eorum locorum, quæ *Tikkun Sopherim* vocantur, ſic ſcribitur: *In fine libri Ben Aſcher, qui dicitur* Dicduk, *id eſt*, Grammatica, *& in aliis locis innumeris, ubi iſtud, & illa quæ ſequuntur, Rabbinis Judæorum occurrunt exponenda, dicitur, diverſimodè tamen, quòd hoc quod præmiſſum eſt, ſc.* Et Abraham ſtabat adhuc coram Domino, *Gen.* 18. 22. *eſt* Tikkun Sopherim, *hoc eſt*, Aptatio Scribarum, &c. Ego tamen neſcio, annon fortaſsis pro *Ben Aſcher* legendum ſit *Aben Eſra*. Nam in fine libri ejus צחות, quædam habentur de illis *Tikkun Sopherim.*

AUTHORITAS illorum ea fuit, quod, ut dictum, Orientales Judæi, ſeu Babylonii, ſequuti ſint lectionem Ben Naphtali; Occidentales verò, in Palæſtina ſc. Ben Aſcher. Unde probabiliter antea collegimus, alterum floruiſſe in Babylonia, alterum in Palæſtina. Et hodieq; omnes harum terrarum Judæi, omnia etiam noſtra exemplaria Biblica, ſequuntur lectionem Ben Aſcheris. Hinc ſcribit Kimchi in Præfatione libri *Schoraſchim*: וכן אזכיר קצת מחלוקות בן אשר ובן נפתלי ואנחנו סומכין על קריאת בן אשר h. e. *Adducam etiam aliquando diſſenſiones Ben Aſcher, & Ben Naphtali: Nos autem innitimur lectioni Ben Aſcher.* Sic Pſal. 62. v. 4. ad vocem תרצחו ſcribit: ומלת תרצחו בקמץ הריש לבן אשר ובן נפתלי קורא תרצחו בפתח הריש ואנו סומכין על קריאת בן אשר hoc eſt, *Vox* תרצחו *ſcribitur cum Kametz ſub litera Reſch, ſecundum Ben Aſcher: Ben Naphtali autem ſcribit Reſch cum Pathach: ſed nos ſequimur lectionem Ben Aſcher.* Elias in Maſoreth hammaſoreth: אנחנו סומכין על קריאתו בכל הארצות האלה ואנשי מזרח סומכין על קריאת בן נפתלי *Nos ſequimur lectionem Ben Aſcher, in omnibus hiſce regionibus: at Judæi Orientales ſequuntur lectionem Ben Naphtali:* Et in Arcâ tabularum fractarum: בנסחאות שנכתב דעת בן נפתלי בפנים ודעת בן אשר בחוץ הוא טעות כי העקר אצלנו דעת בן אשר לפיכך ראוי לכתוב העקר בפנים ולא בגליון *In quibus exemplaribus Biblicis ſententia*

tia Ben Naphtali ſcribitur in textu, & ſententia Ben Aſcher in margine, id falſum eſt & erroneum:. Fundamentum enim apud nos eſt ſententia Ben Aſcher; ideoq́, etiam, quod principalius eſt, ſcribi debet in textu, non autem in margine. Balmeſius in ſua Grammatica, literâ D iiii, diſſenſionem quandam illarum citans, de Ben Aſcher ſcribit, אֲשֶׁר בּוֹ הֶחֱזִיק מִנְהַג הַקּוֹרְאִים הַמְדַקְדְּקִים עַל לְשׁוֹנָם בִּזְמַנֵּנוּ זֶה: *quòd ſecundum ipſum obtinuerit conſuetudo lectionis apud omnes eos qui accurati volunt eſſe, hoc noſtro tempore.* Hinc etiam eſt, quod ad vocem התהלך notatur in Maſora parva Exo, 21. 19. פלונתא דבן אשר ובן נפתלי , דין אליבא דבן אשר hoc eſt, *Diſſenſio eſt de Accentu hujus vocis inter Ben Aſcher, & Ben Naphtali: hoc eſt juxta mentem Ben Aſcher.*

His ſic præmiſsis, videndum nunc, *An iſti duo Doctores poſſint eſſe Authores Punctorum & Accentuum?*

Duæ hic ſunt ſententiæ: *Quidam* enim abſolutè iis Inventionem Punctorum totam adſcribunt: *Alii* ſecundum quid, & ex parte duntaxat.

Qui Priorem ſententiam tenent, nullos, quod ego viderim, ejus adferunt teſtes, nullas etiam rationes: ſed ſimpliciter dicunt, Illos ſtatui Authores punctorum.

At à quibus quæſo ſtatuuntur? Non à Judæis. Ego enim ne unicum quidem hactenus vidi aut legi, qui id ſtatuerit; imò ne ſententiæ quidem hujus meminerunt, cum varias de Origine Punctorum ſententias recenſent. Si à Chriſtianis, quinam illi amabò ſunt, ut tantam authoritatem habere poſsint? Et ſi quidam ſunt, oportet ut id habeant ex hiſtoria Judaica. nam ſi ex propria opinione vel conjectura id aſſerant, quam fidem merebuntur? Quàm facilè ipſi id affirmant, tàm facilè alii negabunt.

Antiquiſsimus ſcriptor, quem ego quidem vidi, qui hujus ſententiæ mentionem facit, eſt Martinus Raymundi in Pugione Chriſtianorum Par. 3. Diſtinct. 3. cap. 19. ſcribens. *Cæterum nec Moſes punctavit legem, unde Judæi non habent eam cum punctis, id eſt, cum vocalibus ſcriptam in rotulis ſuis, nec aliquis ex Prophetis punctavit librum ſuum: ſed duo Judæi, quorum unus dictus eſt Naphtali, alter verò Ben Aſcher, totum Vetus Teſtamentum punctaſſe leguntur, quæ quidem puncta cum quibuſdam virgulis ſunt loco vocalium apud eos.* Si ſententia ipſius fuit, hos duos *primos* punctaſſe libros ſacros, benè feciſ-

ſet bonus iſte Vir, ſi ſcripſiſſet & notaſſet, ubi, vel apud quos, iſti duo legantur *primi* punctaſſe totum Vetus Teſtamentum. Nos enim in prætoriis ejuſmodi ſententiis non ita facilè acquieſcimus.

Petrus Galatinus lib. 1. cap.8. ubi de Sacræ Scripturæ depravationibus, à Judæis factis, agit, inter eas ſecundo loco refert illum modum, *quo Scribæ Judæorum, id quod Prophetæ ſcripſerant, dimittentes, non literas quidem notaverunt, ſed aliter, quàm Scriptura naturaliter exigebat, punctare præſumpſerunt, &c.* Et hac occaſione ſcribit; *Quis Biblia punctavit? Moſes Legem non punctavit. Unde eam, quam Judæi in Synagogis cum veneratione tenent, ſine punctis ſcriptam habent. Nec aliquis etiam ex Prophetis librum ſuum punctavit, ſed poſteriores & Legem, & Prophetas, & Hagiographa punctaverunt. Quidam igitur ajunt, Eſdram codices Sacros primùm punctaſſe: Alii verò, non Eſram, ſed alios quoſdam duos, qui poſt Eſram fuerunt, & alter Ben Naphtali, alter Ben Aſcher appellatus eſt, primos libris Sacris puncta appoſuiſſe affirmant. Quorum quidem opinio communior eſt.* Optimè feciſſet etiam Galatinus, ſi & ille eos nominaſſet, inter quos *opinio ea ita communis* ſit. De nullis ſanè Hebræis mihi conſtat, qui eam laudent. Hoc autem miſſo, antiquum valdè ſæculum ipſis aſſignat, dum vult, has corruptiones factas eſſe ante Talmud, ante D. Hieronymum, imò ante Chriſtum; ſed tamen poſt Eſram, ſicuti liquet ex iis, quæ partim ſub initium, partim ſub finem illius capitis ſcribit, ſi conferantur. Quo fundamento verò & hoc aſſerat, non magis mihi conſtat, quam prius. Hoc verò ſatis mihi conſtat, eum Argumentum illud de Correctionibus Scribarum, quod eo capite pertractavit, non intellexiſſe, ut alibi fortaſsis docebimus.

Hebræi, uti vidimus, recentiores illos faciunt unanimiter. Itaque cùm hæc omnia ſine teſtibus dicantur, huic opinioni vix tutò inſiſti poteſt.

Elias ergò, Novatorum Pater, negat diſertè, his duobus Inventionem Punctorum adſcribi poſſe, dum ſcribit, *Diſſidia inter Ben Aſcher, & Ben Naphtali, quæ tantum ſunt de Punctis & Accentibus, non eſt dubium, quin poſt inventionem Punctorum & Accentuum conſcripta ſint*, וזה קל לרבין *id quod facilè quilibet intelligere & animadvertere poteſt.*

Unde hoc eſt *facile animadvertere?*

1. Ex

1. Ex circumſtantia Temporis,quo vixiſſe perhibentur. Quod ſi enim ante ſexcentos duntaxat annos vixerunt,ut Hebręi volunt, nimis ſanè recens eſt Punctorum inventum. An R. Jehuda Hallevi, Aben Eſra,& Grammatici primi, qui circa illud ſæculum vixerunt, id ignoraſſent, aut reticuiſſent? maximè cùm illorum mentionem faciant. An eo tempore tot viri docti adeò omnium ſuarum rerum ignari eſſe potuiſſent, ut ſcripſiſſent, Eſdram & Viros Synagogæ magnæ eſſe punctorum authores? An nulla punctata exemplaria ſunt antiquiora? Author libri Juchaſin mentionem facit cujuſdam, ſcripti ante mille circiter annos. In ſumma; majoris antiquitatis punctorum plurima ſunt evidentia teſtimonia.

2. Ex Opere ipſo, & ex diſſenſionis ratione. Illorum enim diſſenſiones ſunt de vocibus jam antea cum Punctis & Accentibus notatis, & fortaſsis ex aliis exemplaribus collectis, ut mox ulteriùs videbimus:

3. Si illi primi ſunt authores,& junctis operibus,ut quidam volunt, hoc opus conſtruxerunt, annon mirum, tot jam de Punctatione diſſenſiones inter ipſos ortas eſſe? annon probabile eſt, illos operam daturos fuiſſe, ut inter ipſos conveniret, quò novi operis tantò major eſſet apud alios fides & authoritas, neque diſſenſiones ſuas publicè ſic expoſituros? Et cum nonniſi in leviſsimis & minimis diſsideant, annon mirum, illos in majoribus ὁμοψήφυς fuiſſe, hic verò nullam conciliationis rationem invenire potuiſſe?

Sed non exiſtimamus neceſſe, pluribus ſententiæ hujus abſurditatem demonſtrare; niſi fortè aliam & certiorem quis horum duorum Doctorum hiſtoriam nobis protulerit. Itaque eâ miſsâ,

Altera nobis diſcutienda venit *ſententia*, quâ non quidem Prima & Univerſalis Punctorum Inventio; ſed Pars ejus aliqua ipſis adſcribitur; quam ſententiam amplexus eſt, & defendendam ſuſcepit Revelator.

Animadvertens enim prioris ſententiæ incertitudinem & infirmitatem, aliter hiſtoriam Punctationis & Punctatorum contexendam, neque ab ea omninò hos excludendos, ratus eſt. Hanc verò cùm in libris & authoribus nullis reperiret, ſuopte Marte & ingenio eam hoc pactò nobis procudit;

Dicit; *Punctationem & Accentuationem totam, nequaquam ab uno aut altero homine, ſimul & ſemel, paucis menſibus vel annis, excogitatam, & Sacro textui additam eſſe, ſed paulatim & ſucceſſive, à variis hominibus, & diverſis temporibus, aliis alia excogitantibus, & iis, quæ inventa jam fuerunt, ſubinde addentibus: Neque dubitandum eſſe, quin progreſſus iſte factus fuerit à magis neceſſariis ad minus neceſſaria. Hoc itaque ordine & ſerie Punctorum genealogiam nobis deſcribit:*

1. *Primi Maſorethæ Textum ſacrum diſtinxerunt in* פסוקים *Verſiculos: & duo illa craſſa puncta, quæ* סוף פסוק *dicuntur, invenerunt, & Textui addiderunt.*

2. *Horum ſucceſſores excogitârunt Figuras quinque naturalium Vocalium A, E, I, O, U, quæ Vocales Longæ hodiè à Grammaticis vocantur: & fortaſſis Scheva mobile etiam.*

3. *Sublatâ, per iſtas Vocalium quinque naturalium figuras, ambiguitate, & difficultate legendi, acceſſerunt ab aliis Apiculi illi accentuum diſtinguentium, qui Pauſæ majores vocantur; quibus Periodorum ſeu Verſuum ſingulorum membra & ſegmenta minora notantur.*

4. *Exinde ab aliis, circa lectionem ſacram moroſioribus & ſcrupuloſioribus* Criticis, *ſuperadditi reliqui Accentus, qui Reges dicuntur, Minores diſtinctiones facientes, tandemq; etiam, ab aliis longè ſuperſtitioſiſſimis, & ſcrupuloſiſſimis, adjuncti Accentus miniſtri; idq; eò magis, quòd ſimul Accentibus iſtis partem aliquam Muſicæ ſuæ, ſecundum quam Textum ſacrum legunt, exprimere voluerint.*

5. *Ut thematum ſeu vocum nonnullarum homonymia tolleretur, conſultum exiſtimarunt alii, ut litera* ש, *quæ à Magiſtris* (ſolis, non item ab aliis) *bifariam efferebatur, puncto notaretur modo dextro, modò ſiniſtro.*

6. *Dehinc, cùm quibuſdam videretur (quod prius non obtinebat, neq; ex linguæ aut loquendi uſu fiebat) literas* בגד כפת, *modò aſpiratè, modò ut tenues efferre, diſcrimini iſti deſignando excogitârunt* Dageſch lene, *& lineolam Raphe: Item, eodem conſilio, ad indicium literæ geminandæ, Dageſch forte, &c.*

7. *Poſt hos alii fuerunt, qui videntes, literam* ה *in vocibus quibuſdam in fine efferri, nec quieſcere, in motus hujus indicium excogitârunt punctum Mappik, quo ab He quieſcente diſtingueretur.*

8. *His ſupervenerunt alii Critici, qui, ut apud Hebræos quoque Syllabarum Simplicium &* Compoſitarum *differentia eſſet, eaq; à rudioribus*

tantò

tanto melius animadverti poſſet, quinque Vocalibus longis, quæ à primis Criticis excogitatæ fuere, alias quinque ſuperaddiderunt, quas Breves hodie vocant, prioribus illis quinque ἀντιστοίχους & quaſi ex adverſo reſpondentes: Scheva item quieſcens majoris cautionis gratiâ.

9. *Denique cùm alii viderent, literas gutturales abhorrere à ſono Scheva ſimplicis, excogitârunt figuras Scheva compoſiti, ut illis literæ gutturales notarentur, quotieſcunque analogia Grammatica in illis Scheva ſimplex requirit.*

Hæc, ni fallor, eſt hiſtoria atque ſeries Inventionis Punctorum & Accentuum, quam capite 17. Arcani Punctationis revelati Revelator revelavit ex ſolo divino & στοχαστικῷ ſuo genio & ingenio. Nam Hebræorum libri hac de re nihil hactenus, ne minimo quidem indicio, prodiderunt, ne quis forte ſuſpicetur, illum ſuppreſſis aut neglectis Authorum nominibus, hæc ex illis hauſiſſe, & Hebræorum ſententias tacitè proponere. Ab hoc crimine ubiq; liber & immunis eſt hic author, qui non facilè ab illis quid mutuatur; ſed ſuis revelationibus & divinationibus unicè ubique inſiſtit, & de iis ita certus eſt, ut nunquam dubitet, ea quæ hæc ipſi dictant, omnibus Chriſtianorum, & maximè Judæorum, teſtimoniis & authoritatibus præferre. Neque etiam, ubi huc deventum eſt, Elias quicquam valet, *cujus tamen unius teſtimonium in hac cauſa ipſe alias pluris faciendum putat, quàm omnium aliorum contrà ſentientium.* Nihil enim Elias quicquam ſimile hîc vidit, aut obſervavit: Nam ipſe ſtatuit, *Omnes Punctorum & Accentuum figuras ac notas ſimul & ſemel, ab unis iiſdemq; inventas eſſe*, ut ſup. cap. 2. viſum. Revelator noſter ſucceſsivè vult illud factum eſſe, & à diverſis. Elias exiſtimat, *Maſorethas appoſuiſſe accentus diſtinguentes majores & minores, poſtea demum puncta vocalia; eò quod Puncta propter Accentus ſæpius mutentur:* Revelator contrarium ponit ordinem. Elias ſenſit, *Accentus non modò vocum elevationi & depreſſioni, ut & diſtinctionibus ſententiarum inſervire, ſed & Muſicæ Biblicæ:* Revelator id negat. Neque tamen ideo fas eſt de hac ipſius hiſtoria dubitare, atque vel Eliæ, vel aliorum Hebræorum ſententias ei præferre. Omnibus quippe ſeculis major fuit Revelationum, quàm Traditionum humanarum certitudo atque authoritas; niſi fortè quis moroſior & ſcrupuloſior diſtinctionem fecerit inter Revelationes Viſionum vigilantibus oblatas, & Somniorum: nam ex

hoc poſteriori genere iſta eſſe videtur, quas valde dubias volunt eſſe Hebræi, maximè ſi contingant diebus Veneris, juxta illud, חלמא דבי שמשי לית בהו מששא *Somnia dic: Veneris nihil quicquam habent ſoliditatis.*; in Talmud Joma fol.83.2.

Et certè in uno ſomnium ipſum deſtituit, (uti ſemper ferè aliquid in incerto & ſuſpenſo relinquunt, ut iterum Hebræi docent, dum ſcribunt; לָא חֶלְמָא טָבָא מִיקַיַּם כוליה וְלָא חֶלְמָא בִישָׁא מִיקַיַּם כּוּלֵּיה *Neque ſomnium bonum, neque malum, abſolutè perficitur & impletur*), quòd [illegible]. Nomina Authorum ſingularum inventionum non etiam ipſi revelata fuerunt.

Aliquid tamen hîc quoque Vidit, & nobiſcum communicavit, videlicet, *quòd celebris ille Maſoretha* BEN ASCHER (*alterius non minus celebris Maſoretha, Ben Naphtali, ſocius & coætaneus*) *Punctationem hanc, jam pridem ab Anteceſſoribus ſuis captam quidem, & non leviter auctam ac promotam, nondum tamen abſolutam, ſed in multis adhuc deficientem, aut etiam nævis quibuſdam laborantem, imperfectam denique, conſummârit, & ultimam quaſi coronidem ei impoſuerit, multa ad præcedentia feliciter inventa addendo, alia etiam fortè immutando atque emendando, nova etiam nonnulla excogitando.*

Colligit hoc ex eo, quod Majemonides ſcribit in ספר הלכות תורה cap.8. §. 4. ſe in notandis & deſignandis ſectionibus Legis Apertis (quas vocant) & Clauſis, ſequutum eſſe authoritatem cujuſdam Codicis, שֶׁהִגִּיהוּ בֶּן אָשֵׁר וְדִקְדֵּק בּוֹ שָׁנִים הַרְבֵּה וְהִגִּיהוּ פְּעָמִים רַבּוֹת כְּמוֹ שֶׁהֶעְתִּיקוֹ *quem emendatè deſcripſerit Ben Aſcher, & in quo deſcribendo multos annos impenderit, quemq; ſæpiùs inter deſcribendum caſtigârit & emendârit.*

Ex his verbis firmiter concludit, *neceſſariò ſtatuendum eſſe, hunc Ben Aſcher tot annis in hoc codice emendando laboraſſe, non ſimpliciter ex alio Codice eum deſcribendo, aut cum aliis conferendo: ſed in Punctatione perficienda, perpolienda, & abſolvenda.*

Nam 1. ad *deſcriptionem ſimp[illegible] ex alio exemplari, non opus fuiſſet multos annos impend[illegible] temporis ſpatio id abſolvere potuiſſet.* 2. *Non tanta Tranſcriptionis ſimplicis potuiſſet eſſe gloria, ut iſte potiùs Codex, quem deſcripſit Ben Aſcher, quàm ille ex quo deſcripſit, fuiſſet pro exemplari proponendus, ut ex eo poſtmodum omnes reliqui libri caſtigarentur, aut ad ejus formam deſcriberentur.*

At verò ſi ad Rationis trutinam ſententiam hanc appenderimus,

mus, & æquâ lance ponderaverimus, nimis eam levem deprehendemus.

1. Si prima Punctorum Inventio, facta à Maſorethis Tiberienſibus, cæpit circa annum Chriſti quingenteſimum, & ſucceſſivè demum perfecta atque ad apicem ſummum perducta eſt circa Annum Chriſti milleſimum, à Ben Aſcher, & quidem ita, ut ille errores atque nævos priorum correxerit, defectusque ſuppleverit; cùm per 500. minimùm annos laboratum fuit in hoc Punctationis Opere, & quidem à quamplurimis.

Hoc ſi eſt, quæro, quî fiat, cùm ſatis antiquos habeamus ſcriptores Hebræos, quòd ne unus quidem hujus rei vel leviſſimo indicio meminerit? Sanè hæc ſententia apud Hebræos tam eſt nova, quàm quidquam eſſe poteſt.

Annon primi Grammatici, qui ante 600. imo & 700. vel 800. annos vixerunt, hujus rei meminiſſent? An illi hoc ignorare potuiſſent? An illi non habuerunt etiam monumenta, aliquot ſæculis ſe antiquiora? At nec vola nec veſtigium hujus rei in ipſis comparet. Ego equidem hactenus illorum ſcripta non vidi aut nanciſci potui. Viſa autem ſunt Aben Eſræ, Kimchio, Ephodæo, & cæteris grammaticis Hebræis, quos ego vidi & legi, &c. qui paſſim plurima ex eis citant, Ben Aſcheris etiam mentionem faciunt: unde facilè eſt colligere, quid illi hac de re ſenſerint? Et qui hos omnes præceſſit, author longè doctiſſimus libri Coſri, quique ſecundum nonnullos, ut infrà audiemus, ante mille ferè annos vixit, & in Punctorum & Accentuum originem inquiſivit, cur ille ſucceſſivæ hujus Punctorum inventionis non meminit? cur univerſum opus Viris Synagogæ magnæ adſcripſit?

2. Si Ben Aſcher non ſolùm præcedentium Punctatorum nævos correxit, ſed defectus etiam & imperfectiones complevit & abſolvit, quæro, quid ergo novi ipſe invenerit? Nam ex Revelatoris ipſius ſententia, antea jam omnia inventa fuêre, ut in ſuperiore ſerie, quam contexuit, audivimus. Inventa jam fuêre ante eum Puncta omnia Longa, Brevia, & Breviſſima: Inventum fuit Dageſch utrumque, Raphe, Mappik: Inventi fuêre Accentus Reges majores, minores, unà cũ Miniſtris. Quæ ergo ſunt illa *multa ab ipſo inventa, ſuperaddita, & de novo excogitata?* Nos certè hodiè non habemus plura, quàm ea, quæ jam ante Ben Aſcher inventa fuiſſe dixit.

3. Si

3. Si Ben Aſcher ſolus hæc omnia correxit, emendavit, complevit, & perfecit, quid tandem fecit ipſius Collega Ben Naphtali? Unde illæ inter ipſos diſſenſiones? Sic ille nihil aliud facere potuiſſet, quàm ut Punctationem Ben Aſcheris voluiſſet corrigere. At nec illæ diſſenſiones hoc arguunt, nec quiſquam hactenus tale quid cogitavit aut ſcripſit.

4. Si Ben Aſcher ſolus tot veterum & probatorum Authorum inventa, eaque publicè jam ſine dubio recepta & approbata, caſtigavit, immutavit, emendavit, &c. an probabile eſt, neminem in mundo ſe ei oppoſiturum fuiſſe, ſed omnes in univerſum, ipſius ſententiam, veluti è cælo delapſam, aut ab altero Moſe è monte Sinaj allatam, recepturos, ut poſt ipſum vetera omnia ſtatim abrogarentur? Unde ipſi tanta authoritas? Si tanta authoritas fuit, mirum valdè, ab Hebræis, qui ante aliquot ſæcula vixere, & ſtatim poſt ipſum, hiſtoriam ipſius tam leviter & ſicco pede fuiſſe prætermiſſam, neminem in ipſius laudes, encomia & præconia, ſe effudiſſe, ut nihil hodiè ferè, niſi nomen ejus, & hoc pænè incertum, nobis remanſerit. Author libri Juchaſin, qui omnium Veterum & recentium Rabbinorum, qui quidem vel ſcriptis, vel eruditione atque doctrinâ eminuerunt, catalogum, genealogiam atque ſeriem conſcripſit, hujus ne verbo quidem, quod quidem ego obſervavi, meminit. Quomodo tam inſignis, tam celebris, & in univerſum orbem divulgati operis author, & non adeò antiquus, tam ignotus manſit, ut nec certum tempus quo vixit, nec locus certus, ubi vixit, ſciri poſsit?

5. Si tam recens inventum, & unici hominis judicio innixum; quæro, quæ ſit ejus certitudo? quæ authoritas?

Sed commentum hoc videtur ipſius Ben Aſcheris verbis profligari & confutari poſſe. Extat ſub finem primæ editionis Bibliorum Venetorum in fol. libellus, aut potiùs fragmentum libri de Accentibus, quod huic R. Aſchero adſcribitur. Ex eo, ſiquidem ipſe ejus author eſt, videtur non obſcurè colligi, illum hæc omnia aliis, & quidem ſe longe majoribus & antiquioribus, attribuere. Primò enim ſtatim ab initio ita ſcribit: שַׁעַר הַטְעָמִים שְׁנֵים עָשָׂר רשומים במאורות מקויימים מהם קטנים, ומהם רמים, ולא נעלמים, בפי נבונים וחכמים בשום שכל חתומים *Porta Accentuum: duodecim ſunt notæ vel figuræ, in luminaria conſtitutæ: illarum*

rum quædam ſunt parvæ, quædam altæ, diſpoſitæ & non abſcenditæ, in ore intelligentium & prudentium, cum appoſitione intellectus obſignatæ. Ut cætera taceam, obſervet prudens lector verba hæc ultima, בשום שכל נתונים *Per appoſitionem intellectus appoſitæ*; Annon palàm his verbis reſpexerit ad locum illum Talmudicum, in quo dicitur Nehem. 8. per hæc verba ושום שכל *Et apponendo intellectum*, intelligi, *Accentus, tum temporis ab Eſrâ appoſitos*, ac velle dicere, *illos à viris Prudentiſſimis & ſagaciſſimis, Eſrâ & collegis ipſius, juxta Talmudicorum teſtimonium* (quod tacitè allegat, dum verba illorum adhibet) *appoſitos eſſe.* Sanè, qui nares habet purgatas, & ſenſus in Hebræorum libris exercitatos, facilè ſubolfacit, quid his verbis ſibi voluerit. Et mox iterum, poſtquam *Servos* recenſuiſſet: זה כל הטעמים משרתים נעימים מגולים ולא סתומים מפי סופרים, לעולם סמוכים, לעד לעולמים, עשויים באמת ותמים, אשרי אדם מצא חכמה ואדם יפיק תבונה: *Et hi ſunt Accentus ſuaves miniſtri, revelati, & non occultati, ex ore Scribarum, perpetuò ſunt conjuncti, facti in veritate & integritate: Beatus homo, qui invenit ſapientiam, & homo qui educit intelligentiam* (i. e. qui uſum illorum aſſequitur). An cuiquam videri poſſunt hæc verba ejus qui rem aliquam ipſemet ex parte confecit, perfecit, & abſolvit?

Quia vero Majemonidis authoritatem hic prætendit Revelator, & exiſtimat, ſe ex ipſius verbis optimâ, imò neceſſariâ conſequentiâ, hanc concluſionem poſſe elicere, breviter illa quoque examinemus.

Verba Majemonidis hæc ſunt: וספר שסמכנו עליו בדברים אלו הוא הספר הידוע במצרים שהוא כולל ארבעה ועשרים ספרים שהיה בירושלים מכמה שנים להגיה ממנו הספרים ועליו היו הכל סומכין לפי שהגיהו בן אשר ודקדק בו שנים הרבה והגיהו פעמים רבות כמו שהעתיקו ועליו סמכתי בספר התורה שכתבתי כהלכתו hoc eſt, *Liber autem, cui innixi ſumus in rebus iſtis* (ſignandis ſectionibus clauſis & apertis), *eſt Liber celeberrimus in Aegypto, comprehendens omnes viginti quatuor libros* (Biblicos), *qui à plurimis annis fuerat Hieroſolymis, ut ex eo corrigerentur libri* (qui nempe deſcribebantur): *Et huic libro omnes innitebantur, eo quòd eum correxiſſet Ben Aſcher, & multos annos diligentem in eo operam navaſſet, multotieſq; eum recenſuiſſet, cùm eum tranſtulit. Iſtum itaque librum ſequutus ſum & ego in libro Legis, quem deſcripſi juxta ipſius normam & formam.*

Mm

Sed fundamentum hoc eſt valdè leve, tanto operi ſuperſtruendo. Quæ enim hæc conſequentia; *Ben Aſcher in exemplari quodam Biblico caſtigando, emendando, revidendo, impendit aliquot annos. Ergò exemplar nullum antea perfecte erat punctis & accentibus notatum, ſed ipſe tùm primùm punctationis artem invenit, & abſolvit:* Quid enim? Annon in conferendo potuit tot annos impendere? An putamus tàm leve opus eſſe, Univerſa Biblia, collatis inter ſe pluribus exemplaribus, conferre, & judicio adhibito, quod melius eligere. Quot annos ſæpè Critici noſtri inſumunt, in Seneca, Tacito, Plauto, vel aliis authoribus caſtigandis, ex antiquis Manuſcriptis exemplaribus; & miramur, idem à Rabbino quopiam factitatum eſſe circa Textum Sacrum? Et an putamus illum huic rei unicè vacaſſe, & nihil interim egiſſe aliud?

Deinde, annon perſpicuè & disertè dicit Majemonides, quidnam hic Ben Aſcher fecerit? Dicit הגיה *Correxit:* Quid correxit? Non voces, non ſententias integras, eum, qui ipſi commodus & verus videbatur, ſenſum affingendo: ſed circa puncta, accētus, & ſcriptionem accuratam labor ipſius verſabatur. Quomodo correxit? An Puncta vel Accentus, quæ jam extiterunt, pro lubitu mutando, addendo, detrahendo? Nequaquam: ſed per collationem variorum exemplarium, & aliquando etiam locorum; interponendo nempe judicium ſuum, quænam exemplaria ſint emendatiora. Multi tum temporis paſsim erant Scribæ, periti, imperiti, diligentes, indiligentes, audaculi, fidi: atque hinc etiam varia exemplaria, correcta, incorrecta, &c. Unde publica in Synagogis etiam erant exemplaria, è quibus cætera corrigebant. Ea quæ in Synagogis erant, à viris doctis recenſebantur, corrigebantur, & emendabantur. Hinc erant *Scribæ, Correctores, Punctatores.* Et ſi varietates illas conſideremus, quæ fuerunt inter Ben Aſcher & Ben Naphtali, facilè apparebit, à neutro illorum aliquid novi hic inventum eſſe. Functi ſunt hi officio Correctorum & Punctatorum. Nec mirum, aliquot annos in hoc opere ſudaſſe Ben Aſcherum. Varia, circa ſingulas Bibliorum voces, puncta, accentus, exemplaria conferendo, multum temporis impendendum erat. Ars punctandi tùm iterùm erat nova, non quoad exiſtentiam, ſed quoad uſum, & ſcientiam illius; quia antea non in communi uſu adhibebantur. Uſus diſci non poterat, niſi aſsiduâ exercitatione, lectione, & collatione.

Sed

Sed excipit hic Revelator; *Si ex diſſentientium codicum collatione continuatæ & collectæ ſunt variæ iſtæ lectiones; tum codices illi vel leviter inter ſe diſſentiebant, vel enormiter.*

Si leviter; non tanto fuit opus tempore, labore, curâ aut induſtriâ, in deſcriptione codicis caſtigati, ex punctatis codicibus leviter diſſentientibus:

Si enormiter; tùm tempore quidem opus fuit in deſcribendo caſtigato exemplari, ex illis corruptiſſimis; ſed ſic textus Hebraicus humanâ nititur authoritate Maſoretharum, qui in tam corruptis exemplaribus judicium ſuum interpoſuerunt

R. Neutrum hujus dilemmatis cornu ferit. Exemplaria illa citra præjudicium dici poſſunt *& leviter, & enormiter,* inter ſe diſſenſiſſe.

Leviter; quatenus diſſenſiones illæ de rebus levibus erant, non ad ſenſum, ſed ad ſcriptionis duntaxat accidens pertinentibus, quales revera ſunt omnes illæ diverſæ lectiones Ben Aſcher & Ben Naphtali. Ne unica quidem illarum eſt, quæ vel vocis etymologiam, vel ſignificationem, vel conſtructionem, variet & immutet; veluti an vox aliqua ſit acuta vel penacuta; an accentu aliquo, aut nullo; an hoc vel illo accentu miniſtro notari, an cum Scheva ſimplici vel compoſito ſcribi debeat, & de leviculis ejuſmodi minutiis.

Enormiter; quatenus ſatis frequentes occurrebant ejuſmodi diſſenſiones; unde etiam varietatum illarum ſatis magnus eſt numerus.

Non poteſt itaque hac ratione dici, quòd adeò brevi tempore potuerit deſcriptio emendati exemplaris perfici: quia minutiarum iſtarum conſideratio æquè multum temporis inſumit, atque rerum graviorum & arduarum. Notum eſt, quantum temporis in hujuſmodi rebus poſsint curioſi homines impendere.

Non etiam exaggerari poteſt hinc codicum Hebraicorum corruptio & depravatio. Quare? 1. quia corruptio iſta non fuit univerſalis: & alia exemplaria aliis erant correctiora, & incorrecta correctis nihil poſſunt derogare, 2. quia mendæ iſtæ non reſpiciebant ullo modo ſenſum vocis, ſed formam duntaxat grammaticam, circa leviſsimum aliquod accidens, & nullius planè, quoad ſenſum, ſunt momenti. Et ab illis accidentalibus velle argumentari ad eſſentialia, à particulari ad univerſale, & totam hinc ſacri tex-

tus authoritatem à Maſoretharum authoritate velle ſuſpendere, eſt ἀνακόλουθον.

Judæi ipſi hæc omnia ſciunt, ſcribunt, notant, nec tamen de codicum ſuorum authoritate dubitant, &c.

Sed de hac quæſtione, capite hoc ventilatâ, iterum dicetur infrà.

CAPUT XVI.

An ad hodiernam Bibliorum Hebraicorum Scriptionem & Punctationem, in illorum lectione & interpretatione ita adſtricti ſimus, ut non liceat nobis ab ea recedere? An verò permiſſum ſit, ſi commodiorem nobis videantur ſuppeditare ſenſum, vel Veteres Interpretes, Græci, Chaldæi, Latini, alii: vel noſtrum proprium judicium: præſenti ſcriptione & punctatione rejectâ, eam immutare, & aliam ſequi aut ſubſtituere?

UNum adhuc nobis in prima hujus operis parte tractandum reſtat. Audivimus ſupra capite ſecundo; Chriſtianos, qui Eliæ ſententiam de Novitate Inventionis punctorum amplectuntur, in hoc ab Eliæ mente diſcedere; quòd Elias à cæteris Hebræis, de Punctorum & Accentuum Notis ac Figuris, diſſentiat, dum illas recens Maſoretharum in libris Sacris inventum eſſe voluit; de Forma verò illarum quaſi interna, & Poteſtate, ſeu ratione

tione legendi ſecundum puncta, magna conſpiratione cum illis conſentiat, & firmiter hoc principium teneat; Quòd hodierna Bibliorum Hebraicorum punctatio ſit vera & genuina, ſecundum mentem Moſis, Prophetarum, & reliquorum Scriptorum ſacrorum expreſſa, ac proinde nequaquam in dubium vocanda aut ſuggillanda, quaſi Maſorethæ pro lubitu ſuo proprio textum punctis Vocalibus animârint; eò quod vera legendi ratio per Cabalam ſeu traditionem oralem continuam fuerit conſervata & propagata.

Chriſtiani verò multi, qui hanc Eliæ ſententiam ſunt amplexi, hoc ſtatim ex ea conſectarium elicuerunt; *Cum Maſorethæ iſti puncta addiderint pro ſuo arbitrio, & ut illi legendum vel a majoribus acceperint, vel ipſimet judicârint, ſine piaculo licere cuivis lectionem, quam illi expreſſerunt, vel ſequi, vel rejicere, ſi quis vel aliunde, ut puta ex Veteribus Bibliorum Interpretibus, vel ſuopte marte & ingenio, meliorem & commodiorem invenire queat.*

Ita ſenſit olim jam Lutherus, ita Mercerus, ita Pontificii multi Doctores, licet non omnes: Ita etiam ſentit Revelator noſter, inter cætera Arcani ſui lib:2. cap.23. §. 4. & 5. ita ſcribens: *Ad loca autem obſcura, dubia, & ambigua quod attinet, quæ variam admittere poſſunt punctationem, quis jure conqueratur, aut indignetur, ſi quis aliam proferat punctationem, quæ ſenſum alium tam verum, tam commodum, tam cohærentem & conſonum pariat, aut etiam veriorem & commodiorem, quam ſit ille, qui oritur ex hodierna Maſorethica? &c. Sanè ſi nova iſta iis in locis punctatio clariorem, commodiorem, & verum ſenſum pariat, nulla Maſorethârum religione teneri debemus, ut non iſtam novam potius, quam illam Maſorethicam ſequamur; non quidem, ut eam in excuſos Codices intra ipſum textum inferamus, atque veluti infarciamus, priore illa Maſorethicâ inductâ & deletâ: hoc enim antiquitati, & hominum illorum diligentiæ & induſtriæ planè admirandæ atque ſtupendæ dandum eſſe jure merito cenſemus, ut eorum lectio ſive punctatio (licet fortè alicubi non ſatis commoda & apta) ubiq; ſarta tecta maneat, & in codicibus compareat inviolata; at non ut eam ita neceſſario ſequamur, cum de genuino Scripturæ ſenſu diſquiritur, aut diſceptatur, ut ab ea nullatenus liceat diſcedere, ubi alia proferri poteſt illâ verior & commodior, magis cohærens & conſona. Atque ita revera* (NB) *quo quis alio erit doctior, & linguæ hujus peritior, magisq; facul-*

Dicit; *Punctationem & Accentuationem totam, nequaquam ab uno aut altero homine, ſimul & ſemel, paucis menſibus vel annis, excogitatam, & Sacro textui additam eſſe, ſed paulatim & ſucceſſive, à variis hominibus, & diverſis temporibus, aliis alia excogitantibus, & iis, quæ inventa jam fuerunt, ſubinde addentibus: Neque dubitandum eſſe, quin progreſſus iſte factus fuerit à magis neceſſariis ad minus neceſſaria. Hoc itaque ordine & ſerie Punctorum genealogiam nobis deſcribit:*

1. *Primi Maſorethæ Textum ſacrum diſtinxerunt in* פסוקים *Verſiculos: & duo illa craſſa puncta, quæ* סוף פסוק *dicuntur, invenerunt, & Textui addiderunt.*

2. *Horum ſucceſſores excogitârunt Figuras quinque naturalium Vocalium A, E, I, O, U, quæ Vocales Longæ hodiè à Grammaticis vocantur: & fortaſſis Scheva mobile etiam.*

3. *Sublatâ, per iſtas Vocalium quinque naturalium figuras, ambiguitate, & difficultate legendi, acceſſerunt ab aliis Apiculi illi accentuum diſtinguentium, qui Pauſæ majores vocantur; quibus Periodorum ſeu Verſuum ſingulorum membra & ſegmenta minora notantur.*

4. *Exinde ab aliis, circa lectionem ſacram moroſioribus & ſcrupuloſioribus* Criticis, *ſuperadditi reliqui Accentus, qui Reges dicuntur, Minores diſtinctiones facientes, tandemq; etiam, ab aliis longè ſuperſtitioſiſſimis, & ſcrupuloſiſſimis, adjuncti Accentus miniſtri; idq; eò magis, quòd ſimul Accentibus iſtis partem aliquam Muſicæ ſuæ, ſecundum quam Textum ſacrum legunt, exprimere voluerint.*

5. *Ut thematum ſeu vocum nonnullarum homonymia tolleretur, conſultum exiſtimarunt alii, ut litera* ש, *quæ à Magiſtris* (ſolis, non item ab aliis) *bifariam efferebatur, puncto notaretur modo dextro, modò ſiniſtro.*

6. *Dehinc, cum quibuſdam videretur (quod prius non obtinebat, neq; ex linguæ aut loquendi uſu fiebat) literas* בגד כפת, *modò aſpiratè, modò ut tenues efferre, diſcrimini iſti deſignando excogitârunt* Dageſch *lene, & lineolam Raphe: Item, eodem conſilio, ad indicium literæ geminandæ,* Dageſch *forte, &c.*

7. *Poſt hos alii fuerunt, qui videntes, literam* ה *in vocibus quibuſdam in fine efferri, nec quieſcere, in motus hujus indicium excogitârunt punctum Mappik, quo ab He quieſcente diſtingueretur.*

8. *His ſupervenerunt alii Critici, qui, ut apud Hebræos quoque Syllabarum Simplicium &* Compoſitarum *differentia eſſet, eaq; à rudioribus tantò*

tantò melius animadverti poſſet, quinque vocalibus longis, quæ à primis Criticis excogitatæ fuere, alias quinque ſuperaddiderunt, quas Breves hodie vocant, prioribus illis quinque ἀντιστοίχως & quaſi ex adverſo reſpondentes: Scheva item quieſcens, majoris cautionis gratiâ.

9. *Denique cùm alii viderent, literas gutturales abhorrere à ſono Scheva ſimplicis, excogitârunt figuras Scheva compoſiti, ut illis literæ gutturales notarentur, quotieſcunque analogia Grammatica in illis Scheva ſimplex requirit.*

Hæc, ni fallor, eſt hiſtoria atque ſeries Inventionis Punctorum & Accentuum, quam capite 17. Arcani Punctationis revelati Revelator revelavit ex ſolo divino & στοχαστικῷ ſuo genio & ingenio. Nam Hebræorum libri hac de re nihil hactenus, ne minimo quidem indicio, prodiderunt, ne quis forte ſuſpicetur, illum ſuppreſſis aut neglectis Authorum nominibus, hæc ex illis hauſiſſe, & Hebræorum ſententias tacitè proponere. Ab hoc crimine ubiq; liber & immunis eſt hic author, qui non facilè ab illis quid mutuatur; ſed ſuis revelationibus & divinationibus unicè ubique inſiſtit, & de iis ita certus eſt, ut nunquam dubitet, ea quæ hæc ipſi dictant, omnibus Chriſtianorum, & maximè Judæorum, teſtimoniis & authoritatibus præferre. Neque etiam, ubi huc deventum eſt, Elias quicquam valet, *cujus tamen unius teſtimonium in hac cauſa ipſe alias pluris faciendum putat, quàm omnium aliorum contra ſentientium.* Nihil enim Elias quicquam ſimile hîc vidit, aut obſervavit: Nam ipſe ſtatuit, *Omnes Punctorum & Accentuum figuras ac notas ſimul & ſemel, ab unis iiſdemq; inventas eſſe*, ut ſup. cap. 2. viſum. Revelator noſter ſucceſsivè vult illud factum eſſe, & à diverſis. Elias exiſtimat, *Maſorethas appoſuiſſe accentus diſtinguentes majores & minores, poſtea demum puncta vocalia; eò quod Puncta propter Accentus ſæpiùs mutentur:* Revelator contrarium ponit ordinem. Elias ſenſit, *Accentus non modò vocum elevationi & depreſſioni, ut & diſtinctionibus ſententiarum inſervire, ſed & Muſicæ Biblicæ:* Revelator id negat. Neque tamen ideo fas eſt de hac ipſius hiſtoria dubitare, atque vel Eliæ, vel aliorum Hebræorum ſententias ei præferre. Omnibus quippe ſæculis major fuit Revelationum, quàm Traditionum humanarum certitudo atque authoritas; niſi fortè quis moroſior & ſcrupuloſior diſtinctionem fecerit inter Revelationes Viſionum vigilantibus oblatas, & Somniorum: nam ex

hoc poſteriori genere iſta eſſe videtur, quas valde dubias volunt eſſe Hebræi, maximè ſi contingant diebus Veneris, juxta illud, חלְמָא דבֵי שִׁמְשֵׁי לֵית בהו מִשָּׁשָׁא *Somnia die Veneris nihil quicquam habent ſoliditatis;* in Talmud Joma fol. 83. 2.

Et certè in uno ſomnium ipſum deſtituit, (uti ſemper ferè aliquid in incerto & ſuſpenſo relinquunt, ut iterum Hebræi docent, dum ſcribunt; לָא חלמָא טָבָא מִיקַיְם כוליה וְלָא חֶלְמָא בִישָׁא מִיקַיְם כוּלֵיה *Neque ſomnium bonum, neque malum, abſolutè perficitur & impletur*), quòd [illegible]. Nomina Authorum ſingularum inventionum non etiam ipſi revelata fuerunt.

Aliquid tamen hîc quoque Vidit, & nobiſcum communicavit, videlicet, *quòd celebris ille Maſoretha* BEN ASCHER *(alterius non minus celebris Maſorethæ, Ben Naphtali, ſocius & coætaneus) Punctationem hanc, jam pridem ab Anteceſſoribus ſuis captam quidem, & non leviter auctam ac promotam, nondum tamen abſolutam, ſed in multis adhuc deficientem, aut etiam nævis quibuſdam laborantem, imperfectam denique, conſummârit, & ultimam quaſi coronidem ei impoſuerit, multa ad præcedentia feliciter inventa addendo, alia etiam fortè immutando atque emendando, nova etiam nonnulla excogitando.*

Colligit hoc ex eo, quod Majemonides ſcribit in ספר הלכות תורה cap. 8. §. 4. ſe in notandis & deſignandis ſectionibus Legis Apertis (quas vocant) & Clauſis, ſequutum eſſe authoritatem cujuſdam Codicis, שֶׁהגִיהו בֶן אָשֵׁר וְדִקדק בו שָׁנִים הַרבֵה והִגִיהו פְעָמִים רַבוֹת כמו שֶׁהֶעְתִיקו *quem emendatè deſcripſerit Ben Aſcher, & in quo deſcribendo multos annos impenderit, quemq́; ſæpiùs inter deſcribendum caſtigârit & emendârit.*

Ex his verbis firmiter concludit, *neceſſariò ſtatuendum eſſe, hunc Ben Aſcher tot annis in hoc codice emendando laboraſſe, non ſimpliciter ex alio Codice eum deſcribendo, aut cum aliis conferendo: ſed in Punctatione perficienda, perpolienda, & abſolvenda.*

Nam 1. ad *deſcriptionem ſimpliciter ex alio exemplari, non opus fuiſſet multos annos impendere. Brevi temporis ſpatio id abſolvere potuiſſet.* 2. *Non tanta Transſcriptionis ſimplicis potuiſſet eſſe gloria, ut iſte potiùs Codex, quem deſcripſit Ben Aſcher, quàm ille ex quo deſcripſit, fuiſſet pro exemplari proponendus, ut ex eo poſtmodum omnes reliqui libri caſtigarentur, aut ad ejus formam deſcriberentur.*

At verò ſi ad Rationis trutinam ſententiam hanc appenderimus,

mus, & æquâ lance ponderaverimus, nimis eam levem deprehendemus.

1. Si prima Punctorum Inventio, facta a Maſorethis Tiberienſibus, cæpit circa annum Chriſti quingenteſimum, & ſucceſsivè demum perfecta atque ad apicem ſummum perducta eſt circa Annum Chriſti milleſimum, à Ben Aſcher, & quidem ita, ut ille errores atque nævos priorum correxerit, defectusque ſuppleverit; tùm per 500. minimùm annos laboratum fuit in hoc Punctationis Opere, & quidem à quamplurimis.

Hoc ſi eſt, quæro, qui fiat, cùm ſatis antiquos habeamus ſcriptores Hebræos, quòd ne unus quidem hujus rei vel leviſsimo indicio meminerit? Sanè hæc ſententia apud Hebræos tam eſt nova, quàm quidquam eſſe poteſt.

Annon primi Grammatici, qui ante 600. imo & 700. vel 800. annos vixerunt, hujus rei meminiſſent? An illi hoc ignorare potuiſſent? An illi non habuerunt etiam monumenta, aliquot ſæculis ſe antiquiora? At nec vola nec veſtigium hujus rei in ipſis comparet. Ego equidem hactenus illorum ſcripta non vidi aut nanciſci potui. Viſa autem ſunt Aben Eſræ, Kimchio, Ephodæo, & cæteris grammaticis Hebræis, quos ego vidi & legi, &c. qui paſsim plurima ex eis citant, Ben Aſcheris etiam mentionem faciunt: unde facilè eſt colligere, quid illi hac de re ſenſerint? Et qui hos omnes præceſsit, author longè doctiſsimus libri Coſri, quique ſecundum nonnullos, ut infrà audiemus, ante mille ferè annos vixit, & in Punctorum & Accentuum originem inquiſivit, cur ille ſucceſsivæ hujus Punctorum inventionis non meminit? cur univerſum opus Viris Synagogæ magnæ adſcripſit?

2. Si Ben Aſcher non ſolùm præcedentium Punctatorum nævos correxit, ſed defectus etiam & imperfectiones complevit & abſolvit, quæro, quid ergo novi ipſe invenerit? Nam ex Revelatoris ipſius ſententia, antea jam omnia inventa fuêre, ut in ſuperiore ſerie, quam contexuit, audivimus. Inventa jam fuêre ante eum Puncta omnia Longa, Brevia, & Breviſsima: Inventum fuit Dageſch utrumque, Raphe, Mappik: Inventi fuêre Accentus Reges majores, minores, unà cū Miniſtris. Quæ ergo ſunt illa *multa ab ipſo inventa, ſuperaddita, & de novo excogitata?* Nos certè hodiè non habemus plura, quàm ea, quæ jam ante Ben Aſcher inventa fuiſſe dixit.

3. Si

3. Si Ben Aſcher ſolus hæc omnia correxit, emendavit, complevit, & perfecit, quid tandem fecit ipſius Collega Ben Naphtali? Unde illæ inter ipſos diſſenſiones? Sic ille nihil aliud facere potuiſſet, quàm ut Punctationem Ben Aſcheris voluiſſet corrigere. At nec illæ diſſenſiones hoc arguunt, nec quiſquam hactenus tale quid cogitavit aut ſcripſit.

4. Si Ben Aſcher ſolus tot veterum & probatorum Authorum inventa, eaque publicè jam ſine dubio recepta & approbata, caſtigavit, immutavit, emendavit, &c. an probabile eſt, neminem in mundo ſe ei oppoſiturum fuiſſe, ſed omnes in univerſum, ipſius ſententiam, veluti è cælo delapſam, aut ab altero Moſe è monte Sinaj allatam, recepturos, ut poſt ipſum vetera omnia ſtatim abrogarentur? Unde ipſi tanta authoritas? Si tanta authoritas fuit, mirum valdè, ab Hebræis, qui ante aliquot ſæcula vixere, & ſtatim poſt ipſum, hiſtoriam ipſius tam leviter & ſicco pede fuiſſe præteritam, neminem in ipſius laudes, encomia & præconia, ſe effudiſſe, ut nihil hodiè ferè, niſi nomen ejus, & hoc pænè incertum, nobis remanſerit. Author libri Juchaſin, qui omnium Veterum & recentium Rabbinorum, qui quidem vel ſcriptis, vel eruditione atque doctrinâ eminuerunt, catalogum, genealogiam atque ſeriem conſcripſit, hujus ne verbo quidem, quod quidem ego obſervavi, meminit. Quomodo tam inſignis, tam celebris, & in univerſum orbem divulgati operis author, & non adeò antiquus, tam ignotus manſit, ut nec certum tempus quo vixit, nec locus certus, ubi vixit, ſciri poſſit?

5. Si tam recens inventum, & unici hominis judicio innixum; quæro, quæ ſit ejus certitudo? quæ authoritas?

Sed commentum hoc videtur ipſius Ben Aſcheris verbis profligari & confutari poſſe. Extat ſub finem primæ editionis Bibliorum Venetorum in fol. libellus, aut potius fragmentum libri de Accentibus, quod huic R. Aſchero adſcribitur. Ex eo, ſiquidem ipſe ejus author eſt, videtur non obſcurè colligi, illum hæc omnia aliis, & quidem ſe longe majoribus & antiquioribus, attribuere. Primò enim ſtatim ab initio ita ſcribit: שַׁעַר הַטְּעָמִים שְׁנֵים עָשָׂר רשומים במאורות מקויימים מהם קטנים , ומהם רמים , ולא נעלמים , בפי נבונים וחכמים · בשום שכל חתומים *Porta Accentuum: duodecim ſunt notæ vel figuræ, in luminaria conſtitutæ: illarum*

rum quædam ſunt parvæ, quædam altæ, diſpoſitæ & non abſcanditæ, in ore intelligentium & prudentium, cum appoſitione intellectus obſignatæ. Ut cæteras taceam, obſervet prudens lector verba hæc ultima, בְּשׂוּם שֵׂכֶל חתומים *Per appoſitionem intellectus appoſitæ*; Annon palàm his verbis reſpexerit ad locum illum Talmudicum, in quo dicitur Nehem. 8. per hæc verba וְשׂוֹם שֶׂכֶל *Et apponendo intellectum*, intelligi, *Accentus, tum temporis ab Eſrâ appoſitos*, ac velle dicere, *Illos à viris Prudentiſſimis & ſagaciſſimis, Eſrâ & collegis ipſius, juxta Talmudicorum teſtimonium* (quod tacite allegat, dum verba illorum adhibet) *appoſitos eſſe.* Sanè, qui nares habet purgatas, & ſenſus in Hebræorum libris exercitatos, facilè ſubolfacit, quid his verbis ſibi voluerit. Et mox iterum, poſtquam *Servos* recenſuiſſet: זה כלל דטעמים מְשָׁרְתִים נְעִימִים מגולים ולא סתומִים כְּפִּי סוֹפְרִים, לְעוֹלָם סמוּכִים לָעַד לְעוֹלָמִים, עֲשׂוּיִים בֶּאֱמֶת וְתָמִים, אַשְׁרֵי אָדָם מָצָא חָכְמָה וְאָדָם יָפִיק תבונה *Et hi ſunt Accentus ſuaves miniſtri, revelati, & non occultati, ex ore Scribarum, perpetuò ſunt conjuncti, facti in veritate & integritate: Beatus homo, qui invenit ſapientiam, & homo qui educit intelligentiam* (i. e. qui uſum illorum aſſequitur). An cuiquam videri poſſunt hæc verba ejus qui rem aliquam ipſemet ex parte confecit, perfecit, & abſolvit?

Quia verò Majemonidis authoritatem hîc prætendit Revelator, & exiſtimat, ſe ex ipſius verbis optima, imò neceſſariâ conſequentiâ, hanc concluſionem poſſe elicere, breviter illa quoque examinemus.

Verba Majemonidis hæc ſunt: וספר שֶׁסָּמַכְנוּ עָלָיו בִּדְבָרִים אלו הוּא הַסֵּפֶר הַיָּדוּעַ בְּמִצְרַיִם שֶׁהוּא כוֹלֵל אַרְבָּעָה וְעֶשְׂרִים סְפָרִים שֶׁהָיָה בִּירוּשָׁלַיִם מִכַּמָּה שָׁנִים לְהַגִּיהַּ מִמֶּנּוּ הַסְּפָרִים וְעָלָיו הָיוּ הַכֹּל סוֹמְכִין לְפִי שֶׁהִגִּיהוּ בֶּן אָשֵׁר וְדִקְדֵּק בּוֹ שָׁנִים הַרְבֵּה וְהִגִּיהוּ פְּעָמִים רַבּוֹת כְּמוֹ שֶׁהֶעְתִּיקוּ וְעָלָיו סָמַכְתִּי בְּסֵפֶר הַתּוֹרָה שֶׁכָּתַבְתִּי כְּהִלְכָתוֹ hoc eſt, *Liber autem, cui innixi ſumus in rebus iſtis* (ſignandis ſectionibus clauſis & apertis), *eſt Liber celeberrimus in Aegypto, comprehendens omnes viginti quatuor libros* (Biblicos), *qui à plurimis annis fuerat Hieroſolymis, ut ex eo corrigerentur libri* (qui nempe deſcribebantur): *Et huic libro omnes innitebantur, eo quòd eum correxiſſet Ben Aſcher, & multos annos diligentem in eo operam navaſſet, multotieſq; eum recenſuiſſet, cùm eum tranſtulit. Iſtum itaque librum ſequutus ſum & ego in libro Legis, quem deſcripſi juxta ipſius normam & formam.*

Mm

Sed fundamentum hoc eſt valdè leve, tanto operi ſuperſtruendo. Quæ enim hæc conſequentia; *Ben Aſcher in exemplari quodam Biblico caſtigando, emendando, revidendo, impendit aliquot annos. Ergo exemplar nullum antea perfectè erat punctis & accentibus notatum, ſed ipſe tùm primùm punctationis artem invenit, & abſolvit:* Quid enim? Annon in conferendo potuit tot annos impendere? An putamus tàm leve opus eſſe, Univerſa Biblia, collatis inter ſe pluribus exemplaribus, conferre, & judicio adhibito, quod melius eligere. Quot annos ſæpè Critici noſtri inſumunt, in Seneca, Tacito, Plauto, vel aliis authoribus caſtigandis, ex antiquis Manuſcriptis exemplaribus; & miramur, idem à Rabbino quopiam factitatum eſſe circa Textum Sacrum? Et anputamus illum huic rei unicè vacaſſe, & nihil interim egiſſe aliud?

Deinde, annon perſpicuè & disertè dicit Majemonides, quidnam hìc Ben Aſcher fecerit? Dicit הגיה *Correxit:* Quid correxit? Non voces, non ſententias integras, eum, qui ipſi commodus & verus videbatur, ſenſum affingendo: ſed circa puncta, accẽtus, & ſcriptionem accuratam labor ipſius verſabatur. Quomodo correxit? An Puncta vel Accentus, quæ jam extiterunt, pro lubitu mutando, addendo, detrahendo? Nequaquam: ſed per collationem rariorum exemplarium, & aliquando etiam locorum; interponendo nempe judicium ſuum, quænam exemplaria ſint emendatiora. Multi tum temporis paſsim erant Scribæ, periti, imperiti, diligentes, indiligentes, audaculi, fidi: atque hinc etiam varia exemplaria, correcta, incorrecta, &c. Unde publica in Synagogis etiam erant exemplaria, è quibus cætera corrigebant. Ea quæ in Synagogis erant, à viris doctis recenſebantur, corrigebantur, & emendabantur. Hinc erant *Scribæ, Correctores, Punctatores.* Et ſi varietates illas conſideremus, quæ fuerunt inter Ben Aſcher & Ben Naphtali, facilè apparebit, à neutro illorum aliquid novi hic inventum eſſe. Functi ſunt hi officio Correctorum & Punctatorum. Nec mirum, aliquot annos in hoc opere ſudaſſe Ben Aſcherum. Varia, circa ſingulas Bibliorum voces, puncta, accentus, exemplaria conferendo, multum temporis impendendum erat. Ars punctandi tùm iterùm erat nova, non quoad exiſtentiam, ſed quoad uſum, & ſcientiam illius; quia antea non in communi uſu adhibebantur. Uſus diſci non poterat, niſi aſsiduâ exercitatione, lectione, & collatione.

Sed excipit hic Revelator; *Si ex diſſentientium codicum collatione conſummatæ & collectæ ſunt variæ iſtæ lectiones; tum codices illi vel leviter inter ſe diſſentiebant, vel enormiter.*

Si leviter; non tanto fuit opus tempore, labore, curâ aut induſtriâ, in deſcriptione codicis caſtigati, ex punctatis codicibus leviter diſſentientibus:

Si enormiter; tùm tempore quidem opus fuit in deſcribendo caſtigato exemplari, ex illis corruptiſſimis; ſed ſic textus Hebraicus humana nitetur authoritate Maſorethàrum, qui in tam corruptis exemplaribus judicium ſuum interpoſuerunt.

R. Neutrum hujus dilemmatis cornu ferit. Exemplaria illa citra præjudicium dici poſſunt *& leviter, & enormiter,* inter ſe diſſenſiſſe.

Leviter; quatenus diſſenſiones illæ de rebus levibus erant, non ad ſenſum, ſed ad ſcriptionis duntaxat accidens pertinentibus, quales revera ſunt omnes illæ diverſæ lectiones Ben Aſcher & Ben Naphtali. Ne unica quidem illarum eſt, quæ vel vocis etymologiam, vel ſignificationem, vel conſtructionem, variet & immutet; veluti an vox aliqua ſit acuta vel penacuta; an accentu aliquo, aut nullo; an hoc vel illo accentu miniſtro notari, an cum Scheva ſimplici vel compoſito ſcribi debeat, & de leviculis ejuſmodi minutiis.

Enormiter; quatenus ſatis frequentes occurrebant ejuſmodi diſſenſiones; unde etiam varietatum illarum ſatis magnus eſt numerus.

Non poteſt itaque hac ratione dici, quòd adeò brevi tempore potuerit deſcriptio emendati exemplaris perfici: quia minutiarum iſtarum conſideratio æquè multum temporis inſumit, atque rerum graviorum & arduarum. Notum eſt, quantum temporis in hujuſmodi rebus poſsint curioſi homines impendere.

Non etiam exaggerari poteſt hinc codicum Hebraicorum corruptio & depravatio. Quare? 1. quia corruptio iſta non fuit univerſalis: & alia exemplaria aliis erant correctiora, & incorrecta correctis nihil poſſunt derogare, 2. quia mendæ iſtæ non reſpiciebant ullo modo ſenſum vocis, ſed formam duntaxat grammaticam, circa leviſsimum aliquod accidens, & nullius planè, quoad ſenſum, ſunt momenti. Et ab illis accidentalibus velle argumentari ad eſſentialia, à particulari ad univerſale, & totam hinc ſacri tex-

tione legendi ſecundum puncta, magnâ conſpiratione cum illis conſentiat, & firmiter hoc principium teneat; Quòd hodierna Bibliorum Hebraicorum punctatio ſit vera & genuina, ſecundum mentem Moſis, Prophetarum, & reliquorum Scriptorum ſacrorum expreſſa, ac proinde nequaquam in dubium vocanda aut ſuggillanda, quaſi Maſorethæ pro lubitu ſuo proprio textum punctis Vocalibus animârint; eò quòd vera legendi ratio per Cabalam ſeu traditionem oralem continuam fuerit conſervata & propagata.

Chriſtiani verò multi, qui hanc Eliæ ſententiam ſunt amplexi, hoc ſtatim ex ea conſectarium elicuerunt; *Cum Maſorethæ iſti puncta addiderint pro ſuo arbitrio, & ut illi legendum vel a majoribus acceperint, vel ipſimet judicârint; ſine piaculo licere cuivis lectionem, quam illi expreſſerunt, vel ſequi, vel rejicere, ſi quis vel aliunde, ut puta ex Veteribus Bibliorum Interpretibus, vel ſuopte marte & ingenio, meliorem & commodiorem invenire queat.*

Ita ſenſit olim jam Lutherus, ita Mercerus, ita Pontificii multi Doctores, licet non omnes: Ita etiam ſentit Revelator noſter, inter cætera Arcani ſui lib. 2. cap. 23. §. 4. & 5. ita ſcribens: *Ad loca autem obſcura, dubia & ambigua quod attinet, quæ variam admittere poſſunt punctationem, quis jure conqueratur, aut indignetur, ſi quis aliam proferat punctationem, quæ ſenſum alium tam verum, tam commodum, tam cohærentem & conſonum pariat, aut etiam veriorem & commodiorem, quam ſit ille, qui oritur ex hodierna Maſorethica? &c. Sanè ſi nova iſta in locis punctatio clariorem, commodiorem, & verum ſenſum pariat, nullâ Maſorethârum religione teneri debemus, ut non iſtam novam potiùs, quam illam Maſorethicam ſequamur; non quidem, ut eam in excuſos Codices intra ipſum textum inſeramus, atque veluti inferciamus, priore illa Maſorethicâ inductâ & deletâ: hoc enim antiquitati, & hominum illorum diligentiæ & induſtriæ planè admirandæ atque ſtupendæ dandum eſſe, jure merito cenſemus, ut eorum lectio ſive punctatio (licet fortè alicubi non ſatis commoda & apta) ubiq; ſarta tecta maneat, & in codicibus compareat inviolata, at non ut eam ita neceſſario ſequamur, cum de genuino Scripturæ ſenſu diſquiritur, aut diſceptatur, ut ab ea nullatenus liceat diſcedere, ubi alia proferri poteſt illâ verior & commodior, magis cohærens & conſona. Atque ita revera* (NB) *quo quis alio erit doctior, & linguæ hujus peritior, magisq; facul-*

tate στοχαστικῇ *vale'it, cò etiam ſœlicius in ejuſmodi locorum dubiorum interpretatione & ſenſu aſſequendo verſabitur, quomodo id ipſum contingit in explicatione locorum tàm in ſacris, quam in prophanis ſcriptis, qui laborant vel vocum ambiguitate & homonymia, vel ſententiarum Amphibologia, variaq; conſtructione, aut inſigni aliqua difficultate.* Et §. 6. *Ad verſionem autem LXX. Interpretum quod attinet, ea in ejuſmodi locis litem dirimere, & judex conſtitui nonnunquam poteſt. Nam ſi conſtet ex illa verſione, illos aliam ſecutos eſſe lectionem, quam ea ſit, quæ oritur ex hodierna Maſorethærum punctatione, Verſio autem illa, vel commodiorem, vel ſaltem æquè commodum fundat ſenſum, quam ſit ille, qui oritur ex punctatione Maſorethica, procul dubio eorum lectio, ſive punctatio, quæ ex ipſorum verſione manifeſta eſt, præferenda erit iſti Maſorethicæ, tùm quia ea antiquior, tùm maxime, quia commodiorem fundit ſenſum.*

In eundem ſenſum vidi eum alibi ſcribentem de Verſione Vulgata Latina; *Diſpiciendum in locis diſcrepantibus, an aliter forte legerit author illius Verſionis, quam hodie legatur. Nam ſi aliter in ſuo Hebræo codice legit, quam nos in hodierno legimus, non eſt ſtatim illa Translatio eo loci, vitii & corruptionis arguenda, ſed videndum, utra lectio meliorem & commodiorem pariat atque fundat ſenſum, & ubi id conſtiterit, tùm ea rejicienda eſt lectio, quæ vel nullum, vel inſulſum, vel falſum, vel incommodum, nec cohærentem parit ſenſum, ubicunq; illa tandem inveniatur, etiam in hodierno Hebræo Judaico.* Item: *Textum hodiernum Hebræum non eſſe alia ratione, neque alia de cauſa præferendum vel Samaritico, vel alii cuilibet, niſi quia & quatenus oſtendi poteſt, ſenſum qui oritur ex ejus lectione, eſſe* ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *meliorem & convenientiorem eo qui naſcitur ex lectione aliorum codicum. Itaque ſicubi demonſtrari poteſt, Lectionem, quæ eſt in Codice Samaritico, vel quem ſecuti ſunt LXX. Interpretes, aut Chaldæus Paraphraſtes, Aquila, Symmachus, Theodotion, vel Hieronymus, congruentiorem fundere ſenſum, & antecedentibus, conſequentibus, totique Scripturæ analogiæ, magis cohærentem, quis tam iniquus eſſe velit, ut iſtam non potius amplectatur, atque una lectionem, quæ ſenſum [illegible] ex ſe fundit?*

Item. *Imo ſtatuendum [illegible] & concedendum eſt, Codicem hodiernum Judaicum, & codicem Samariticum, cæteroſq; Codices, ex quibus factæ ſunt Translationes omnes Veteres, eſſe Sacrorum librorum totidem codices diverſos, variis lectionibus inter ſe diſcrepantes, &c.* Item; *Non eſt autem*

tem

rem vera, bona, & commoda lectio in uno tantum Codice quærenda, puta hodierno Judaico (quaſi iſte eſſet plane ἀναμάρτητος, cæteri omnes vitioſi quotieſcunque ab iſto diſcedunt) ſed modo in hoc, modò in illo, modò in alio, hoc eſt, Uno in loco commodior lectio invenietur in Codice Samaritico, alio in loco in Translatione τῶν LXX. alio in loco in Paraphraſi Chaldaica, & ſic de cæteris antiquis Interpretibus.

Summa: *In locis obſcuris, & ambiguis, in variantibus Interpretum lectionibus & verſionibus, attendendum eſſe ad antecedentia, conſequentia, ſcopum authoris, & totam libri contexturam, atque συναρμογὴν, hincque judicandum, quis ſenſus, quæ lectio, aut punctatio, ſit verior, aptior, commodior & cohærentior: Hunc Canonem eſſe obſervandum, & Judicem certiſſimum futurum, in iſtiuſmodi diſcrepantiis & variis lectionibus, &c.*

Bellum hoc conſectarium peperit nobis iſta de Maſorethis Tiberienſibus, Punctorum Inventoribus, ſive hiſtoria, ſive fabula. Neque enim aliter eam nominandam puto; cùm primus & ſolus Elias hos Maſorethas progenuerit, hujusque ſui inventi ne unicum quidem authorem antiquiorem producere poſsit.

Non eſt autem nobis propoſitum, Quæſtionem iſtam ex profeſſo hîc tractare & excutere. Ea enim res prolixioris eſt conſiderationis, & juſtum Tractatum per ſe requirit. Operæ tamen pretium duximus, eam non planè intactam relinquere, ſed aliquod ejus indicium Lectori facere, & quid de ea ſtatuendum exiſtimemus, quæque Hebræorum etiam ea de re ſit ſententia, breviter & ſummatim commoneſacere.

Itaque liquet hinc, Quæſtionem hanc Codici Hebræo hodierno moveri à Revelatore, non tantùm de Punctatione legitima; ſed etiam de Conſonis, de Integris Vocibus, ſententiis ac periodis. Nam tales ſunt diſcrepantiæ, quæ in Veteribus Bibliorum Verſionibus occurrunt, ut in his omnibus ab Hebræo hodierno diſſentiant. Ex infinitis quippe locis conſtat, illas præter lectionem ab hodierna Punctatione diſsidentem, ſæpè Voces aliis conſonantibus, imò planè alias Voces repræſentare; multas voces & ſententias exprimere, quarum hodiè in Hebræo nulla veſtigia viſuntur: alibi etiam omittere, quæ Textus Hebræus hodiernus habet.

Quinimò vult, ſtatum hunc Controverſiæ Editioni Hebraicæ moveri

moveri poſſe non ſolum in iis locis, ubi diſcrepantiæ deprehenduntur inter Illam & Veteres Translationes; ſed cuivis id permittit, qui modò commodiorem, veriorem, & ſeriei contextus magis cohærentem & conſonam proferre poteſt lectionem. Summa, eandem critici ſtyli licentiam circa textum Hebræum publicè promulgat, & liberam facit, quam in Prophanis quibuſvis authoribus exercere licet; niſi quòd vetet, novam iſtam & veriorem lectionem, ſubductâ & exauthoratâ falsâ, textui inſerere, & infercire: aut, ſi inverſo ordine malis, quòd falſam lectionem in textu relinquere, in antiquitatis, & diligentiæ ſc. humanæ honorem, jubeat, & veram inſerere prohibeat.

Fundamenta, quantum colligere poſſum, huic ſuæ ſententiæ ſubſternit duo;

Primum eſt petitum a Maſoretharum, punctorum ſc. & accentuum Inventorum, Perſona: *quod nempe illi, nec tantæ Antiquitatis, nec tantæ Authoritatis ſint, ut Veteres illi Interpretes; ut illis vel æquiparari, vel anteferri poſſint, vel religio nobis eſſe jure debeat, ab illorum lectione & punctatione recedere.*

Alterum conſiſtit in Codicis noſtri Hebraici Fato & Conditione; Nam *in Criticâ ſua* (Verba ſunt hæc Revelatoris) *planum facit ex infinitis variis lectionibus, quæ in Sacris V. T. libris occurrunt, omnia tum Vetera, tum Recentia Sacrorum librorum Apographa, a primis Moſis & Prophetarum Autographis, vel Eſdræ potius (qui totum Vetus Teſtamentum fertur deſcripſiſſe) codice diſceſſiſſe. Quid enim*, inquit, *arguunt infinitæ illæ variæ lectiones, niſi librarios inter ſcribendum aberraſſe à Codice ex quo deſcribebant? Item; Authentia Codicis Judaici ponenda eſt 1. in iis tam rebus quam verbis, in quibus cum reliquis omnibus codicibus conſentit. 2. ubi ab illis diverſus abit, quum oſtendi poteſt, lectionem illius eſſe veriorem, convenientiorem, commodiorem, quam aliorum, &c. Neque enim exiſtimandum eſt, codicem iſtum tam Sacrum eſſe, ut nullum omninò vitium vel leviſſimum, in apice, punctulo, vel litterulâ, ex librariorum incuria, inſcitia, ἀβλεψία, aut verò etiam temeritate, in eum irrepere potuerit, aut verò actu interdum irrepſerit; cum contrarium fieri poſſit manifeſtum ex ejus cum veteribus Tranſlationibus collatione, quâ deprehenditur non raro, tam convenientem, imò aliquando convenientiorem inveniri lectionem, modò in codice τῶν L X X. modo in Vulg. Hieronymi, modo in Translatione*

Aquilæ,

Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aut Paraphraſtæ Chaldai, modò in ipſo etiam Codice Samaritano. Et iterum de erroribus Hebraici codicis ſcribit; 1. *Illi non ſunt magni momenti. Itaque ex iis ſive hanc, ſive illam ſequaris lectionem, non periclitatur, falſatur, aut adulteratur ſalutaris doctrina, ſive ea quæ dogmata, ſive ea, quæ bonos mores ſpectat: ac propterea non opus eſt magnopere de iis digladiari, & tanquam pro aris & focis pugnare.* 2. *Non ſunt ex conſilio & certo propoſito depravandi, aut corrumpendi ſtudio, ſed caſu, & ſcribarum ſeu amanuenſium inſcitiâ, incuriâ, ἀβλεψίᾳ, vel aliquando etiam temeritate, ortæ & natæ, & modò in hunc, modò in illum codicem irrepſerunt, ne quidem excepto hodierno Judaico, &c.*

Primum fundamentum quod attinet, illud hactenus à nobis concuſſum eſt, dum oſtendimus, Maſorethas illos Tiberienſes non eſſe primos punctorum & accentuum inventores, & ulteriùs adhuc convelletur in ſecunda hujus operis parte, ut jam non neceſſe ſit pluribus ea de re hîc agere.

Alterum, ut prolixioris eſt probationis, ita quoque refutationis. Probationes luculentas & ſpeciales exhibebit nobis Revelatoris Critica Sacra, quam, dum hæc ipſa edimus, carceribus ſolutam, in lucem tandem prodire audimus. Itaque pleniorem & ſpecialiorem hujus capitis pertractationem nunc differo: in genere tamen quædam duntaxat Lectori conſideranda proponam:

I. Quod puritatem, ſynceritatem, & ἀναμαρτησίαν Codicum Judaicorum ſeu Hebraicorum attinet, non dicam, quod Santes Pagninus olim in Præfat. Grammaticæ ſuæ ſcripſit & dixit: *Hebræa verò volumina nec in una dictione corrupta reperies.* Neque enim exiſtimo tales eſſe, ut in nullo planè punctulo, apiculo, aut literulâ, à primis Moſis & Prophetarum autographis, apographa unquam diſceſſerint, aut nullum omninò vitium vel leviſſimum in eos irrepſerit. Nam ne ipſi quidem Judæi hoc aſſerunt, qui & antiquitùs jam Exemplaria corrupta, ſed ab Eſra iterùm correcta & reſtituta fuiſſe; & poſterioribus temporibus, tùm inter celebres Authores, tum inter Exemplaria varia, diſſenſiones & diſcrepantes quaſdam lectiones notant. Tales ſunt præter Notas τῶ *Keri Uketif*, Diſſenſiones de quarundam Vocum lectione inter Judæos Orientales & Occidentales, & inter Ben Aſcher & Ben Naphtali. Sic memorant aliquando, nec diſſimulant, Varietates nonnullas

ex libris quibuſdam Manuſcriptis celeberrimis & magnæ authoritatis; ut E. G. Librorum Hieroſolymitanorum, Babylonicorum, Hiſpanienſium, Exemplaris Hilleliani, Pentateuchi cujuſdam Hierichuntini, Sinaitici, &c. Mentionem faciunt Punctatorum, cùm in genere, tùm nominatim quorundam in ſpecie, *R. Moſis Londinatis, Rabbenu Gerſom Pariſienſis, &c.* & dicunt, quòd unus ſeu Liber ſeu Punctator, vocem hanc ſic, alius aliter punctet: Meminerunt etiam librorum *correctorum*, & per conſequens tacite etiam *minus correctorum*: Redarguunt etiam ſæpè exemplaria quædam diſertè erroris. Sed an propter iſtas varietates in dubium vocant authoritatem totius codicis Hebraici, & omnium apographorum? Aut an propterea aliquâ cum ſpecie, aut aliquo cum fundamento id fieri poteſt? Nequaquam. Multò minus hoc inde concludi poteſt vel debet; Veram Lectionem non magis hodiè contineri in Hebraicis codicibus, quàm in reliquis omnibus Veteribus Bibliorum Interpretibus; ſed quærendam eſſe, & oſtiatim quaſi à ſingulis, qualeſcunque illi etiam ſint, colligendam & conquirendam, vel ex cujuſque facultate στοχαστικῇ eruendam ac divinandam.

Si etenim omnes varietates codicum Hebraicorum, quas in ſuis codicibus Critici ipſorum annotarunt, quâ veteres, quâ recentes, in unum manipulum aut faſciculum colligantur, deprehendentur eſſe leviſsimi, & planè quoad ſenſum nullius momenti, ut Revelator ipſe agnoſcit, ita ut plerunque nihil, aut certè parum admodum interſit, hanc an illam ſequaris lectionem. Et hæ ipſæ notæ Criticæ indicia ac teſtimonia ſunt, non tàm enormis librorum Judaicorum corruptionis ac depravationis, quàm ſummæ Judæorum circa librorum ſuorum ſcriptionem diligentiæ, curæ, & fidei; quòd minimas etiam diſcrepantias, quas obſervarunt, annotare & ad curam ſuam revocare voluerint. Nam ex aliquot centenis ejuſmodi variis lectionibus vix una deprehendetur, quæ ſenſum ſpectet, & ex antecedentibus & conſequentibus dijudicanda veniat. Circa unam duntaxat vel alteram literam, punctum, vel accentum verſantur. Et in pleriſque vera lectio ex probatioribus codicibus etiam indicatur. Itaque à talibus exemplis, ad varietates reales, ſenſum ſpectantes, non licet argumentari. Imò ab his exemplis potiùs contra craſsiores illas atque reales argumentum duci poteſt. Cùm enim varietates & diſſenſiones leviores Critici

tici ipſorum notârint, cur de gravioribus ſiluiſſent? cur non & il-las, aut quaſdam ſaltem, tetigiſſent?

Dices; *At, ſi in talibus à ſcribis fuit erratum, quidni etiam potuerunt errare in gravioribus?*

℟. A' poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Et, ſi id factum eſſet, procul dubio & talium corruptionum veſtigia & reliquiæ apud Hebræos extarent, & relictæ eſſent. Atqui nihil tale apud Hebræos reperimus, nullas hac de re obſervationes, nullas ſuſpiciones, nullas querelas, nulla indicia. Omnia antiqua exemplaria hac in parte conſentiunt: Omnes Judæi per univerſum orbem Biblia Hebraica eodem modo legunt.

Inſtant. *Objiciũtur duo verſus Joſ.c.21.v.36. & 37. qui à pleriſq; codicibus Judaicis abſunt, & tamen ex rei & contextus neceſſitate adeſſe debent.*

℟. Sed nondum probatum eſt, illos verſus illic loci incuriâ vel culpâ ſeu librorum, ſeu librariorum, eſſe omiſſos. Antiquiores libri illos non habent, ut Hebræi teſtantur. Ex Maſora arguitur, illos non omiſſos eſſe; quod obſervavit R. Jacob ben Chajim, unde ad marginem majorum Bibliorum Venetorum ſic annotavit: יֵשׁ סְפָרִים מוּגָה׃ בָּהֶם וּמִמַּטֵּה רְאוּבֵן אֶת בֶּצֶר וגו׳ וְכָל הס הַמְּדוּיָּקִים הַיְשָׁנִים לֹא נִמְצָא וְעַיֵּין בְּפֵי׳ הַקִּמְחִי וְגַם בְּמָס׳ עַיֵּין כִּי כִּשֶׁמּוֹנֶה כ׳ת אֶת לֹא נִמְצָא אֵלּוּ בִּכְלָלָן וְזוּ רְאָיָה גְדוֹלָה׃ hoc eſt, *Sunt quidam libri, in quibus hîc correctum eſt* (h. e. per modum correctionis & additamenti adjecti ſunt duo verſus) וממטה ראובן את בצר. *Sed in nullis libris antiquis reperiuntur. Vide in expoſitione D. Kimchii: Item in Maſora. Dum enim Maſora enumerat & recenſet omnes varietates voculæ את, iſti verſus non reperiuntur in illa recenſione. Quod eſt argumentum magnum.* Extant autem illi duo verſus 1. Paral. 6. 78. 79. unde repeti poſſunt. Chaldæus Paraphraſtes illos omiſit. Vetus Interpres Latinus, teſte Andreâ Maſio, illos de LXX. tranſlatione Græca expreſsit. Ergo nec ille eos in ſuo exemplari Hebraico habuit. Et poſito, illos omiſſos eſſe: ex uno exemplo ad univerſalem corruptionem, non valeret argumentatio.

II. Quod varietatem Lectionis attinet, quam cæteri Veteres Interpretes exprimunt;

Si exemplaria Hebraica olim ita enormiter variaverunt, &c, pro codicum tamen diverſitate, illa omnia expreſſerunt, quæ hodiè veteres iſtæ interpretationes nobis repræſentant, iterum quæro, qui

fiat quod nullæ amplius, nec in Vetuſtis membranis & manuſcriptis exemplaribus ejus rei reliquiæ ſint ſuperſtites? quò exemplaria illa devenerunt? quomodo tam ſubitò evanuerunt, & in auras abierunt? cur ſaltem non mentio aut memoria eorum aliqua remanſit? Si tale exemplar Hebraicum fuit unquam in orbe, quale nobis repræſentat ea Interpretatio, quæ LXX. Interpretum nomine hodiè circumfertur, procul dubio illud non fuit ſolum, ſed plura ei ſimilia extiterunt; Jam ponendum etiam, Paraphraſes Chaldaicas Jonathanis, & Onkeloſi, expreſsiſſe ubiq; formam exemplaris ſui Hebraici, quod præ manibus habuerunt, & lectionis tunc receptæ. At quanta eſt inter hos differentia? Quando convenit Jonathan cum LXX. Græcis, aut ubi illis adſtipulatur, quando illi à textu Hebræo recedunt? Et tamen Jonathan ducentis duntaxat circiter annis poſt 70. vixit, & ſuam Interpretationem concinnavit. Quis credat intra illud tempus, ita enormiter vetera exemplaria mutata, mutilata, & deformata fuiſſe, idque ſine ullo vel minimo veteris lectionis veſtigio apud Hebræos, ſine ulla memoria?

III. Si exemplaria Hebraica olim variaverunt ſecundum varietatem omnium Veterum Interpretum, & hodierna Biblia Maſorethica, ut vocant, non ubique exprimunt veram & veterem Lectionem; tum hæc mutatio & nova legendi ratio introducta eſt vel ante Maſorethas, vel à Maſorethis ipſis, vel poſt eos. At neutrum eſt probabile; *Non ante ipſos*; quia nulla apud Hebræos, vel in Talmud, vel in Medraſchim antiquis, vel in Cabaliſtis, vel in vetuſtis exemplaribus Biblicis, vel uſpiam, comparent indicia. Quomodo autem ex infinitis locis, in quibus Ex. Gr. LXX. ab Hebræo diſsident, non unum & alterum ſaltem exemplum remanſiſſet? Vix unquam nobile & inſigne aliquod ædificium ita planè diruitur, ut non aliqua eo in loco relinquantur rudera. Et Maſoretharum diligentiam & induſtriam non effugere potuiſſet, ſi talis variatio fuiſſet. *Maſorethæ non fecerunt hanc mutationem*: Nunquam enim tam univerſalem conſenſum obtinuiſſent. *Non poſt ipſos*: Nam ſepes illa, quam ſuis Bibliis circumduxerunt, non admittebat novas mutationes.

IV. Si exemplaria Hebraica vetera ab hodiernis tantopere diſcreparunt; non potuit tam frequens, tam inſignis & magna mutatio incidere Scriptorum vel librariorum incuriâ, inſcitiâ, ἀβλεψίᾳ,

aut

aut ſimili aliquo errore fortuito & accidentario, inter deſcribendum, uti fieri ſolet, nato: ſed neceſſariò dicendum, id ex conſilio & certo propoſito, ac ſeu corrigendi ſeu corrumpendi ſtudio à Judæis factum eſſe. Atqui ab hoc crimine Veteres Patres, & præſertim D. Hieronymus, liberant Judæos. Et ipſa res loquitur, non ſtudio à Judæis has mutationes factas eſſe. Nam ſi mutare voluiſſent, feciſſent id in locis illis potiſsimùm, quos ſibi & fidei ſuæ contrarios putaſſent. At loci illi plerique cenſentur eſſe ſynceri, unum ſi excipias Pſal. 22. Itaque aliunde proveniant neceſſe eſt hæ diſcrepantiæ.

V. Quâ quæſo ſpecie, quo fundamento, Veterum Interpretum Verſiones Hebraicis codicibus conferemus, aut æquiparabimus, ut dicere quis audeat, tot nos habere codices & exemplaria quaſi Hebraica, quot Veteres Interpretes? *Primò* etenim, de quanam illarum Veterum Interpretationum conſtat, quam ſit antiqua, quàm item genuina? De *Græca τῶν ἑβδομήκοντα* ſuprà vidimus, eam nihil minus eſſe, quàm illorum quibus adſcribitur, doctiſsimorum quorumque Judicio. De *Samaritano* codice hodierno jam quoque conſtat, & demonſtratum eſt, illum eſſe vitioſiſsimum & corruptiſsimum, atque adeò apud multos, (nec fortaſsis injuriâ) ſuſpectum, ac ſi ex Græca interpretatione ſi non conſutus, certè interpolatus eſſet. *Veteri Interpreti Latino* cur tanta authoritas tribuenda, cùm, quis fuerit ignoretur; &, ut Eraſmus ſcribit, *ſi quis percontetur, Gallus fuerit an Sarmata; Judæus an Chriſtianus, Vir an mulier, nihil habituri ſint ejus patroni, quod expeditè reſpondeant?* Sic de aliis. *Secundo*, negavimus ſuprà, ex diſcrepantiis illis ſemper concludi poſſe, illorum exemplaria Hebraica id habuiſſe & repræſentaſſe, quod illi explicarunt & expreſſerunt. Et negavit hoc idem jam olim non ſolùm D. Hieronymus; ſed & D. Auguſtinus, qui hanc diſcrepantiam non varietati codicum Hebræorum, ſed pro immodico ſuo erga illam verſionem amore ac fervore, *Prophetico Spiritui* attribuit. *Tertiò*, an circa ullius codicis puram & illibatam conſervationem, tanta fuit unquam cura adhibita, ut circa codicis Hebraici, à Judæorum Criticis & Maſorethis, à multis retrò ſæculis ad Prophetarum uſque tempora? *Quartò*, an probabile eſt, Deum non majorem curam habuiſſe codicis Verbi ſui authentici, quàm aliorum, fontis, quàm rivulorum?

Audio hic equidem nonnullos paratragœdiantes; *Indignum eſſe Chriſtiano homini, ſtatuere, apud ſolos Judæos remanſiſſe Hebraicam veritatem: fateri, Deum majorem quaſi curam geſſiſſe Judæorum, quàm Chriſtianorum, atque ita ſe Judæorum magiſterio ultrò ſubmittere.*

At viciſsim audio Auguſtinum dicentem; *Judæi tanquam capſarii noſtri ſunt, ſtudentibus nobis codices portant*; Tomo VIII. in Pſ.40. Et in Pſ. 56. *Proferimus codices ab inimicis* (Judæis) *ut confundamus alios inimicos, &c. In quali ergò opprobrio ſunt Judæi? Codicem portat Judæus, ut inde proficiat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, alteri legendo proficiant.* Et ibidem paulò antè: *Propterea autem adhuc Judæi ſunt, ut libros noſtros portent ad confuſionem ſuam.* Et in Pſal. 58. *Ipſi* (Judæi) *habent codices, de quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos tenemus Chriſtum.* Itaque noſtro magis, quàm ſuo bono, in tanta integritate eos ſervarunt, modò id beneficium agnoſcamus, & dignè eo utamur. R. Aſarias hæc Auguſtini dicta trahit ad notas Maſorethicas; fol.48. col.2.

VI. Dico; Si tanta codicum Hebraicorum olim fuiſſet varietas, quanta hinc infertur, impoſsibile fuiſſet, ut Judæi unquam, ob ſuam per univerſum orbem diſperſionem & diſsipationem, tam unanimi, tam univerſali conſenſu, in unam eandemq; lectionem coirent & conſpirarent, ut per omnes orbis partes uno planè eodemque modo Biblia ſua legerent & ſcriberent. Non enim dici poteſt, aut prætendi, Maſorethas Tiberienſes hoc feciſſe. Nam illorum hiſtoria jam ſatis eſt excuſſa & diſcuſſa. De hoc conſenſu jam à multis retrò ſæculis ſunt gloriati.

VII. Quo vel veterum, vel recentiorum, ſanorum quidem & cordatiorum, Bibliorum Interpretum iſtud fit exemplo? *D. Hieronymus* multas notavit hujuſmodi diſcrepantias, ſed rarò admodum inde concluſit, Textum Hebræum illic eſſe corruptum, nedum, ut univerſalem codicum Hebraicorum depravationem inde inferret. An ideò deſiit Textum Hebræum ornare *Veritatis Hebraicæ titulo* & elogio? Minimè. Neque etiam vel minimo indicio hoc ex ſcriptis illius deprehendetur, illum reliquas Interpretationes æquâ lance cum Veritate Hebraica unquam ponderaſſe. Quid ipſum permovit ad novam Latinam verſionem cudendam? An codicum Hebraicorum corruptio, varietas, & diſsidentia?

Nequa-

Nequaquam. Quid ergo? Indicat id cùm alibi, tùm Prologo in Jeſaiam; *quia ſc. Judæi Chriſtianis, ex illa Latinarum verſionum varietate, objecerunt, quòd ſcripturas falſaſſent & corrupiſſent.* D. Auguſtinus immane quantum tribuit LXX. Interpretibus: Codices tamen Hebraicos ſolos *Veritatis Hebraicæ* nomine dignatur. *Nicolaus Lyranus* equidem ſemel & iterum corruptionis arguit Judaicos codices in vaticiniis quibuſdam de Chriſto, ut Jeſa. 9. 6. & Jerem. 23. 6. Quàm rectè & ſolidè, nunc non diſputabo. Non enim ſufficiens accuſandi cauſa in his locis fuiſſe videtur. Interim hoc non obſtitit, quo minus Textus Hebraicus ipſi eſſet ac maneret *Veritas Hebraica*: neque etiam ideò exiſtimavit, ubique Textum Hebraicum cum illis interpretationibus ad eandem ſtateram eſſe trutinandum. Sic enim ſcribit Prologo ſecundo in Biblia: *Ulteriùs conſiderandum, quòd ſenſus literalis, à quo eſt inchoandum, ut dictum eſt, videtur multum obſuſcatus diebus modernis* (loquitur de Verſione Latina): *partim vitio Scriptorum, quòd propter ſimilitudinem literarum in multis locis aliter ſcripſerunt, quàm habeat Veritas textus: partim imperitiâ aliquorum correctorum, qui in pluribus locis fecerunt puncta, ubi non deberet fieri, & verſus inceperunt, & terminaverunt, ubi non debent incipi vel terminari; & per hoc ſententia literæ variatur, ut patebit in ſuis locis infrà proſequendo, Domino concedente, partim ex modo translationis noſtræ* (Vulgatæ Latinæ), *quæ in multis locis aliter habet, quàm libri Hebraici, ſecundum quod declaravit Hieronymus in libro de Hebraicis Quæſtionibus, & in pluribus aliis locis: & alii expoſitores Sacræ Scripturæ legendo vel ſcribendo idem dicunt. Et tamen, ſecundum Hieronymum in ſecundo prologo ſuper Gen. & in pluribus aliis locis, pro veritate literæ habendâ, in Scriptura Veteris Teſtamenti recurrendum eſt ad codices Hebræorum. In hoc tamen valdè cavendum eſt, quantum ad paſſus Scripturæ Vet. T. qui de Deitate Chriſti, ac de pertinentibus ad hoc loquuntur, quorum aliquos Judæi corruperunt ad defenſionem ſui erroris, prout in parte declaravi in quadam quæſtione de Divinitate Chriſti, & adhuc declarabo pleniùs, quando paſſus tales occurrent, Domino concedente. In illis autem, in quibus non eſt veriſimile, quòd aliquid immutaverint; cùm nec cauſam hoc faciendi habuerint, nullum videtur periculum, ſed* (NB) *magis ſecurum, ſecundum dictum B. Hieronymi, in dubiis recurrere ad Textum Hebraicum, tanquam ad originale, pro veritate Textus declaranda.* Neque aliter ſtatuerunt alii do-

ctiſsimi

ctiſsimi viri, qui vel in Sacris Bibliis interpretandis, vel in verſionibus conferendis, operam ſuam impenderunt; Auguſtinus Steuchus Eugubinus, Auguſtinus Juſtinianus, Epiſcopus Nebienſis, Felix Pratenſis, Sanctes Pagninus, alii, noſtro ſæculo. Neque aliter ſenſerunt Hebræi. Non minoris faciunt Judæi Paraphraſtas ſuos Chaldæos, inprimis Jonathanem & Onkelum, quàm Chriſtiani LXX. Græcos, & Veterem Interpretem Latinum: neque credunt, Authorum illorum verſiones, etiamnum hodiè extantes, vel periiſſe, vel inſigniter depravatas eſſe: Et occurrunt in illis loca quamplurima, quæ videntur arguere, Authores illos aliter iis in locis legiſſe, quàm hodierni noſtri Codices repræſentant; nunquam tamen inde, ſicut Chriſtiani multi, ſuſpicantur Judæi, Codices ſuos hodiernos eſſe corruptos, ex illis paraphraſibus corrigendos, ad illas conformandos: vel, Paraphraſtarum illorum exemplaria ubique aliam lectionem olim habuiſſe; licet aliquando concedant, id fieri potuiſſe.

VIII. Si non adſtricti ſumus ad ſcriptionem, lectionem, & punctationem hodiernam Codicis Hebraici; ſed vera lectio petenda demùm eſt partim ex omnibus aliis Veteribus Interpretibus: partim etiam ex noſtromet proprio judicio, noſtraque facultate στοχαστικῇ; ut nempe videamus, an Hebraicus codex cum omnibus illis conſentiat? & ſi conſentiant, etiam tùm conſideremus, utrum ea lectio proba, & ſeriei contextus conveniens aut non conveniens? ſi non conſentiant, quænam ergo aut qualis lectio melior, cohærentior, & convenientior? Si, inquam, res ita habet, & ita faciendum, quid quæſo certi habemus amplius in Sacris literis? Tota Scripturæ authoritas labaſcet, & judicio, non tantùm Eccleſiæ, quod Pontificii volunt, ſed cujuſque privati ſubjicietur. Si ita faciendum, annon parùm admodum, imò nimis parum prærogativæ relinquitur editioni Hebraicæ, quomodocunque hoc excuſetur, quicquid prætendatur? annon ſic fruſtrà hactenus tot inſignes Theologi pugnarunt & digladiarunt pro authentiâ Textus Hebraici? Hebræi dicunt, *Veritatem eſſe immotam, & duobus ſtare pedibus.* Quomodo verò conſiſtet hac ratione *Veritas Hebraica?* Lubrico certe pede admodum, aut nullo, vacillabit in omnes partes, in omnia latera: ubicunque eam continges, nutabit.

IX. Si hæc demum vera Criſeos Sacræ ratio, peſsimè otio ſuo

conſu-

ſuluerunt antiqui Hebræorum Critici in Maſora ſua conſcribendâ, quâ omnes dictiones & literas Textus Hebraici conſiderarunt, numerârunt, ut ille talis ad amuſsim, qualem ipſi habuerunt, in perpetuum intemeratè conſervaretur, & ad poſteros propagaretur, prout etiam nos eum ab illis accepimus. Si hæc legitima eſt Criſis, vah quantum hactenus à ſcopo aberrarunt plerique Chriſtiani, qui Textum Hebræum, ſecundum Maſorethàrum lectionem & ſcriptionem, ipſi quoque ceu genuinum & authenticum acceptarunt, & ſequuti ſunt: malè tempora ſua collocarunt tot inſignes Theologi & Philologi, qui in conferendis cum Textu Hebræo verſionibus eò contenderunt, ut oſtenderent, ubi, & quantum illæ, ceu rivuli à fonte, declinarent & degenerarent, illarumque vel puritatem vel impuritatem hinc dijudicarunt & correxerunt. Nemo, inquam, horum omnium verum ſcopum hactenus unquam vidit, multò minùs attigit. Longè aliud iſti omnes agere debuiſſent! Maſorethæ ſuum illud ſtudium totum ſine detrimento rei ſacræ potuiſſent omittere! Ad quid enim corrupti codicis voces & literas numerare? Ne fortè ſcilicet à quopiam emendetur, & ut pravus in perpetuum maneat. Bibliorum Hebraicorum editores omnes, ſive Chriſtiani, ſive Judæi, nihil egerunt, elegantia, &c, ut illi quidem exiſtimarunt, emendata nobis exemplaria, magnâ induſtriâ & labore indefeſſo procurando! Oleum & operam in locis infinitis perdiderunt Interpretes, Expoſitores, Commentatores, & horum ſimiles, dum operam ſuam unicè in hodierni codicis Hebraici lectione locârunt, & inibi pedem ſuarum explanationum fixerunt! Hi ante omnia debuiſſent omnes Veteres Interpretes, aut ſaltem quot illorum ad manus habere potuiſſent, conquirere & conferre, varias lectiones omnes indicare, quomodo ſinguli in ſuo exemplari Hebraico legerint, annotare & exprimere, tùm quæ vera & genuina ſit lectio, judicio ſuo interpoſito oſtendere: aut ſi nullum fortaſsis exemplar illam repræſentaret, ipſimet ex facultate ſuâ στοχαστικῇ divinare & vaticinari; dehinc demum Maſoram, Notas, Commentarios ſcribere! Et ſic inpoſterum cuivis faciendum erit. Ad quod exemplo ſuo præivit Revelator Punctorum in abſolutiſſimo ſuæ Critices ſacræ opere, in quo infinita Scripturæ loca ſic priſtinæ & veræ lectioni reſtituit. Critices hujus ope & continuatione, ſpes eſt

in integrum tandem reſtitutum iri Textum Hebraicum, ut qualis ab initio fuit, talis circa ultima hæc ſæcula renaſcatur. Unus iſte homo, unus iſte liber reſtituet nobis rem Sacram Hebraicam, Judaicorum librariorum incuriâ, oſcitantiâ, ἀβλεψίᾳ, & temeritate, hactenus deperditam.

X. Si ita faciendum, & facere licet uni, annon licebit idem pluribus? Si Rubeni, cur non itidem Simeoni, & cuivis alii? Si illis hoc licet; an ſemper conſentient in dijudicando, utra lectio ſit melior, & antecedentibus ac conſequentibus convenientior & cohærentior? Vix puto. Si diſſentiant, & unus hanc, alter aliam lectionem approbet & præferat, ut infinitis vicibus continget, prout diverſa ſemper ſunt hominum judicia & præjudicia, quis erit inter eos Judex? quis quenquam pro tali agnoſcet? Annon hoc eſt Scripturam infinitarum, perpetuarum, & indeſinentium litium materiam facere? Annon hoc eſt Controverſias, de vero Senſu, de Judice Scripturæ, multis modis augere & multiplicare, adverſarios non ſolùm in ſua ſententia confirmare, ſed & novis armis ac telis inſtruere, animos diſsidentes ulteriùs in ſe invicem excitare, exacuere, & exaſperare, atque adeò novum pomum eridos inter Theologos Reformatos, eorumque Scholas ſpargere? Quis enim hîc alteri eſt ceſſurus? Quò provocabunt? Hic codicem Samaritanum; ille LXX. Græcos: alius Veterem Latinum: alius neutrum omnium, ſed ſuam propriam ſententiam in medium proferet, & præferet. Et quis unquam placebit omnibus? *Septuaginta Interpretes* magnâ olim in univerſo orbe erant authoritate: ſed tamen nec cenſores nec correctores evitare potuerunt. Hinc enim, quia non omnia ad ſuum guſtum & στοχαστικὴν facultatem erant, permotus fuit *Aquilas*, ut novam verſionem conderet. Sed nec is omnibus ſatisfecit. Hinc *Symmachus* & *Theodotion* prodierunt, qui & ipſi novas editiones ſunt aggreſsi. In his omnibus cùm multa deſideraret *Origenes*, omnes in unum compegit volumen, quod *Hexaplum* inſcripſit: mox etiam addens *Octopla*. Sed nec ſic hominum judicia conquieſcere & coire potuerunt. Nam poſt Originem *Lucianus* quoque exſurrexit, martyr Antiochenus, remque non inutilem ſe facturum putavit, ſi & ipſe aliquid ederet. *D. Hieronymus* poſt hos omnes, & plures Latinos, de novo ex Hebraico Scripturas vertens, ac modò hunc, modò illum, modò

neutrum

neutrum ſequens, ſatis demonſtravit, omnia omnium ſibi nec placuiſſe, nec diſplicuiſſe. Et ſic fuit olim. Neque aliter hoc noſtro ſæculo.

XI. Conſideret quæſo cordatus Lector, An tutum & ſecurum ſatis ſit, tantum noſtro judicio, atque adeò noſtræ ſcientiæ, aut ſæpè potiùs ignorantiæ & cæcitati tribuere & indulgere? Annon ſæpiſsimè fieri poteſt, ut in judicando fallamur? quid dico *fieri poteſt?* annon quotidiè id fieri revera videmus? annon indies in his proficimus, & vel noſtrâ propriâ induſtriâ, vel aliorum operâ, doctiores & exercitatiores evadimus? Quoties fit, ut quod hodiè probavimus, cras improbemus, quod veſperi cantavimus, manè recantemus, ut ſemper δεύτεραι φροντίδες ſunt σοφώτεραι? Annon ſæpè hic videt, quod alius non videre potuit, & uni bonum, verum, & conſonum videtur, quod alteri contrà malum, falſum, & diſſonum? In quot formas ſic infinitas Scripturæ voces ac ſententias fingemus, refingemus? Aliter fieri non poteſt, ſi hanc regulam ſequamur, quàm ut Scripturam Hebraicam figulinam faciamus, & non ſolùm Prothei aut Empuſæ alicujus inſtar in omnes formas mutabilem, ſed quorumvis etiam ſciolorum & imperitiſsimorum audaciæ ac temeritati expoſitam. Quis certam & ſtabilem ei formam imprimet? Nemo hîc ſibi ipſi, nemo fidet alteri. Quoties contingere poterit, ut Hebraica, quæ vera, recta, proba, rejiciamus; quia nobis obſcura, & noſtro, non illorum, vitio mentem eorum ac ſenſum non aſſequimur, ut errorem ſubeſſe malè putemus; alia verò, quæ nobis faciliora, licet falſa & reproba, ſequamur? Quoties ſic adulterinam Lectionem Textui inſeremus, & genuinam exauthorabimus, & vice verſâ? Accidet revera hîc id, quod in argumento non planè diverſo de Karræis ſcribit Cuſar, par. 3. §. 49. אִם לֹא הָיְתָה הַתּוֹרָה אֶצְלֵנוּ קְשׁוּרָה בִּגְבוּלִים שֶׁלֹּא יַעַבְרוּם לֹא הָיָה מוּבְטָח בָּהּ מֵהִכָּנֵס בָּהּ מַה שֶּׁאֵין מִמֶּנָּה וְיוֹצֵא מִמֶּנָּה קְצָת מַה שֶּׁיֵּשׁ בָּהּ בַּעֲבוּר שֶׁהוּא לוֹקֵחַ בְּהֶיקֵּשׁוֹ וְטַעְמוֹ hoc eſt, *Si Lex noſtra non eſſet adſtricta ad certos terminos, quos tranſilire non licet, nihil foret in ea certi, & ſæpiſſimè ingrederetur in eam aliquid quod minimè ad eam pertinet: & vice verſâ ſæpè quædam ex ea egrederentur, quæ ſunt de ea: quia unuſquiſque eam pro ſuo arbitrio & judicio,* ſeu facultate στοχαστικῇ *explicaret.* Quis hîc tantum ſuæ in lingua Hebraica peritiæ, ſuo judicio, ſuæ facultati

στοχαστικῇ tribuet, ut hoc à ſe alienum, vel ſe à tali errore immunem credat? Nemo certè; niſi vel dona Prophetica, aut Revelationes jactare poſsit. Quò quis hîc erit indoctior, tantò audácior. Res ipſa loquitur; & loquetur, ubi multæ ejuſmodi Criticæ prodierint. Et an ſemper ex antecedentibus & conſequentibus de lectione vocis alicujus judicare poſſumus? annon ſæpè antecedentium & conſequentium ſenſus ex unius vel alterius vocis dubiæ, ambiguæ, & variè ab Interpretibus expoſitæ, intellectu pendet? quid in hoc caſu faciemus? Ex verbis quippe ſenſus eruitur. D. Hieronymus certè in ambiguis nominibus atque verbis non approbat, ut in illis quiſque, *quod ſibi conſequentius videtur*, transferat, ſed ad Linguam Hebræam; & ad Hebræos nos relegat, ut ab illis expoſitionem veram petamus; & quod verba Hebræa ſignificant & intelligunt, id transferamus; in Apologia adverſus Ruffinum, ubi inter alia: *Origeni*, inquit, *tuo licet tractare* Μετεμψύχωσιν; *innumerabiles mundôs introducere; & rationabiles creaturas aliis atque aliis veſtire corporibus, Chriſtumq́ dicere ſæpiùs paſſurum; ut quod ſemel profuit, ſemper proſit aſſumptum. Tibi quoque ipſi tantam ſumis authoritatem, ut de heretico martyrem, de Origenis libris hæreticorum adulteria mentiaris; & mihi non licebit diſputare de verbis, & in Commentariorum Opere Latinos docere, quod ab Hebrais didici? Niſi enim & prolixum eſſet, & redoleret gloriolam, jam nunc tibi oſtenderem, quid utilitatis habeat, Magiſtrorum limina terere, & artem ab artificibus diſcere, & videres quanta ſylva ſit apud Hebræos ambiguorum nominum atque verbórum. Quæ res diverſæ interpretationi materiam præbuit dùm* (NB) *unuſquiſque, inter dubia, quod ſibi conſequentius videtur, hoc transfert.*

XII. Quod dicitur; *Licet nova punctatio clariorem, commodiorem, & verum ſenſum pariat, & nos eam, nullâ Máſorethārum, & illorum punctationis, ratione habitâ, ſequi & amplecti deceat; nequaquam tamen eam textui inferre & infercire debere, priore inductâ: Hoc ſcilicet antiquitati, & hominum illorum diligentiæ & induſtriæ planè admirandæ atque ſtupendæ dandum eſſe, ut eorum lectio ſive punctatio ubique ſarta tecta maneat & inviolata; attamen non ut eam ſequamur;* hoc, inquam, futilis eſt incruſtatio.

Si punctatio eſt à Maſorethis Tiberienſibus, viris, nullis planè extraordinariis Sp. S. donis inſtructis, & eadem non eſt clara,

commoda,

commoda, & (quod caput rei eſt) vera, quid impedire aut obſtare poteſt, quin alii, Maſorethis nihil inferiores, & acutiùs in Sacris melioraque cernentes, ipſorum punctationem mutent & aboleant? aut ſi minùs hoc velimus facere, quidni, ut olim fecerunt, novas lectiones varias marginales textui Hebræo aſſuimus, & monemus per notam *Keri Ukeſiſ*; *ſic quidem ut in textu eſt, punctaſſe Maſorethas*; *legendum autem eſſe ut eſt in margine*, *& eam lectionem eſſe veram?* Sic ſaltem nihil demeretur authoritati & antiquitati Maſoretharum: ſic reſtitueretur vera lectio. Quis verò hactenus repertus, qui id facere præſumpſerit, ſive ex Hebræis, ſive ex Chriſtianis? Nemo: quaſi Divinâ aliquâ & altiore vi atque virtute, & venerandâ nimiùm Codicis Hebræi ſanctitate, ab iſtiuſmodi conatu & facinore retenti eſſent.

Atqui, inquit, *hoc dandum eſt Antiquitati*, *& hominum illorum diligentiæ & induſtriæ planè admirandæ atque ſtupendæ*, *ut eorum lectionem ubique ſartam tectam relinquamus*, *at non ſequamur*:

R/. Ego verò puto, *Veritati* plus dandum eſſe, quàm *Antiquitati*. Quæ ratio, ut propter antiquitatem, lectio incommoda, obſcura, & quod majus eſt, erronea & non vera, retineatur, & vera excludatur? Quod patrocinium errori ex antiquitate? Et fieri'ne poteſt, ut Error Veritate ſit antiquior? Ego putarim in Sacris id eſſe antiquiſsimum, quod veriſsimum. Ut ſic veritati primæ ſint partes deferendæ. Antiquitas enim non vera; nihil eſt niſi latens ſub larva novitas. Et quæ obſecro eſt hæc Maſoretharum Tiberienſium antiquitas, qui nonniſi 1000. ab hinc annis floruiſſe; attamen ne tunc quidem punctationem totam perhibentur abſolviſſe? Antiquior ipſis eſt, ex Adverſariorum ſententia, Codex Samaritanus: antiquiores Paraphraſtæ Chaldæi; antiquiores LXX. & reliqui Interpretes Græci: antiquior ipſe Hieronymus. Quod ſi ergo Antiquitati deferendum, quæ ratio, quòd horum antiquiorum lectio ex Textu excludenda, quando illa clarum, commodum, & verum exhibet ſenſum; Maſoretharum novitiorum falſa retinenda?

Hoc ſcilicet jam diligentiæ & induſtriæ ipſorum ſtupendæ & admirandæ debebitur!

Sed nunquid nimis videtur delatum diligentiæ & induſtriæ humanæ, ſi in ejus gratiam, Lectionem in Verbum Dei ejus operâ

infartam, quæ obſcura, incommoda & falſa, relinquamus, veram exulare ſinamus? Et poteſt'ne aliqua diligentia & induſtria humana tanta eſſe, ut propter eam errores in loco Sancto inviolati, ſarti tecti relinqui & tolerari debeant? Qualis verò etiam hic honor; ſi lectio illorum quidem relinquatur, ſed non ſit ſequenda? Imò annon infamiæ & ignominiæ potiùs illorum ſervit, ſi lectioni ipſorum gloſſema hoc addatur, Maſorethas quidem ſic punctaſſe, ſed incommodè & contra veritatem? Charitas tegit errores, ſed non in propatulo relinquit: operit eos, non aperit. Nova hæc ſunt Axiomata in Theologiâ Orthodoxâ. Quid ſi quis pariter inferret, Imaginem, Picturam, Statuam aliquam Idololatricam, v. g. S. Trinitatis, in Templo eſſe relinquendam, quòd ab aliquot ſæculis ibi fuerit, quòd antiquiſsima ſit, & ſummâ diligentiâ, induſtriâ & arte elaborata? Summa, ſi res ita habeat, nihil in mundo magis neceſſarium, adde etiam, nihil magis æquum, quàm ut nova Biblia Hebraica cudantur, quæ præter Maſorethicam, etiam veram lectionem, verumque ſenſum, quocunque modo, nobis exhibeant & repræſentent. Itaq; hoc à noſtro Revelatore & Critico exſpectabimus, qui jam à viginti & ampliùs annis in hac arte facultatem ſuam στοχαστικὴν exercuit: הַהֶרְגֵּל יַעֲשֶׂה אוּמָן *Uſus facit artificem.*

XIII. Similis incruſtatio eſt, quando ſcribit; *Textum Hebræum ideò aliis eſſe præferendum, quia & quatenus oſtendi poteſt, ſenſum, qui oritur ex ejus lectione, eſſe ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ meliorem & convenientiorem, eo qui naſcitur ex lectione aliorum codicum.* Spondeo enim, quod ſi licentia hæc à Revelatore promulgata invaleſcat, & multi facultatem ſuam στοχαστικὴν in hoc objecto exercuerint, contrarium brevi viſum iri, maximè in Prophetis; ut ſenſus, qui ex Codicum Hebraicorum lectione oritur, *rariſsimè*, hujuſmodi Criticorum opinione, futurus ſit melior & convenientior. Quid non tentabit ingenium humanum? quid non audebit? quid non excogitabit? quos non colores adinveniet fucandæ ſuæ ſententiæ? Experientia fidem faciet.

XIV. Si Textus Hebræus non ideo eſt aliis quibuslibet codicibus præferendus, quia eâ linguâ, & illis ipſis verbis immediatè Prophetis fuit inſpiratus; ſed eatenus tantùm, quatenus & quoties noſtro judicio melior ex ejus lectione oritur ſenſus, quàm ex

aliis

aliis codicibus, ſeu Translationibus, & per conſequens ubique, antequam pro vero habeatur, ad noſtrum examen revocandus; annon hoc pacto revera rationi humanæ totum ſubjicitur judicium, de Verborum Spiritus Sancti Veritate, omnem noſtrum captum longiſsimè ſuperantium? Annon captivus quaſi & vinctus ac ligatus noſtro judicio traditur Textus Hebræus authenticus; cùm contrà æquius ſit, ut nos in Divinis rationem noſtram captivam ducamus, & ſubmittamus? Imò an hac ratione eſt *Authenticus*, ſi *non ex ſe*, ſed *ex noſtro judicio* fidem & authoritatem ſuam habeat? Scio varia hîc effugia quæri, & variè excuſari hæc, quòd propterea non lædatur aut labefactetur Textus Hebraici *αὐϑεντία*; ſed ego id videre non poſſum. Et ſemper perniciosum exiſtimo, periculoſa in Theologia ponere vel concedere principia; & concluſiones negare velle. Utplurimùm monſtri aliquid ſubeſt, & ignes latent ſuppoſiti cineri doloſo.

XV. Non ſatis eſt, Spiritus Sancti ſcripta ita legere, ut non periclitetur aut adulteretur ſalutaris dogmatum & morum doctrina: Opera danda, ut, quantum fieri poteſt, ubique, etiam in minimis, mentem Ipſius aſſequamur & exprimamus: ſecus, nimis obiter & ſuperfunctoriè in S. Scripturæ lectione verſabimur, in qua, ut D. Bernhardus ait, ne modica quidem vacat particula; Imò nimis viliter hoc eſt de ea ſentire.

Sed hæc alibi fortaſsis uberiùs deducendi dabitur inpoſterum occaſio, Deo vires & valetudinem cum otio concedente. Et inf: par. 2. cap. 13. etiam quædam huc facientia habentur. Hæc hoc loco, ex occaſione præſentis de Punctorum Antiquitate Quæſtionis, in gratiam Lectoris delibaſſe ſufficiant.

Antequam verò Caput iſtud concludamus, juvabit etiam audire, *Quæ Hebræorum Doctorum de quæſtione propoſita ſit ſententia?* Et; *An illi quoque in locis vel diſcrepantibus, vel ambiguis, tantum ſibi indulgeant, ut ex proprio judicio & ingenio hîc aliquid faciendum ducant?*

Quod eam partem quæſtionis attinet, quâ Revelator ſtatuit, *ex diſcrepantiis Veterum Interpretum ab hodierna lectione codicis Hebraici, concludendam eſſe mutationem aliquam exemplarium hodiernorum Hebraicorum*, de ea audiemus judicium Authoris, Revelatori noſtro, nec propter eruditionis, neq; ingenuitatis defectum ſuſpecti. Eſt is Joſephus Albo, quem in Controverſia de Literis Hebræo-

rum

rum tanti facit, ut exiſtimet, *illum unum contra reliquos omnes Hebræos facilè ſtare poſſe.* Sic ergo ille hac de re pronunciat in libro עקרים *Ikkárim* par.3. cap.22. ואם נמצאת התורה באומות אחרות על זולת הנוסח אשר בידנו או באיזה שנוי בקצת דברים הנה השנוי ההוא נפל מצד המעתיקים לאומות ההן שלא היו בקיאין בה . וזה כי היהודים מדקדקים בתורה ובאותיותיה במלא וחסר ומתפארים בידיעת מנין האותיות ופסוקי הטעמים עד שהם כותבים זה בגליוני ספריהם וקורין אותו מסורת מה שלא עשו כן שאר האומות וכו׳ hoc eſt, *Quod ſi reperiatur Lex apud gentes alias, diverſa ab exemplari, quod eſt in manibus noſtris, aut diſcrepans in nonnullis verbis; tùm mutatio illa incidit ex parte Translatorum ſeu Interpretum illorum, qui non ſatis fuerunt in ea exercitati. Judæos enim quod attinet, illi accuratiſſimi ſunt circa Legem ſuam, imò & circa ejus literas, voces item plenas ac defectivas: & gloriantur, quòd ſciant numerum literarum, verſuum, diſtinctionum & accentuum; hacq; adſcribunt marginibus librorum ſuorum, & vocant Maſoreth; quod reliquæ gentes non fecerunt, &c.*

De altera quæſtionis parte, quâ aſſeritur, *adhibito noſtro judicio, & cujuſque facultate* στοχαστικῶς*, verum ſenſum, veramq; lectionem eſſe inquirendam & eruendam*; iterum non alios producemus, quàm Revelatori noſtro commendatiſſimos, & quos ipſe, dum ſuæ ſententiæ illos (quamvis fruſtrà) favére eſt arbitratus, ſummis elogiis ornavit, Authorem videlicet libri Coſri, & Aben Eſram. Itaque non ſpero, illum nunc illorum judicium rejecturum, aut detrectaturum.

In libro Coſri parte 3. ſ. 25. cùm oſtendere vellet author, Rationem, Opinionem, & Conjecturas humanas exulare debere à Rebus Divinis, & unico Dei verbo eſſe innitendum; Quærit Judæus; ומה תאמר אם ימצא חלוף בספר אחד או שנים או שלשה *Quid verò dicturus es, ſi occurrat diſcrepantia & varietas aliqua in uno, duobus, vel etiam tribus codicibus?* Reſpondet Coſri: יעיינו ברוב הספרים כי הרבים לא יעבור עליהם הגנב ויניחו היחידי׳ כן המעתיקים כשיחלקו המיעוט ישובו לדעת הרוב *Tunc attendendum eſt ad majorem exemplarium partem: (quia non facilè invadit & occupat falſitas majorem librorum partem) & relinquent libros ſingulares: Sic translatores quando diſſentiunt, minor pars ſequetur ſententiam majoris.*

Regerit Judæus: ומה תאמר באות שתמצא בספרים בחלוף ההקשה כמו,

כמו צדו צעדינו התראה שהיא צרו ואשר לא נשא לשוא נפשי ישיבוהו נפשו וזולת זה הרבה שלא נוכל לספרם *Sed quid dices, cùm litera aliquando in libris reperitur præter vel contra rationem* (ut nempe hæc meliorem, commodiorem, & veriorem videatur ſuadere lectionem;) *ut Thren.4. 18.* צדו צעדינו *Venati ſunt* greſſus noſtros, *ubi rectiùs videtur legi* צרו *Arctarunt, Obſederunt* (prout nempe alibi hoc verbum cum nomine צעד *Greſſus*, junctum reperitur, Prov.4.12. Jobi 18.7. & ejus contrarium הרחיב *Dilatare*, Pſal. 18. 37.) *Item Pſ.24. 4.* Qui non extulit in vanum נפשי *animam meam*, ubi videtur legendum נפשו *Animam ſuam; & infinita alia?* Reſpondet Coſri; אם תשלוט ההקשה על אלה והדומה להם תשנה הספרים כולם באותיות תחלה ואחר כן במלות ואחר כן בחבורים ואחר כן בנקוד ואחר כן בטעמים וישתנו הענינים וכמה פסוקים יכול האדם להעתיק ענינים אל הפכם בהעתקת אחד מאלה המסורות כל שכן כלם *Si rationem* (ſeu facultatem στοχαστικὴν: hoc enim ſignificat ההקשה) *ſinamus dominari ſuper iſta, & ſimilia, mutabimus libros totos, primò quidem in literis, poſtea in vocibus, exinde in ſententiis, tùm in punctatione, denique in Accentibus, & ſic mutabitur ubique ſenſus. Et quot quæſo verſus poterit homo transferre in contrarium planè ſenſum, per tranſpoſitionem aut immutationem vel unius ex traditionibus iſtis, nedum omnium?*

Hæc verba ſic explicat & illuſtrat Muſcatus in ſuo Commentario: הכונה כי לא אשר יראה האדם לעינים אותו יקח לו לטוב והגון כי בארח זו יהלך בהקשתו וסברתו שם הטעות המצויה טמנה פח לו. והרבה אשר ימצא האדם בספרים דברים זרים ורחוקים מהקשתו ואם רוח המושל יעלה עליו לשנותו ברצונו יבלע וישחית עד אשר לא יעזוב להם שרש וענף hoc eſt, *Scopus & intentio authoris eſt; non debere hominem ſtatim id pro bono & probo accipere, quod ipſi in oculis ſuis tale videtur: Nam ſi hac viâ incedet, & rationi ac facultati* στοχαστικῇ *ſuæ inſiſtet, tum illa ſæpè, ſub prætextu erroris, eum decipiet, & laqueum ei quaſi abſcondet. Plurima namq; reperiet homo in libris Sacris, quæ longinqua & aliena ſunt à ratione* & facultate στοχαστικῇ *ipſius, ſuper quæ ſi ſpiritus dominatoris tranſiverit ad mutandum illa pro ſuo placito & arbitrio, ita omnia deglutiet & corrumpet, ut nec radicem nec ramum illis ſit relicturus.*

Tempore *Aben Eſra* quidam fuit Grammaticus & Criticus, qui ſuo judicio proprio, facultateque στοχαστικῇ, voluit quædam loca

Pp

Scripturæ Sacræ corrigere & emendare, ut cum antecedentibus & conſequentibus, vel aliis Scripturæ locis, tantò meliùs, ut ipſe quidem putabat, quadrarent. De hujus verò temerarii ſcioli ſententia & labore, quale judicium, qualemque ſententiam tulerit Aben Eſra, videre eſt in libro *Tzachut* circa finem, ubi folio mihi 192. ſic ſcribit: הִשָּׁמֵר לְךָ וּשְׁמוֹר נַפְשְׁךָ מְאֹד שֶׁלֹּא תַאֲמִין בְּדִבְרֵי הַמְּדַקְדֵּק שֶׁהִזְכִּיר בְּסִפְרוֹ יוֹתֵר מִמֵּאָה מִלּוֹת וְאָמַר כִּי כֻלָּם צְרִיכִים חִלּוּף חָלִילָה חָלִילָה · כִּי זֶה אֵינֶנּוּ נָכוֹן בְּדִבְרֵי חוֹל וְאַף כִּי בְּדִבְרֵי אֱלֹהִים וְסִפְרוֹ רָאוּי לְהִשָּׂרֵף hoc eſt, *Cave tibi, & cuſtodi animam tuam valdè, ne credas verbis Grammatici illius, qui adducit in libro ſuo plus quàm centenas voces, de quibus omnibus dicit, quòd ſint mutanda & corrigenda. Abſit verò hoc longè, abſit, inquam. Hoc enim non rectum eſt in verbis authorum prophanorum, quantò minùs in verbis Dei vivi: Et dignus eſt liber ejus, qui exuratur:* En ſeveram ſententiam latam ſuper facultatis hujus ϛοχαϛικῆς uſu in Scriptura!

Poſtea ſpeciminis loco quædam illorum locorum producit, & quàm benè ϛοχαϛμὸς iſte ei ceſſerit, exponit. Pergit ergo וַאֲנִי הִנֵּה אֲפָרֵשׁ לְךָ קְצָת הַקָּשִׁים שֶׁהִזְכִּיר בַּעֲבוּר שֶׁלֹּא יָכוֹל לְפָרֵשׁ אוֹתָם כְּמַשְׁמָעָם *Explicabo tamen tibi nonnulla illorum, quæ adducit, & putat, non poſſe rectè explicari ſecundum ſenſum literalem ſuum.*

Jerem. 33. 26. *legitur:* גַּם זֶרַע יַעֲקֹב דָּוִיד עַבְדִּי Etiam ſemen *Jacobi*, & Davidis ſervi mei. *Hic dicit; quòd* יַעֲקֹב Jacob *poſitum ſit pro* אהרן Aharon; *eò quòd in præcedentibus duarum harum familiarum mentio facta ſit. At verò rectum eſt hoc juxta ſenſum literalem ſuum, quod vel ex eo probatur, quia ibidem dicitur;* Ut non aſſumam de ſemine ejus dominatores; *& hæc eſt verborum illorum expoſitio;* Quomodo abjiciam eum qui eſt de ſemine Jacobi, cùm Lex dixerit, nullum Regem fore dominatorem in Iſraele, niſi de Jacobo, & de familia inſuper Davidis? *& hi ſunt duo illi gradus. Quòd verò non aliter etiam exponi poſſit ullo modo, oſtendo ex eo quod alibi ſcriptum eſt;* Filii Jacob & Joſeph, Sela, Pſal. 77. 16.

Exo. 19. 12. *ſcriptum eſt;* וְהִגְבַּלְתָּ אֶת הָעָם Et terminabis *populum; Et v.* 23. הַגְבֵּל אֶת הָהָר Termina *montem: Hic ergo contendit, etiam legendum* הָעָם Populum. *Sed revera nihil dicit. Nam ſi terminaverit populum, terminus fuit in monte, & ſi dixiſſet,* Pones terminum in monte, (vel, *& perinde eſt ac ſi dixiſſet,* Pones terminum in monte.)

Joſ. 5.

Joſ.5. v.4. וְזֶה הַדָּבָר אֲשֶׁר מָל יְהוֹשֻׁעַ Et hæc eſt res, (propter) quam circumcidit Joſua, &c. *Hic dicit* הַדָּבָר Res, *poſitum eſſe pro* הָעָם Populus (hoc modo; *Et hic eſt populus quem circumcidit Joſua). Sed & hoc non aliter, quàm ut verba habent, intelligendum:* זֶה הַדָּבָר *eſt idem ac ſi dixiſſet* בַּעֲבוּר זֶה הַדָּבָר Propter hanc rem circumcidit eos Joſua.

1.Reg.2.28. ואַחֲרֵי אַבְשָׁלוֹם לֹא נָטָה Et poſt *Abſalomum* non declinaverat. *Hic, dicit,* Abſalom *eſſe pro* שְׁלֹמֹה Salomon (Et poſt *Salomonem* non declinaverat). *Sed nulla huc neceſſitas adigit: Nam poſtquam Scriptura dixit, quòd declinaverit poſt Adonijahu, quid neceſſe fuit dicere, quòd non declinârit poſt Salomonem? Hoc enim ex altero ſtatim per ſe ſequitur. Sed explicat Scriptura aliud, quòd Joab non declinaverit cum Abſalomo, eò quòd ſciviſſet, illum non eſſe idoneum ad regnum, & tamen etiam de Salomone cogitaverit.*

Judic.14.15. וַיְהִי בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיֹּאמְרוּ לְאֵשֶׁת שִׁמְשׁוֹן Et fuit die *ſeptimâ*, & dixerunt uxori Simſonis. *Hic pro*, die ſeptima, *dicendum fuit ex ſententia iſtius Vaniloqui*, Die Quartâ; *eò quòd præcedente capite 14. v.14. ſcriptum invenit*; Et non potuerunt indicare ænigma tribus diebus. *Sed etiam ſcriptum eſt ibid. v.17.* Et flevit apud eum ſeptem diebus; *Ideoq; nihil quicquam dixit, & ſic eſt expoſitio illius loci.* Laborarunt, & defatigarunt ſe tribus diebus ad ſolvendum ænigma, & non potuerunt. Videntes hoc itaque, deſperarunt de eo ſolvendo, & dixerunt die ſeptimo ad uxorem Simſonis; *Perſuade viro tuo, ut indicet nobis ænigma.* Illa itaque arctavit & preſſit ipſum die ſeptimo, ut ei id indicaret, propter ea quæ ei dicta ſunt à Philiſtæis; His namque verbis, Et flevit apud eum ſeptem diebus, *indicat Scriptura, quòd illa à ſeipſa fleverit omnibus illis 7. diebus, ut ſibi ænigma indicaret, nemine hominum id ab ipſa flagitante.*

1. Chron. 2. 15. legitur, דָּוִיד הַשְּׁבִיעִי *David* ſeptimus; *Pro hoc legendum ipſe putat* הַשְּׁמִינִי Octavus; *eò quòd ſcriptum ſit*; Et tranſire fecit Iſaj ſeptem filios ſuos, &c. 1.Sam.16.10.11.

Ad hoc reſpondent multi, quòd unus illorum mortuus fuerit. Sed nihil dicunt: Nam tempore Scriptoris τῶν *Paraleipomenων ne unicus quidem amplius in vivis fuit. Itaque dicendum, quòd Iſaj aliam uxorem habuerit, ex qua filium progenuerit. In libro Samuelis ſermo eſt de filiis Iſaj, ex quacunque uxore fuerint: In libro Chronicorum autem diſpoſiti ſunt, prout fuerunt ex uno ventre. Et tale eſt illud 1. Chronicorum 8.*

v. 1. Bela primogenitus ejus, Aſchkel ſecundus. *Hactenus Aben Eſra.*

Hunc eundem fortè intelligit idem Aben Eſra, quando Pſal. 77. v. 3. ſcribit: חָכָם גָּדוֹל חִבֵּר סֵפֶר נִכְבָּד רַק יֵשׁ טָעֻיוֹת בּוֹ שֶׁאָמַר כִּי יָדִי בִּמְקוֹם עֵינִי וְזֶה לֹא יִתָּכֵן לְדַבֵּר אִישׁ דַּעַת כְּדָבָר הַזֶּה אֲפִילוּ בְּשִׂיחַת חוּלִין וְאַף כִּי בְּסִפְרֵי הַקֹּדֶשׁ hoc eſt, *Sapiens quidam magnus compoſuit Librum inſignem, in quo tamen multi ſunt errores. Dicit enim, in hoc verſu,* יָדִי Manus mea, *poſitum eſſe pro* עֵינִי Oculus meus. *Sed virum cordatum & ſanæ mentis non decet ita loqui in verbis communibus & prophanis,* hoc eſt, ita mutare & corrigere; *quanto minus in libris Sacris.*

Similiter in libro מאזנים *Moſnajim* graviter invehitur contra eos qui non ſequuntur diſtinctionem Accentuum & Sententiarum ſeu verſuum uſitatam: *Omnis,* inquit, *expoſitio, quæ non eſt ſecundum rationem accentuum, ne acquieſcito in ea, neque admitte eam. Neque apponas ad cor tuum verba cujuſdam ex Geonim, qui de decem verſibus dicit, quòd non rectè ſint diſtincti, ſed cohæreant & conjungendi ſint cum verſibus ſequentibus:* וכולם הם נכונים נִפְסָקִים בְּעִנְיָן *Sed omnes rectè ſunt diſtincti quoad ſenſum.* Poſtea adducit ibidem Aben Eſra quoſdam illorum verſuum, nempe Jer. 17. v. 11. Hoſ. 12. v. 11. Hoſ. 4. v. 10. 2. Chron. 20. v. 18. & explicat illos, ac oſtendit, quòd rectè ſint diſtincti, neque ſint cum ſequenti verſu conjungendi. Vide & pag. 179.

Qui ergo etiamnum hodiè ſimilia tentant, videant, ut magis ἐυςόχως id faciant, quàm iſti, ne & illi gravem Aben Eſræ cenſuram, quam ſuprà intelleximus, ſubeant.

De *Karrais*, ſectariis inter Judæos, qui, omnibus Traditionibus rejectis, ſoli Textui Scripturæ adhærebant, legimus; illos olim, non ſolùm in intellectu & explicatione rerum, ſed etiam in lectione Scripturæ, multimodè inter ſe diſſenſiſſe, quòd Punctationem, ceu Legis oralis, & Traditionum ſpeciem, reſpuerent, ſeu, ut Muſcatus ſcribit, quòd indifferenter rejicerent, tàm קַבָּלַת אוֹפֶן קְרִיאָה *Traditiones de modo legendi Scripturam*, quam קַבָּלַת בֵּיאוּר הָעִנְיָנִים *Traditiones explicationis rerum.* Teſtatur hoc de illis author libri Coſri parte 3. §. 35. Poſteaquam enim in illo paragrapho Traditionum oralium neceſsitatem multis exemplis è Lege Moſaica contra eos probaſſet, quærit tandem ex Coſreo; הֲשָׁמַעְתָּ
מלך

מיך כוזר על חבור לקראים בדבר מכה שזכרתי לך בסמך או בקבלה שאין בו ביניהם מחלוקת ממסורת או מנקודה או מטעמיה או מאסור והיתר או מדינין *Num audiviſti, Rex Cuſar, de ſcripto ſeu libro aliquo Karraitarum, qui de aliqua rerum adductarum agat, in quo non ſit inter ipſos diſſenſio, ſeu de Maſora, ſeu de Punctatione, ſeu de Accentibus, ſeu de Vetitis & Licitis, ſeu de Judiciis.* Cuſar reſpondet §. 36. לא ראיתי ולא שמעתי *Nunquam vidi vel audivi.* Et §. 38. והקראים כפי סברתם ירבו התורות כפי סברת כל אחד מהם ועוד כי האחד לא יעמוד על תורה אחת כי בכל יום תתחדש לו דעת ותוסיף דעתו ויפגע מי שישיבהו בטענה וצריך שיעתק בהעתקת דעתו וכו׳ h. e. *Karraitæ pro arbitrio ſuo multiplicant leges, ſecundum uniuſcujuſque opinionem: Præterea etiam unus idemq́; non ſemper manet in Lege una: quia indies ei nova aliqua ſententia oboritur, quotidiè etiam ſcientia ejus augetur, & redditur doctior: quandoque incidit in alium, qui, ratione aliquâ in medium adductâ, eum à ſententia ſua dimoveat, ut eam deſerere cogatur, &c.*

Contra hos etiam hujus rei causâ invehitur Aben Eſra in Præfatione ſuâ Rhythmicâ, Bibliis majoribus præfixâ, his verbis: הדרך הב׳ בחרוה פתלתולים, ואם הם ישראלים, אשר חשבו כי עמדו על הנקודה בעצמה, והם לא ידעו מקומה, וזאת דרך הצדוקים כענן ובנימין, וכן משיח וישוע וכל מין אשר בדברי מעתיקי הדת לא יאמין, והוא נוטה להשמאיל או להימין, וכל איש ברצונו יפרש הפסוקים, גם במצות ובחקים, והם מדעת תוצאות לשון הקדש ריקים, על כן יתעו גם בדקדוקים, ואיך [נ״ל ואין] יסמכו במצות על דעתם, וגל רגע יהפכו מצד אל צד כפי מחשבתם, בעבור שלא תמצא בתורה, מצוה אחת בכל צרכיה מבוארה וכו׳ hoc eſt, *Modum ſecundum* (quo Interpretes Legis in ejus explicatione uſi ſunt) *elegerunt quidam diſtorti, quamvis ſint Iſraëlitæ, exiſtimantes quòd ipſi puncto ſeu centro* (interpretationis veræ) *inſiſtant, cum ne locum quidem ejus ullo modo cognoſcant. Et hæc via eſt Tzadducæorum* (Tzadducæi & Karræi ſunt iidem), *quales ſunt Anan & Binjamin* (horum mentio quoque fit in libro Coſri p. 3. §. 38.) *Meſſias & Jeſus, ut & quivis hæreticus, qui verbis Doctorum vel Interpretum Legis non credit, & vel ad ſiniſtram vel ad dexteram recedit: omnis item, qui lubitu ſuo Verſus Scripturæ exponit, præcepta item & ſtatuta. Et ſunt à ſcientia proprietatum linguæ vacui: unde etiam errant in Grammaticalibus: ſed nec innituntur ſententiæ ſuæ in Præceptis; verùm ſingulis momentis ab*

hoc latere ad illud vertunt ſe, prout ipſis in mentem venerit, eò quod nullum præceptum in Lege ſufficienter & ſecundum omnes neceſſitates ſuas explicatum, &c.

Et ſic eſt Hebræorum de iſta Criſeos Sacræ ſpecie judicium, quod an à recto tramite ac ſemita deviet aut aberret, docto & cordato Lectori expendendum relinquo. Ut & illud, quantum apud Judæos ſcandalum excitaturi ſimus, ſi tantâ licentiâ in Sacrum Textum Hebræum graſſari nobis permittamus, aut liberum ducamus. R. Jacob ben Chajim, dum in Præfatione majorum Bibliorum populares ſuos à Chriſtianorũ accuſationibus vindicat, quaſi ipſi per τὸ *Keri Ukeſiſ, Tikkun Sopherim, Ittur Sopherim,* Sacram Scripturam corrupiſſent, ſcribit inter alia: הֲיַעֲלֶה על לֵב אָדָם שֶׁרוֹצֶה לְשַׁנּוֹת וּלְהַחֲלִיף דָּבָר ויֹאמַר רְאוּ מָה הֶחֱלַפְתִּי וְכָל שֶׁכֵּן בְּדִבְרֵי הַנְּבוּאוֹת וְהִנֵּה לְשׁוֹן הַמָּסֹרָה ה׳ מִלִּין עִטּוּר סוֹפְרִים כו׳ וְכֵן י״ח מִלִּין תִּקּוּן סוֹפְרִים אִם הָיָה דַעְתָּם לְשַׁנּוֹת לֹא הָיוּ מְגַלִּים מַה שֶּׁשִּׁנּוּ לוֹמַר י״ח מִלִּין תִּקּוּן כִּדְגַרְסִינַן בַּמְּכִילְתָּא *An aſcendet in cor hominis, hoc eſt, An nobis imaginari poſſumus, reperiri poſſe hominem adeò audacem & vacordem, ut ſi velit aliquid immutare, dicturus ſit; Videte quid mutaverim, præſertim in libris Propheticis? Atqui Maſora diſertè ſcribit;* Quinq; voces ſunt *Ablatio ſcribarum: Item;* Octodecim voces ſunt *Correctio ſcribarum; Quod ſi in his propoſitum ipſis fuiſſet aliquid mutare, non certè pateſeciſſent id quod mutarunt, nec dixiſſent;* Octodecim voces ſunt Correctio ſcribarum, *ſicut legimus in libro Mechilta, &c.* Inter nos Chriſtianos verò inpoſterum artis erit, prout cuique melius videbitur, & prout facultate ςοχαςικῇ præ aliis pollebit, Sacrum Textum Hebræum corrigere, & immutare; quinimò laudi & honori authorum cedet, famæq; ſeu acquirendæ, ſeu propagandæ medium erit, juxta hanc artem Criticas Sacras conſcribere, & infinitis locis verum ac genuinum ſenſum reddere ac reſtituere!

Concludo hoc caput, & ſic primam hujus Operis partem, Verbis Viri doctiſſimi, & longiore vitâ, ſi Deo ſic viſum fuiſſet, digniſſimi, Simeonis de Muis, Sacrarum Hebraicarumque literarum apud Pariſienſes Profeſſoris Regii, qui in parte primâ Aſſertionis Veritatis Hebraicæ, quam Novæ ſuæ Pſalterii Verſioni, Apologiæ loco, præfixit, contra injuſtas ac moroſas quorundam criminationes ſeu accuſationes, ſic inter cætera ſcripſit: *Melius* inquiunt, *operam tuam collocaſſes, ſi Hebræo codici repurgando, & ad*

Veterem

Veterem Verſionem conformando ſtuduiſſes! Ridiculum (reſpondet) *id optare, quod fieri nec debet nec poteſt. An æquum eſt exemplar ex verſione, an verſionem ex fide exemplaris caſtigare? At pollicentur ſe facturos. Faciant. Nunquam illis invidebo hanc gloriam: quin juvabo, ſi potero. Faciant* ב *ex* כ : כ *ex* ב : נ *ex* ג , ג *ex* נ : ד *ex* ר , ר *ex* ד : ה *ex* ח *aut* ת , *aut etiam utramque hanc ex* ה . *Sufficiant* ו *pro* ז , ז *pro* ו , י *pro* ו , ו *pro* י , *& ſi quæ ſunt aliæ ſimiles literæ. Mutent quadrata rotundis, pro* ם *reponant* ס , ל *pro* ר *ſubſtituant, quòd illa aliquo caſu fortaſſe capite truncata fuerit: rurſum, ſi libitum fuerit, amputent caput literæ* ל , *ut fiat* ר . *Liceat quicquid libuerit. Puncta pro ſuo arbitratu commutent, literas tranſmutent, addant, ſubtrahant, omnia ſusq; deq; vertant. Vocabulum in duo, tria, aut plura etiam ſecent; & rurſum, ſi commodum videbitur, duo aut tria vocabula in unum compingant: modò ne Calecutica, aut Japonica, pro Hebraicis, & inſulſum aliquod opus pro Divino Davidis poëmate nobis obtrudant, novamq; Hebræam Linguam orbi terrarum, quaſi Minervam Jupiter, è cerebro ſuo parturiant. Sit illis varius, ambiguus, & verſatilis textus Hebraicus, mihi ſemper certus & conſtans erit.*

FINIS PARTIS PRIMÆ.

TRACTA-

TRACTATUS
DE PUNCTORUM
VOCALIUM, ET ACCENTUUM HEBRAICORUM, ORIGINE ET ANTIQUITATE,
Pars Secunda, ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

Caput I.

In quo proponuntur & explicantur ſententiæ, quæ aſſerunt Punctorum & Accentuum Antiquitatem.

POSTEAQUAM ſuperiore libro Argumenta illa excuſſimus, & pro virili quoque noſtra diſcuſſimus, quæ pro Punctorum Novitate in medium proferuntur ab iis, qui ea vel Maſſorethis Tiberienſibus, vel Ben Aſchero & Ben Naphtali adſcribunt; progrediendum nunc quoque nobis eſt ad conſiderandum illorum ſententias, qui pro Punctorum Antiquitate militant.

Tres autem, ut Parte 1. cap. 1. viſum, hîc ferè ſunt Authorum Sententiæ;

PRIMA

Prima eſt Eorum, qui ætatem illorum ad Adamum primum referunt; *ſive* jam Adamus ipſemet ille ſit, qui ſuopte ingenio, non ſolùm Conſonas, ſed & Puncta Vocalia cum Accentibus invenerit & excogitarit; *ſive* Scripturam hanc à Deo ipſe immediatè acceperit. Quodcunque ſtatuatur, non probabile eſſe putant, ut Adamus in Scriptura Vocales, quæ Anima ſunt lectionis, & abſque quibus nulla dictio legi poteſt, omiſerit, easque Lectoribus divinandas reliquerit: Conſuetudinem ſcribendi Hebræa ſine punctis non inde promanaſſe, quòd naturâ ſine punctis lingua Hebræa lecta fuerit & legi debeat; ſed poſt uſum ex ſcriptione punctata acquiſitum, & ex eo demùm, hanc conſuetudinem natam eſſe: Nullo etiam modo veriſimile eſſe, cæteras linguas ferè omnes, ſuas Vocales habuiſſe, Hebręam verò earum matrem & principem, iis caruiſſe; quin potiùs probabile magis eſſe, ut ad Hebrææ Scripturæ imitationem, cæteræ quoque linguæ eas effinxerint, invenerint & excogitârint.

Hanc ſententiam De Punctis, amplexus eſt R. Aſarias in *Meor enájim*, cap.59. poſt refutatam Eliæ ſententiam ſic porrò ſcribens: גם דעות האומרים שהנקודות אל האותיות לשוננו הקדוש שהוא העברי נתחדשו בסיני או בימי עזרא ונקודם לכן לא היו ולא נבראו נראה לקוצר דעתי כי הכל הפך : וזה יתאמת בהיקש החפוש : כי הנה כאשר נחקור על כל יתר הלשונות הנודעות נמצא שיש לאותיותיהן סימני הקולות וההברות אם אותיות ממש כפי הנודע בלשון האיטליקי והרומי והיוני בארצותינו וכן הארמיניקו והפרסיאנו כפי מה שראיתי בספר מבוא הלשונות לאח טיסיאו הנז׳ או נקודות וקוים או ציונים למעלה ולמטה ובאמצע כלשון העברי תחלה והערבי והארמי אחריו אשר נשתבשו הימנו : ובמין השני הזה היה נקל אל העם המלומדים בו להשמיט פעמים רבות את הנקודות והציונים הנז׳ לא שהם כטבעם נהיו בלתם : הלא ראיתי ויראה כל רוצה בספר המבוא הנז׳ שיש לארמי ולערבי נקודות וציונים כפי מה שנהגו בעלי הלשונות ההמה : ומן הדין בהיותן מתדמות בעברי ולקוחות הימנו נמצאנו למדין מהן

עליו שגם הוא היו לו הנקודות מני קדם : ואולם אין לנו לגזור אומר על המסודר ממה שנראהו יוצא מן הסדר ועל העצמי ממה שהוא בקרי : כי איך יתישב בשכל שאדם הראשון אשר המציא את האותיות לחבור המלות הנאותות בלשון הקדש שלא המציא אופנים וסימנים אל הקורא להבדיל ולהכיר בין שלמה לשלמה ושלמה ושלמה וכדומה : הנה כי כן אותיות כל לשון סדרו להן מראשיתן סימני הברותיהן אם באותיות קוליות או בנקודות וקוים וציונים כאמור : אמת כי אחר כן הלשונות אשר סימניהן נקודות וקוים ונקל להם מצד ההרגל וחנכה העניין לקרוא בלי הסימנים ההם ישמיטו אותם לפעמים זולתי במקום הצורך כמו שאנו עושים בקצת דברינו אלה אשר במלות המסופקות בשביל הנקודות לאותיות למען תקראנה ביושר

hoc eſt, *Quin etiam ſententia illorum, qui ajunt, quòd Puncta Vocalia ad Literas linguæ noſtræ ſanctæ Hebraicæ demùm addita & inventa ſint in monte Sinaj, aut temporibus Eſdræ; antea verò nec fuerint, nec extiterint; meo judicio quoq; vanæ ſunt & inanes. Idq; verum eſſe deprehendetur, ſi rectâ ratione in rem inquiſiverimus. Quòd ſi enim ſcrutati fuerimus omnes reliquas linguas nobis notas, inveniemus, illarum Literas habere Notas Vocalium & Sonorum, & quidem* vel *Literas revera, (ut Lingua Italica, Romana, & Græca, in regionibus noſtris; Armeniaca item & Perſiana, prout vidi in libro Introductionis Linguarum Theſei Ambroſii)* vel *Puncta, Lineolas, aut Notas quaſdam Supra, Infra, & In medio (ut primò Lingua Hebræa, & poſt eam Lingua Arabica & Aramæa, quæ ex ejus confuſione ſunt orta). Atque in ſecunda hac ſpecie* (in qua ſc. ejuſmodi puncta, lineolæ, &c. inſerviunt loco Vocalium) *facile fuit populo illi, qui in ea ratione legendi aſſuefacti & exercitati fuerunt, quandoque omittere puncta & notas illas commemoratas,* (ob acquiſitum nempe jam uſum) *non quòd ipſi à natura ſua abſque illis fuerint. Sic vidi, & videre poterit quicunque volet, in citato libro Theſei Ambroſii, quòd in lingua Aramaá & Arabicá ſint puncta & ſigna quædam, quibus utuntur qui lingua illis loquuntur. Hinc itaque, cùm linguæ illæ ſimiles & maximè affines ſint linguæ Hebraicæ, ex eaq; deſumptæ, jure poſſumus concludere & diſcere, quòd etiam linguæ Hebraica antiquitùs Puncta fuerint: Neque concludendum vel argumentandum nobis eſt ab Extraordinario ad Ordinarium, aut ab Accidentario ad Eſſentiale. Quâ enim ratione conveniret cum Intellectu Adami primi, qui Literas ad componendas voces excogitavit in lingua Sancta, ut non ſimul invenerit & excogitarit modos & ſigna, quibus voces ambiguas dignoſcere & diſcernere*

cernere poſſet Lector, veluti שלמה*, an legendum ſit* שלֹמה*, an* שְׁלֹמָה*, an* שִׁלְמָה*, an* שִׁלְמָה*, &c. Sic itaque res habet: Ab initio omnium linguarum literis adjunctæ fuerunt notæ Vocalium, idq; vel per figuras literarum, aut puncta, lineas, & ſimilia ſigna, ut dictum: cùm verò poſtea in illis linguis, quæ Puncta & Lineolas loco Vocalium habuerunt, facilis evaſerit ex uſu, exercitatione, & intellectu rerum, lectio ſine notis illis punctorum; hinc factum eſt, ut poſtea nonnunquam omitterentur, nec niſi in iis locis, ubi neceſſitas requirere videretur, apponerentur: ſicut etiam nos facere ſolemus in ſcriptis noſtris, ut ad voces homonymas puncta nonnunquam adſcribamus, quo rectè legi poſſint.*

Poſtea occurrit uni & alteri Dubitationi, quæ huic ſententiæ videntur intercedere;

Et Primò quidem; *Si Puncta jam ante Legem extiterint, quî factum fuerit, quòd Moſes Legem non punctârit, ut communis fert opinio?* Ad hanc quæſtionem quid reſpondeat, ſuprà viſum par. 1. cap. 4.

Deinde; *Si puncta à tam antiquis ſæculis & temporibus jam fuerint, quî factum, quòd illa tam rarò uſurpata, & oblivione quaſi totali ſepulta fuerint, uſque ad Tiberienſium, aut aliorum circa ea tempora viventium ſæcula, & quæ hæc ſunt ſequuta?*

Ad hanc quæſtionem reſpondet; ויהי בהתמיד ישראל לדבר גם בין ההמון בלשונם הקדוש עד חרבן ראשון כמו שזכרנו בפרק הקודם וכ״ש בעזבם את התורה וקריאתה תכן שנשתכחו נקודותיה עד שבא עזרא ובהשיבו אליהם את התורה כתובה בלשון העברי אשר בגלות בבל הוא והתורה נשתכח מן ההמון כאמור החזיר גם כן נקודותיה : ועכ״ז בהתמידם כל ימי בית שני לדבר עוד בלשון הארמי גם בדברי התורה כמו שהוכחנו היו הנקודות ההם הלוך וחסור ובלתי נודעים כי אם למעטים ובפרט חכמי האמת כמו שזכרנו באופן שאין להתפלא אם על קצת מלות נפל ספק לקצתם כההיא דישמעאל אחי היאך אתה קורא כי טובים דודיך וכו : ור׳ אליעזר בן ערך דאיקר תלמודיה פ׳ חבית מאין חזון הנקודות נפרץ קרא החרש היה לנם : כמו שהיה ג״כ אפשר ליואב בימי בית ראשון הסתפקו פ״ק דבתרא בקריאת תמחה את זכר . עד כי אחרי חתימת הגמרא (כמו שכתב הבחור) חכמי טבריא או זולתם אשר ידעום ראו כי טוב לעשות על אופני הקריאה הנכונה מעין הנדרים שעשו ישיבת בבל בחתימת הגמרא ור הלל ובית דינו בא״י על תקוני המועדים כפי מה שזכרנו בקצת פרקינו אלה , כי מארת ה׳ היתה

נסיח טובה בחמלתו על שאריתנו לתת לנו בתורתו ומצותיו משען ומשענה עד בוא עת דודים שיקים את סכת דוד הנופלת Hoc eſt, *Cùm autem Iſraëlitæ conſuevissent, etiam in vulgo, loqui lingua ſancta, uſque ad Vaſtationem primam, uti præcedenti capite docuimus; maximè autem, quum deſeruiſſent Legem & lectionem ejus; tùm in oblivionem abierunt Puncta ejus, donec veniſſet Eſras, qui cùm Iſraëlitis reſtitueret Legem Linguâ Hebræâ ſcriptam (quia in captivitate Babylonica, & Lingua Hebræa, & Lex, in oblivionem venerant in vulgo), reſtituit & revocavit ſimul Puncta ejus. Attamen cum poſtea, toto tempore Templi ſecundi, ſolerent vulgò loqui linguâ Aramæâ, eaq́; etiam in Lectione Legis uterentur, ſicut oſtendimus, tunc Puncta illa iterum paulatim abibant & deficiebant, ignotaq́; fiebant, exceptis paucis quibuſdam, & in ſpecie Sapientibus Veritatis* (Cabaliſtis). *Ut non mirandum ſit, ſi de quibuſdam vocibus dubitatio aliqua inciderit apud quoſdam, veluti apud R. Iſmaelem de voce* דודיך *Cantic.*1. 2. *utrum legi debeat* דודיך *an* דודיך? (in Avoda ſara fol.29. 2.): *Sic R. Elieſer ben Arach, quòd viſio punctorum non publica eſſet* (i. e ex abſentia punctorum) *legit*, החדש היה לכם (pro החדש הזה לכם Exo. 12. 2.) *ut videre eſt in Talmud Tractatu de Sabbatho cap.*22. *quod incipit* חבית *circa finem*. (NB. in Aſaria mendosè hîc notatum eſt השואל, quod eſt cap.23. Itaque nos pro eo reſtituimus חבית. Eo enim capite legitur iſta hiſtoria) *Sic etiam fieri potuit tempore Templi primi, ut erraret Joab in verbis illis* תמחה את זכר עמלק *uti legere eſt in cap.*1. *Bava bâſra. Et ſic fuit, donec poſt obſignationem Gemaræ*, (abſolutum Talmud) *Sapientes Tiberiadis* (*uti quidem Elias ſcribit*) *aut alii, qui Punctorum notitiam habuerunt, vidiſſent, bonum eſſe & conſultum, ut modis veræ lectionis certæ ſepes conſtituantur, quemadmodum Sapientes Babylonii fecerunt in obſignatione Gemaræ, & R. Hillel ejusq́; domus, in Terra Iſraëlis, circa conſtitutionem ſolennitatum & certorum feſtorum, prout in quibuſdam hujus libri capitibus expoſuimus. Deo enim, pro ſua bonitate & miſericordia erga reſiduos noſtros, placuit nobis dare, in Lege & præceptis ſuis, Scipionem & Baculum, cui inniti poſſimus, donec veniat tempus illud ſuaviſſimum, quo erecturus eſt tabernaculum Davidis collapſum.* Hactenus R. Aſarias.

Hujus itaque Rabbini ſententia huc redit; Puncta literis eſſe coæva, ſed ſucceſſu & progreſſu temporis, cùm homines ex quotidiano loquendi uſu etiam ſine punctis legerent expeditè ſub tem-

plo

plè primo, apud pleroſque de vulgo (non apud omnes) in oblivionem veniſſe; & tunc ab Eſdra in uſum revocata, & reſtituta eſſe: Dehinc, cum ſub Templo ſecundo Linguæ Hebrææ obliviſcerentur, & Aramææ aſſueviſſent, adeò ut & in vulgari uſu, & in Sacris, eâ linguâ uterentur, de novo intercepta quaſi eſſe, & non niſi apud ſingulares quoſdam eorum notitiam manſiſſe, uſq; ad tempus abſolutionis Talmud circiter aut præter propter, quando a Sapientibus Tiberienſibus, aut aliis, fuerint poſtliminiò reſtituta. Ut ſic Adamus Inventor primus. Eſdras & Tiberienſes, vel quicunque illi fuerint, מְתַקְּנִים *Reſtauratores* Punctorum eſſent. Et hac ratione putat conciliari poſſe omnes diſcrepantes de Punctorum Origine ſententias.

Ex *Chriſtianis* etiam non deſunt, qui hanc ſententiam ſunt amplexi, ex quibus nonnullos hic, in gratiam ſtudioſi Lectoris, ad compendifaciendum ei inquirendi laborem, producemus.

Antonius Rodolphus Cevallerius in Rudimentis Linguæ Hebraicæ cap.4. ſic ſcribit: *Quod ſupereſt de Vocalium & Accentuum Antiquitate, eorum ſententiæ ſubſcribo, qui Linguam Hebræam, tanquam omnium aliarum ἀρχετύπων abſolutiſſimum, plane ab initio ſcriptam fuiſſe confirmant: quandoquidem qui contra ſentiunt, non modo authoritatem Sacræ Scripturæ dubiam efficiunt, ſed radicitus (meo quidem judicio) convellunt, quod abſque Vocalibus & Diſtinctionum notis nihil certi firmiq; habeat, &c.*

Petrus Cevallerius ibidem in Annotationibus ſuis prolixiùs de his ſic commentatur: *Moſes linguam Hebræam unicam, cùm in ſcribendo, tùm in loquendo uſitatam fuiſſe confirmat, ex eo quod ab Adamo ipſo, uſque ad Confuſionem linguarum, hominibus & rebus, impoſita Hebræa nomina fuerint. Et Plinius lib.7. nat. hiſt. cap.56. dicens,* Literas Hebræas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe; *ſatis Hebrææ linguæ & ejus Scripturæ antiquitatem probat, quùm Palæſtinam Aſſyriæ partem eſſe velit idem Plinius lib.5. capite 2. Jam quis, qui ſit aliquo judicio præditus, neget, Veteres illos Scriptione ſua vivam vocem, cujus Vocales præcipuam partem conſtituunt, ad plenum repræſentaſſe? Etenim quum Vocales ſolum in ſermone fere audiantur, quomodo ſapientiſſimi literarum artiumq; Inventores, in Scriptura, ſermonis imagine, effingenda, præclaram & ferè unicam ejus partem omiſiſſent, obtuſiorem & obſcuriorem, conſonantes ſcilicet, expreſſiſſent? Quod illis impingere, non minus à fide*

alienum eſt, quam ſi quis peritum pictorem, hominis figuram pingendo imitantem, faciem, & quicquid hominem notum conſpicuumq; reddit, vel inſcitia occultaſſe, vel negligentiâ prætermiſiſſe, affirmet. Nam quùm aliás novum ſcripturæ inventum initio plus ſatis difficile legentibus fuerit, eam difficultatem vocalium defectu auctam fuiſſe, creditu omninò abſurdum videtur. Cæterùm, quum de Punctorum Ordine & Antiquitate diſſerimus, (in quibus & Accentus numeramus) vim illorum a formis & nominibus diſtinguimus. Non enim contendimus, Vocalium & Accentuum figuras & appellationes eaſdem ſemper ab initio extitiſſe, ſicut nec conſonantes ſimiles perpetuò formas, cum iiſdem appellationibus, habuiſſe, temerè affirmaverimus, &c.

Matthias Flacius Illyricus Clav. Script. par. 2. tract. 6. pag. 644. *Mea,* inquit, *eſt ſententia, Vocales, ſeu, ut vocant, Puncta una cum conſonantibus jam olim (fortaſſe adhuc ab ipſomet Adamo) inventa, omnesq; ſacrarum literarum ſcriptores integrè, diluci deq; ſcripſiſſe, non ſolum Conſonantibus, ſed & Vocalibus, eosq;, qui contraria ſentiunt, non ſolum falſa ſentire, ſed & conſcientiis, Eccleſiæq;, quæ tantùm certitudine Verbi Dei ædificatur, pernicioſa. Nam ut τὰ ἱερογλυφικὰ omittam (quæ magis picturæ quædam naturæ rerum, quam literæ ſonum ſignificantes fuerunt) aut Deus ipſemet Adamo, vel alicui alii primorum illorum ſanctorumq; patrum, literas coram, ut vehementer credibile eſt, tradidit, aut aliquem præſtantem Virum ad tale inventum ſuo ſpiritu excitavit, ac produxit. Si ipſemet Deus coram id munus hominibus largitus eſt, quid tandem veriſimilius eſt, quàm integrum id abſolutumq;, ut omnia ejus opera ſunt, dediſſe. Quod ſi quiſpiam homo tanti inventi author extitit, ſive Adam ille fuerit, aut alius aliquis, ingenio, longoq; rerum uſu cæteros mortales præcellens; ſi, inquam, quiſpiam talis videns magnam eſſe imbecillitatem, nec poſſe omnia memoria teneri, quæ tamen vitæ utilia neceſſariaq; eſſe videbantur, ſive ea in religione, ſive in artibus, ſive in quotidianis negotiis ſita eſſent, propterea omni ſtudio cogitationeq; in eam curam incubuerit, quò, quæ præclara [illegible], ſuis chariſſimis liberis auditoribusq; traderet, ita notare poſſet, [illegible] non facilè abolerentur, ſic procul dubio in ſua illa inveſtigatione pr[illegible]us eſt, &c.*

Marcus Marinus in Præfatione Lexici ſui Hebraici. *Literas Hebraicas, Conſonantes & Puncta vocalia, ſimul inventa, & hominibus tradita eſſe, ſive a Deo, ſive a quovis alio, crederem; nam ſecus hæc lingua omnium aliarum eſſet imperfectiſſima, cùm nihilominus abſolutiſſimam*

nam eſſe conſtet. An putas tandem eſſe veriſimile, ſonum vocalium ſentiri quidem, ſed non deſignari poſſe quemadmodum conſonantium ſonus, cui etiam figura data eſt. Nulla igitur certa doctrina poterit tradi de hac lingua, cùm omnia poſſint diverſimode legi, ut futura ſit major confuſio unica hujus linguæ, quam illa Babylonis, de qua Scripturæ meminerunt.

Non etiam ineptum eſt, quod in eandem ſententiam legitur in Margarita Philoſophica, in Inſtitutione Hebraica. *De eſſentialioribus Hebraicæ Scripturæ characteribus mentionem fecimus. Nunc etiam de minus principalibus, minusq; neceſſariis diſſeremus. Solum namq; in Sacris codicibus de Canone Sacræ Bibliæ, penes eos exiſtentibus, talium punctorum uſum habent. Alios autem eorum libros non punctuatos, nonniſi conquiſita ex ſacris voluminibus legendi conſuetudine legere poſſunt. Unde unum eſt ſingulare, ſummaq; Dei providentiâ conſtitutum, ut linguæ illius quiſquis externus adipiſci peritiam voluerit, ex ſolis Legis ſacris codicibus conquirere poſſit, cùm ibi tantummodò puncta, quibus diſtinctè legitur, inveniantur. Quanquam autem non ab initio Legis puncta fuiſſe dicant, ſed à præſtantiſſimo Legis Doctore Eſrâ ſuperaddita perhibeantur, poſt Babylonicam Judæorum captivitatem, id ipſum tamen intelligerem non de omnibus punctis, quibus modò utuntur, ſiquidem aliquos ſemper extitiſſe credo. E' medio namq; ſublatis omnibus Punctis, relinqueretur ſane æquivocatio tanta, taliſq; in legendo confuſio, ut non foret cuiquam legenti ſatis integrum, cui ſe tutò ſententiæ committeret. Permulta namque cernitur in ſolis literis, & magna æquivocatio, ſed his adhibitis debitis Punctorum apicibus, admodum rara deprehenditur.*

Guilelmus Poſtellus in libro de Originibus cap.6. vult, Adamum Literas, Puncta, & Accentus à Deo accepiſſe. *Sicuti ſumma demonſtratio mundi ex Puncto, Linea, & prima Regulari Superficie conſtat, nempe ex Triangulo, ita ut ſit impoſſibile, ullam magnitudinem, cujus numerum, harmoniam, & menſuram, cœleſtémve naturam ſcruteris, conſtituere, niſi præceſſerint Punctus, Linea, Superficieſq; prima, per quam irregularia omnia metimur: ſic eſt omnino impoſſibile, ut auditu quicquam notionis rerum concipias, niſi Vox,* (id eſt, Vocalis) *Accentus, & Conſonans aliqua prolatio innoteſcat.* Vox *(Vocalis) eſt inſtar puncti, ſine quo nil ſit.* Accentus *eſt vocalium intenſio, remiſſioq;, & diverſitas, uti Lineæ ex Punctis productio.* Conſonans *eſt tamquam Superficies, jam ex Puncto, Lineâ, & Superficie utrinque procedente deducta. Hinc*

in

in quarto loco Vocabulum, *ſicut in quarto loco Corpus. Quum Ille Ipſe Idem Deus per ſuum Spiritum doceat omnia eodem modo, quum auditor eodem modo poteſt concipere, neceſſe eſt omnino, ut tales Adamo dederit characteres, eo quod eſſet omnium hominum per Divinam infuſionem doctiſſimus & capaciſſimus, ut qui Nomina ſecundum rectam rationem ſolus acceperit, & verbis ſcriptisq; ex mente ſervârit, opus eſt ut literas hujuſmodi acceperit, quæ demonſtrationis Mathematicæ monſtrarent originem. Omnes itaque* Vocales *linguæ ſanctæ Puncta ſunt. Unde male fit Kametz & Pathach, quum in hoc ſint tria linearia puncta, in illo autem eadem, cum uno, ponderis causâ, ſuppoſito adſint; Sic, ‗ Pathach · Kametz, quod conſtat ex nomine Sagol pathach parvi, & Tzere Kametz parvi, ubi puncta, ſicut decet, ſunt ſeparata.* Accentus, *in his ſignis corruptiſſimi, conſtant Lineis & Punctis. Decima & prima litera* Jod, *ex qua cætera naſcuntur, conſtat tribus lineis, duabus in ſuo circulo manentibus, una recta ad nos protensâ. Inde omnium literarum corpus, dictio, oratio.* Similia quædam habet in Tabula omnium linguarum. Et in libro de Hetruriæ origine pag. 113. *Quùm autem in Tabulis Originum Linguarum jam tradiderimus inter alias Originem illius Linguæ* (i.e. Scripturæ) *Sanctæ, quæ Vocales, Punctulis; Accentus, Lineolis; Lineas, primâ Superficie, inſtar mathematum componit ex Triangulo, quæ eſt prima mundi ſuperficies, & in quam omnes figuræ reſolvuntur, quæ eâ de re* Sancta *merito vocatur, & hactenus Sacras Veteris Teſtamenti leges divinitùs ſcriptas continet, abundè tradiderimus; & quænam ab ea ſint deductæ, oſtenderimus, tàm in libro Originum, quàm in Tabulis linguarum, eò remittemus Lectorem. Satis enim hîc fuerit, noſſe, illam fuiſſe cælitùs datam Adamo & Moſi, Iſraël usq;, ſed pro myſterio, donec ex myſticâ publicam fecit Eſras ſcriba Judæorum, &c.*

Secunda ſententia eſt eorum, qui ſcribunt, Puncta & Accentus Legis eſſe הֲלָכָה לְמשֶׁה מִסִּינַי *Traditionem Moſis è monte Sinaj*, h. e. Moſen unà cum ipſa Lege primum accepiſſe & edoctum eſſe à Deo rationem Punctorum & Accentuum in monte Sinaj. Hi tamen etiam diverſimodè ſe explicant.

Quidam enim volunt ſimpliciter, Moſen à Deo Figuras Punctorum non ſolùm accepiſſe, ſed & ſcribendo expreſsiſſe, easque Filiis Iſrael tradidiſſe, poteſtatemque & uſum illorum explicaſſe

exemplari

exemplari etiam conſcripto his Punctorum & accentuum figuris: aliis tamen etiam, ſine his notis deſcriptis.

Alii putant, Moſen oretenus tantùm, ceu Legis oralis ſpeciem, à Deo figuras has edoctum eſſe, juxta quas inpoſterum legi deberet contextus Sacer: Moſenque cum reliquâ orali Lege, hanc quoq; partem Joſuæ, hic ſuo ſucceſſori, & ſic conſequenter juxta cohærentiam Catenæ cabaliſticæ, quemque ſuo ſuccedaneo tradidiſſe, uſque ad Eſdram, qui primus figuras illas ſcribendo expreſſerit, easque uſurpandas, ne vera Legis ſcribendæ & legendæ ratio periret, Iſraëlitis permiſerit & præceperit.

Hujus ſententiæ volunt Hebræi fuiſſe Talmudicos: hanc etiam amplexi ſunt author libri Zohar, Coſri, Semadar, Tzach ſefarájim, Arugas habbóſem, Schalſcheleth, Bechaj, Kimchi, Moſes hannakdan, & alii. Quorum teſtimonia vide ſup. par. 1. cap. 3. & 4. & alibi.

Tertia de Punctorum Vocalium Origine ſententia eſt, quòd Eſdras ſcriba & propheta primus eorum author ſit & inventor, unà cum ſuis collegis, Viris Synagogę magnæ. Et hanc ſententiam multi Hebręorum quoque, imò major pars, amplectuntur.

Quid Eſdram ad hoc inventum permoverit? explicat Ephodeus cap. 5. libri ſui circa finem his verbis: והמניח והממציא לאלה הטעמים לפי דעת חז"ל הוא. עזרא הסופר וסמכו זה לאמרו ושום שכל אמרו ושום שכל אלו הטעמים: ודרש נאה הוא והדבור מסכים. לגדר הטעמים כי יתנו שכל באמת בכתוב: ואני אומר על צד המחשבה הנוגרת כי הוא הממציא גם כן לרשמי הנקוד ואסמוך זה לאמרו ויבינו במקרא כי באמצעות הנקוד תשלם הקריאה ותובן: אמנם אומר זה לפי שאחשוב שבהנחה הראשונה ללשון היו אותיות אוי לבד עומדות מעמד הנקוד היום והיתה האלף מקום הפתח: והואו מקום החולם והשורק: והיוד מקום החירק והצירי: והראיה על זה נתינת התורה האלהית בלא נקוד עד שספר תורה המנוקד פסול: יראה מזה כי בעקר ובשורש הלשון לא היה שם נקוד: אבל לפי שראו האחרונים כי בקריאה בלא נקוד מן הקושי מה שלא יעלם לפי שלא היו שם כי אם ג' רשמים לחמש תנועות וגם כי האלף מהג' אותיות

משותפת לכל חמש תנועות בקצת מקומות מהכתוב והואו והיוד ליותר מאחת כמו שכתב הא״ע ז״ל בפרשת ואלה שמות על כן להקל הקריאה בחרו הנקוד ולא מפני זה נפסדה צורת המכתב הקדום אבל כבר נשארה הואו תמיד ועל הרוב עם נקוד החולם והשורק, והאלף עם הקמץ והפתח · והיוד עם החירק והצרי כמו שהיתה הענין ראשונה h.e. *Author & Inventor horum Accentuum, juxta ſententiam Sapientum noſtrorum, eſt Eſdras b. m. Fundant eam in eo quod dicitur*; וישום שכל Et appoſuerunt intellectum, Nehemiæ capite 8. verſu 8. *Dicunt enim*; His verbis intelligi Accentus. *Expoſitio ſanè elegans, & ſermo cum definitione Accentuum optimè conveniens! Accentus enim Scripturæ revera dant* intellectum. *Et dico ego, ſecundum communiorem opinionem; quòd idem quoque author ſit Notarum Punctationis, idq́ue deſumo ex eo, quod ibidem dicitur*; Et intellexerunt vel intelligere fecerunt Scripturam. *Nam ſubſidio Punctationis Lectio perficitur* & intelligitur. *Dico autem hoc, quia exiſtimo, in prima θέσει & conſtitutione linguæ, tres iſtas literas,* א, ו, י *ſubiiſſe locum punctorum quæ hodiè habentur; & Aleph quidem loco Pathach; Vav loco Cholem & Schureck: Jod loco Chirek & Tzere. Probatio hujus rei eſt, quòd Lex ſine punctis data fuerit, unde & Liber Legis punctatus eſt profanus. Hinc enim videtur, quòd in ipſa fundatione & conſtitutione Linguæ nulla Puncta fuerint. Quia verò poſteriores* (Eſras & concilium ejus) *viderunt, quòd in Lectione ſine punctis manifeſta ſit difficultas, quia tunc non niſi tres fuerunt notæ quinque motionum ſeu vocalium, & quòd Aleph ſit commune omnibus quinque, in quibuſdam Scripturæ locis; Vav & Jod etiam plurium, quàm unius, notæ, ſicut Aben Eſra ſcripſit in prima ſectione libri Exodi; ideóq́ue ad facilitatem lectioni conciliandam elegerunt Punctationem; neque tamen ſic abolita & abrogata fuit Scriptura antiqua: ſed remanſit Vav utplurimum cum puncto Cholem & Schurek, Aleph cum Kametz & Pathach, Jod cum Chirek & Tzere, prout ſc. ab initio fuerat.*

Et cap. 7. iterum ſic de eadem re ſcribit idem: וכאשר ראה עזרא הסופר התרשלות האנשים ועצלותם מהעיון בספרי הקדש וחשב כי אולי היתה סבת העצלה וההתרשלות האלה קושי קריאת הספרים התחכם להמציא הנקוד כדי שתהיה בהם קריאת הספרים קלה לכל אדם : והמציא עוד הטעמים שיתנו עריבות לקריאה עד שיתן חשק בלב האנשים למקרא לעריבות השיר אשר יתנוהו הטעמים ·

הטעמים וכו׳ : הנה זה מה שהתחכם בו עזרא להשאיר הספרים ההם לעד בתכלית הדקדוק והשלמות ולהביא תשוקה בלב האנשים להתמיד העיון בם ולתתם שלמים בהישרת הספרים ההם המאירים מחשכי עולם אל זה : אבל כל זה לא שנה למיעוט השמע האנשים לאמת בשיקראם לא סרו אחריו מהתרשל מהעיון בספרי הקדש וכו׳ h. e. *Quum vidiſſet Eſras ſcriba ignaviam & pigritiam hominum circa ſtudium librorum Sacrorum, & cogitaſſet, hanc fortaſſis eſſe cauſam deſidiæ & ignaviæ ipſorum, Difficultatem legendi libros illos; prudentiſſimo conſilio invenit Punctationem, ut Punctorum ope cuivis facilis eſſet Lectio: eodem conſilio invenit quoque Accentus, qui ſuavitatem adderent Lectioni, ut hac ratione voluptatem inderet cordibus hominum ad Lectionem ſacram, ex ſuavitate melodiæ, quam Accentus pariunt, &c. En, hoc eſt quod prudens ille Eſras invenit, ut libri iſti in æternum permanerent in ſumma accuratione & perfectione, & deſiderium afferretur hominibus continuandi ſtudium in illis, perfectiq; illi fierent per directionem librorum illorum, qui illuſtrant tenebras mundi. Hæc tamen omnia non potuerunt mutare aut imminuere negligentiam hominum, ut aures præberent veritati, ipſos ad ſe invitanti, atque ab immani hac deſidia & pigritia, circa librorum ſacrorum lectionem, deſiſterent, &c.*

Sic ſcribit Iſaac Abarbenel in præfatione in librum ſuum Náchalat ávoth: משה מסר לישראל המלא והחסר אותיות קטנות וגדולות פרשיות פתוחות וסתומות ועזרא גם כן למד לישראל הנקודות והטעמים וכופי הפסוקים שבזה הישירם והצילם מכל שבוש ומעוות *Quemadmodum Moſes Iſraëlitis tradidit voces plenas & defectivas, literas majuſculas & minuſculas, ſectiones apertas & clauſas: ſic Eſdras docuit Iſraëlem Puncta, & Accentus, & Fines* (i. e. notas diſtinctionis) *verſuum, ſicq; eos direxit, & ab omni confuſione & errore liberavit.*

Huc pertinent etiam illa Hebræorum teſtimonia, in quibus Viris Synagogæ magnæ ſolis, & Linguæ Hebrææ, & Librorum Sacrorum conſervationem, unicè adſcribunt; & poſt ipſos, ab aliis ſimile quid præſtitum eſſe negant. Quò ſpectat id quod R. Jacob ben Chajim Tunetanus Afer, in principio Præfationis ſuæ Bibliis majoribus præfixæ ſcribit: ואנשי הכנסיה הגדולה אשר היה בתוכם אור הבזק · הנמרץ החזק · הזהב המזוקק · אשר בלבו כל חק מחקק · הציבו ציונים ובנו לה חיל וחומה ומקוה בין החומותים · וישימו בריח ודלתים · לבצר מעוזה ולהשאירה ברה וטהורה · ויתנגשו כולם לערפל שביב לקחה · ותימרות רקחה · והתקדשו לחתות אש שיחה · אשר על

מזבחה ׃ למען לא ישולח בה יד ולא ירמסנה כף ישימנה מטרה לכל סכל ׃ וקשרו קשרי רצי זהב מלותיה מטור אמרות יי אמרות טהורות ׃ ותנח עליהם הרוח והמה בכתובים ויתנבאו ולא יספו ׃ ולשמוע נוראות ניבם נדיבי עמים נאספו ׃ ואחריהם נסתם החזון ומוצאו ונסתלק הכבוד ההוא ומוראו ׃ ולא יכף עוד מלאך יי להראה ׃ כי לא קם אחריהם ׃ מי יעשה כמעשיהם ׃ והנה אנחנו אלה פרה היום מלקטים שכחת שבליהם ׃ ומזנבים נחשליהם ׃ ויום ולילה נרוץ במעגליהם ׃ וניגע ולא נגע אליהם ׃ hoc eſt, *Viri Synagogæ magnæ, inter quos fuit Lumen illud fulguris, excellentiſſimum & validiſſimum, ut aurum purgatiſſimum, in cujus corde fuit omne ſtatutum inſculptum* (intelligit Eſram); *illi, inquam, ſtatuerunt ſigna, & exſtruxerunt ei* (Linguæ Hebrææ in Sacris libris comprehenſæ) *antemurale & murum, & lacum inter utrumque murum* (Jeſ.22. 11.): *appoſueruntq; vectem & oſtia* (Jobi 38. 10. Intelligit his Diſtinctiones, Puncta, Accentus, & notas Maſorethicas), *ad muniendum robur ejus, & ad conſervandam eam puram & intemeratam: & acceſſerunt omnes ad caliginem ſcintillæ doctrinæ ejus, & columnas fumi conditura ejus: ſanctificaveruntq; ſe ad capiendum ignem ſermonis ejus, qui eſt ſuper altare ipſius, ne manus in eam immittatur* (ne à quoquam corrumpatur), *neq; conculcet eam pes, aut pro ſcopo ponatur ab ullo ſciolo & δοξοσόφῳ: & vinculis quaſi colligarunt fruſta auri verborum ejus, ſecundum Ordinem Verborum Domini, quæ ſunt verba pura: quievitq; ſuper iis Spiritus, & erant inter ſcriptos, & prophetarunt, & non addiderunt: & ad audiendum formidabilia eloquia ipſorum congregati ſunt principes populorum: Poſt ipſos verò obſignata fuit viſio & egreſſus ejus, ſublataq; eſt gloria illa & reverentia ejus, neque perrexit ulteriùs Angelus Dei apparere: quia non ſurrexit poſt illos, qui faceret ſecundum opera ipſorum. Et nos hodierno die colligimus ſpicas oblivionis illorum, & adhæremus caudæ debilium illorum, dieq; nocteq; currimus in ſemitis illorum, ac defatigamur, nec tamen eos aſſequimur.*

Sic plerorumq; Hebrœorum eſt ſententia, Punctorum Vocalium & Accentuum figuras Eſræ tempore vel natas eſſe, vel renatas; & hunc in finem ab eo vel inventas, vel renovatas, & in uſum revocatas; ut Sacroſanctum Dei Verbum inpoſterum, deficientibus Prophetis, & invaleſcentibus populi Judaici calamitatibus, hoc medio tantò purius & integriùs ab omni corruptione conſervari; à quibuſvis etiam tantò majore cum facilitate & voluptate legi poſſet.

CAP. I.

Caput II.

Quomodo in dijudicanda Punctorum Antiquitate progrediendum, & quibus Argumentorum Claſſibus probari poſſit?

Vidimus, tres præcipuè eſſe ſententias Hebræorum, De Punctorum Antiquitate & Origine. Has inter διάκρισιν accuratam inſtituere, & præciſè hanc vel illam eligere, proque ea pugnare, in tanto Hiſtoriæ Hebraicæ defectu & penuriâ, eſt difficillimum. Hinc etiam ſcribit Pater meus, in Tiberiade ſua cap.11. *An autem ipſimet Viri Synagogæ magnæ, Vocalium & Accentuum notas primò hîc invenerint, aut ab aliis inventas, ſed in uſu neglectas, reſtauraverint & perfecerint, ac Maſoram de iis quoque conſcribi curarint, facilè nec dici, nec probari facilè poteſt.*

Sed nec fortè etiam uſque adeò id eſt neceſſarium. Nam cùm tres veluti gradus in univerſum conſtituant Antiquitatis; *Summum*, qui ad Adamum; *Medium*, qui ad Moſen; *Imum*, qui ad Eſram; Originem & antiquitatem illorum referunt; nobis ſufficiet, ſi vel infimum hunc & ultimum obtinuerimus. Sic enim & recentiſsima illa Novitas Eliana, quamvis ſatis jam fortiter, ut exiſtimamus, profligata, planè proſcribetur: & Antiquitas veneranda ſatis, cum Authoritate ſumma & authentica, à Viris quippe propheticis profecta, eis conciliabitur. Et certè enervatâ, & confutatâ ſententiâ Elianâ, per ſe ſequetur, horum trium principiorum aliquod ſumendum & aſsignandum eſſe; cùm alterius Inventoris mentionem nemo uſpiam faciat.

Argumentorum autem duæ ſunt Claſſes, quibus ad Veritatis inveſtigationem & inventionem pervenire poſſumus, I. Inartificialia, ſeu Authoritates & Teſtimonia: II. Artificialia, ſeu Rationes & Argumenta.

Rr 3

Omnia verò hæc, pro natura hujus, Thematis ita ſunt comparata, ut ex parte directè & diſertè κατὰ θέσιν adſtruant Punctorum, quam quærimus, Antiquitatem: ex parte κατ' ἄρσιν καὶ ἄρνησιν; quatenus Maſorethas Tiberienſes Punctorum authores eſſe negant, & è medio ſubmovent; vel omninò de illis ſilent.

CAPUT III.

De Authoritatibus & Teſtimoniis, quibus Punctorum antiquitas probatur; Univerſali videlicet Judæorum conſenſu; unico Eliâ excepto.

PRincipio itaq; dicimus & aſſerimus, pro Punctorum Antiquitate ſtare *Univerſalem Hebræorum omnium conſenſum*; Hunc *primò* docebimus & oſtendemus: *deinde* etiam, Quomodo iſte Univerſalis Conſenſus conſiderandus, quantique ponderis & momenti ſit, ac eſſe debeat, exponemus.

Et *Primum* quidem quod attinet, qui primum hujus noſtræ Diſſertationis librum cum cura legit, facilè jam animadvertere potuit, nos à noſtra parte Conſenſum Hebræorum habere. Illic enim jam præcipua, quibus hunc conſenſum oſtendimus, Teſtimonia paſsim producta ſunt. Ut verò res ſit perſpicua, & Lectorem ſublevemus, in ordinem hîc teſtes redigemus, & loca illa, ubi pleraque teſtimonia illorum ſunt depoſita & conſignata, digito monſtrabimus.

In Tres כתות ſive Claſſes ſolent Hebræi ſuos Doctores vulgò dividere, quam diviſionem & nos nunc ſequemur; Talmudiſtarum, Cabaliſtarum, & Philoſophorum, ſub quibus & Grammatici, Criticique comprehenduntur.

Hæ

Hæ Tres Claſſes omnes Antiquitati Punctorum Teſtimonium perhibent.

1. *Talmudici:* Horum Teſtimonia producta, audita, ventilata & vindicata ſunt ſup. cap. 6.

2. *Cabaliſtæ:* quorum Teſtimonia ibidem eodem modo, contra ſilentium ipſis à Novatoribus affictum & impactum, eruta & vindicata cap. 5.

3. *Grammatici, Philologi, Critici, & Hiſtorici.* Hos dico omnes, à primo uſque ad ultimum, Antiquitati punctorum favere: & hoc ipſum ex illorum libris, vel diſertis Teſtimoniis, vel per indicia alia & bonas conſequentias, elici & probari poſſe, unico excepto Eliâ. Quos verò ipſe in ſua caſtra pertrahere conatus eſt, illos vim ab ipſo paſſos eſſe, & aliter ſentire; ſuprà cap. 3. ut fusè, ita luculenter & ſolidè, eſt demonſtratum. *Ante Eliam* dico, neminem unquam Hebræorum Grammaticorum de ea ſententia unquam cogitaſſe aut ſomniaſſe. Viguit autem Grammaticum ſtudium 600. circiter annis jam ante Eliam. *Poſt ipſum* neminem ego Hebræorum vidi vel audivi, qui calculum ſuum ipſius ſententiæ adjecerit. Scripſerunt autem quidam etiam doctiſsimi viri poſt ipſum Grammaticalia opuſcula, & alia Critica ac Philologica ſcripta: Teſtium horum verba vide paſsim in ſuperiore parte producta; ut & cap. 1. hujus ſecundæ partis.

Peto igitur ab Eliæ aſſeclis vel unicum, Eliâ antiquiorem, qui illam ſententiam, non dico aſſertivè profeſſus ſit & defenderit, ſed dubitativè ſaltem propoſuerit, & in quæſtionem vocaverit.

Peto etiam vel unicum, qui poſtquam Elias hanc quæſtionem movit, & pro Tiberienſibus decidit, illius rationibus acquieverit ac ſubſcripſerit.

Itaque hoc unicum reſtat diſpiciendum, Cujus ponderis & momenti ſit hic Judæorum hac de re conſenſus? &, Num Unius Eliæ teſtimonium cæteris omnibus præponderare poſsit ac debeat?

CAPUT

Caput IV.

In quo exponitur, Cujus ponderis & momenti ſit hic Judæorum univerſalis circa hanc quæſtionem conſenſus? & An unius Eliæ authoritas illis omnibus præponderare poſſit ac debeat?

ARcani Punctationis Revelator, poſtquam lib.1. cap.2. ſuam ſententiam à Judæorum teſtimoniis, Aben Eſræ putà, Coſræi, Kimchii, & libri Tzach ſephatajim, probaſſe ſibi viſus fuit, ſeq. cap.3. exponit Teſtimoniorum illorum Vim ac pondus, ut quod non contemnendum, nec in hac cauſa ſuo pondere carere, videatur.

Pariter ergo & nos, veſtigiis ejus inſiſtentes, videamus; *Cujus ponderis ac momenti hic Judæorum veterum & recentium non aſſenſus, ſed conſenſus, in hac cauſſa eſſe debeat?*

Quadrupliciter id deprehendi omninò & demonſtrari poſſe videtur; ſi nempe conſideremus Teſtium horum, 1. *Quantitatem*, 2. *Qualitatem*, 3. *Aetates ſeu Tempora*, & 4. *Teſtimonii Formam.*

I. *Quantitatem* illorum quod attinet, nequaquam leve pondus huic Argumento addere cuivis cordato meritò videbitur, quòd *omnes omnium Terrarum & Nationum* Judæi hîc ab Elia diſſentiant, & Antiquitati punctorum faveant; Germani, Galli, Poloni, Bohemi, Hiſpani, Itali, Cretenſes, Arabes, Palæſtini, Babylonii, Africani, &c. & quidem non ſolùm hodierni & recentiores (ut Revelator hunc Conſenſum interpretatur lib.2. cap.2. ab initio) ſed cùmprimis etiam Veteres; nullus verò omninò veterum ſit, qui vel minimo indicio, nedum verbo, hujus novæ ſententiæ

Elianæ

Elianæ ac Cappellianæ meminerit. Nam ſi quis eſſet, procul dubio id Elias non reticuiſſet, non etiam, quâ erat in iſtis inquirendis curioſitate, ignoraſſet: Aut, ſi quis jam poſt Eliam eſt, qui id facere poſsit, prodeat, & illos prodat. Quos ille produxit, quàm impertinenter & præter illorum mentem ac voluntatem id ab ipſo factum ſit, luculenter id à nobis eſt oſtenſum.

Jam verò quæ per communem ſententiam, & notoriam famam, ab omnibus promiſcuè comprobantur, meritò anteferuntur iis, quæ ab uno atque altero privato proferuntur; ſiquidem nec principiis Divinis, nec demonſtrationibus artium, nec expreſſæ veritati adverſentur. At quid quæſo in hac communi & recepta Hebræorum eſt ſententia, quod vel principia Divina evertat, vel in Demonſtrationes artis incurrat, vel expreſſæ & manifeſtæ veritati repugnet? Joſephus contra Appionem lib. 1. ſcribit; *Eſt veræ hiſtoriæ indicium, ſi de iiſdem eadem omnes & dicant & ſcribant.* Id cùm hîc fiat, quis mentis rectæ & erectæ de hujus hiſtoricæ ſententiæ veritate dubitaverit?

Excipitur hîc; 1. *Non planè eandem eſſe omnium ſententiam; Quoſdam enim ad ipſum Scripturæ authorem Adamum, alios ad Moſen, plures ad Eſram, inventi hujus Originem referre.*

℟. Diſſenſum hunc equidem inter illos deprehendi; in hoc tamen, quod ad Eliæ ſententiam evertendam, & contrariam ſtabiliendam, ſufficit, conveniunt omnes; *quòd Eſræ tempore Puncta jam fuerint, & Eſdras jam in Biblicis libris punctandis occupatus fuerit.* Illum enim, *Eſdram* dico, *Punctorum faciunt vel Inventorem vel Inſtauratorem*, ut cap. primo viſum. Si hoc obtineamus, jam nihil amplius volumus, vel quærimus. Monſtretur mihi vel unus, qui diſertè & manifeſtè contra hoc principium eat.

Excipit 2. Revelator; *Teſtimonia hac eſſe domeſtica, in propria cauſa à Judæis prolata, ac proinde nullius ponderis ac momenti; quia ad gloriam gentis Judaicæ faciant, cujus ſint ſitientiſsimi Judæi.*

℟. 1. Hoc axioma valet inprimis tantùm de cauſis privatis: Cauſa publica non eſt propriè hujus vel illius, ſed eſt omnium. Et teſtimonium privatorum, ſigillatim de cauſa publica dicentium aut ſcribentium, non eſt teſtimonium in propria cauſa, ſed in cauſa communi: nec eſt Teſtimonium publicum, quod ad publicam cauſam requireretur, ſed privatum.

2. Suſpecta poſſunt eſſe teſtimonia ejuſmodi, cùm proferuntur in cauſâ aliquâ controversâ, idque, vel in proprium commodum, vel in alterius præjudicium. Probetur autem mihi, ante Eliam inter Judæos unquam hac de re diſceptatum fuiſſe, Judæorum veterum ullum, Eſram à Punctationis negotio excluſiſſe. Probetur, ante Eliam, contradictionem aliquam hîc inter Judæos fuiſſe. Aben Eſra in libro צחות fecit mentionem Controverſiæ de Literarum Antiquitate; ſed controverſiæ de Punctis ne verbulo quidem meminit, quod dubio procul feciſſet, ſi aliquid hac de re ipſi conſtitiſſet, maximè cùm ſæpiſsimè pulcherrimam occaſionem habuiſſet.

3. Si Canon iſte abſolutè verus eſſet, & ratio adducta valeret; tunc nulli Scriptori, res patrias deſcribenti, & ad poſteritatem tranſmittenti, fides habenda eſſet, vel ſaltem omnium hujuſmodi ſcriptorum narrationes, ad gentis ſuæ gloriam facientes, à quovis hoc prætextu in dubium vocari, & mendacii coargui poſſent. Hoc verò quàm ſit abſurdum, quis non videt? Planè contrarium ſolet fieri. De rebus Romanis, & ad gloriam regni Romani facientibus, quibus major habetur fides, quàm Scriptoribus Romanis? De Græcorum rebus conſulimus Græcos: de aliis alios. Si his, de rebus ſuis ſcribentibus, credimus; quare non itidem Hebræis? Si Scriptoris alicujus Teſtimonium, ad gloriam gentis ſuæ quoquò modo faciens, eſt ſuſpectum, quæro cujus fidei eſſet exotici Scriptoris teſtimonium in præjudicium & contemptum illius gentis faciens? Si illic affectus amoris fidem deroget, annon hîc invidia erit ſuſpecta? Longè aliter ſenſit olim Euſebius de Præparat. Evangelica lib. 9. cap. 3. ita ſcribens: *Quemadmodum ab Aegyptiis res Aegyptiorum; Phœniciorum à Phœnicibus, Græcorum à viris illuſtribus Græciæ, Philoſophorum à Philoſophis, Medicas à Medicina peritis diſcere convenit: ita ex conſequenti etiam ſtatuo, res Hebræorum patrias non aliunde, quàm ex Hebræorum dictis ſcriptisq́, eſſe repetendas.* Et Joſeph. contra Apionem lib. 1. *Mirari*, inquit, *ſatis nequeo eos, qui de rebus antiquiſsimis ſolis Græcis fidem adhibendam, & ab iis veritatem cognoſcendam eſſe exiſtimant: nobis verò* (Hebreis nempe) *& cæteris hominibus non credendum, &c.* Item: *Quod ad dicendi peritiam atq; vim attinet, cedamus oportet Græcis ſcriptoribus: at in vera priſcarum rerum hiſtoria non item, præſertim quæ ſunt apud quoſq; patria.* Itaq; non valet in his iſte Canon.

4. Nego

4. Nego ſimpliciter, hoc facere ad gloriam gentis ipſorum: Facit ad authoritatem verbi Dei tuendam & aſſerendam, facit ad Dei gloriam, facit id etiam ad noſtram, Chriſtianorum inquam, gloriam, & ſolatium. An Judæorum tantùm eſt Dei verbum? annon etiam noſtrum? Et annon ad gloriam gentis Judaicæ facit ſententia etiam Eliæ, aſſerentis, Veram legendi rationem, ad extremum uſq; apiculum, per Traditionem oralem conſervatam fuiſſe, per tot exilia, diſperſiones & diſsipationes Judæorum, uſque ad 500. vel 600. Chriſti annum; & tum temporis adhuc tam inſignes atque eximios fuiſſe Viros, qui eam lectionẽ accuratiſsimè, & ad minimum accentum intemeratè, inventis ad eam rem ſagacitate ſuâ certis figuris, expreſſerint & repræſentarint? Annon hoc quoque eſt materia gloriationis Judæis, quòd quinque aut ſex demum ſæculis, poſt ipſorum abjectionem ac diſperſionem univerſalem per totum orbem, ex Schola Tiberienſi adhuc quidam prodierint, qui veram S. Scripturæ lectionem invento tam divino conſervarint, & non ſolùm Judæis, ſed & Chriſtianis, omnibusque gentibus, fide ſummâ, & diligentiâ ſtupendâ, communicarint?

Excipit 3. *Quoſdam horum teſtium contrariæ, Elianæ videlicet ſententiæ, favere!*

℞. Ego verò hoc nego conſtantiſsimè, & dico, qui hoc aſſerunt, illos fucum facere imperitioribus, ut ſuprà lib. I. ſatis viſum; Si non, peto unicum ſaltem produci, qui Elianæ ſententiæ diſertè adſtipuletur. Plures non exigam, ne moleſtus aut iniquus flagitator videar. Culpat Revelator in me alicubi in Diatriba ſua de Literis, quòd aliquid aſſeram, non quidem ſine omni, *ſed ſine authentico ullo antiquitatis teſtimonio.* Ego nolo ita rigidè cum ipſo agere. Proferat ille ſuæ ſententæ ex Hebræis, non *authenticum*, ſed quemvis etiam *de trivio, & ſubleſtiſsimæ fidei* teſtem, ſeu antiquum, ſeu novum, ſi poteſt. Quamvis itaque non ignorem, *Multitudinem errantium non parere errori patrocinium*; attamen quia error hactenus nullus liquidò nobis eſt hîc demonſtratus, manet, Univerſalem hunc Judæorum conſenſum jure maximi eſſe ponderis ac momenti: &, *quod major pars definit, meritò prævalebit.*

Excipit. 4. *Omnia Rabbinorum teſtimonia, quæ proferuntur ante Eliæ ætatem, eſſe recentiſſima, ac proinde magni nec ponderis, nec momenti.*

℞. Ego & hoc conſtanter nego. An teſtimonia Talmudicorum & Cabaliſtarum omnia ſunt adeò recentia? annon ſatis antiqua, & Maſorethis Elianis, nedum Punctatoribus Capellianis, longè ſuperiora?

Et ut de his taceam, nego, etiam Grammaticorum Teſtimonia producta eſſe recentiſsima, & ajo, inter illa eſſe nonnulla antiquiſsima, ac Maſoretharum ſæculo proxima, quemadmodum patebit, ubi tertium horum teſtium pondus, illorum ſc. Aetates, excutiemus. Adde quòd non veriſimile ſit, illos ex ſe excogitaſſe ea quæ ſcripſerunt, ſed ita à majoribus accepiſſe. Quod inde arguitur, quia nulla hîc deprehenſa eſt inter illos diſceptatio aut diſputatio ante Eliam.

Præterea, ſi illa ſunt rejicienda, quòd recentia, quanto magis à nobis rejiciendum Eliæ teſtimonium, quod multò eſt recentius?

Excipit 5. *At Eliam nil niſi vis veritatis adegit, ad diſſentiendum à contribulibus ſuis; Ideoq; teſtimonium ejus meritò omnibus aliis præfertur.*

℞. Imò Ignorantia, imprudentia & oſcitantia eum decepit: quòd non rectè intellexerit, nec ſatis expenderit Authores illos, quos pro ſua ſententia laudavit, & ex quibus eam hauſit; inprimis Aben Eſram, ut ſup. par.1. cap.3. à nobis eſt oſtenſum. Itaque nullius ponderis eſſe poteſt illius teſtimonium, donec meliora ejus documenta & fundamenta quis ediderit. Neque ullâ ratione, quia pars eſt, pro teſte admitti poteſt. Et ad eundem ſcopulum impegit Revelator, qui Eliæ hac in parte fidens, & cæcum ductorem ſequens, in eundem errorem incidit.

II. *Qualitas verò Teſtium* noſtrorum, magnum etiam ſecundo loco pondus huic Argumento addit.

Ut jam iterum nil dicam de *Talmudiſtis & Cabaliſtis*, illosve cum Elia comparem: quia illi & propter authoritatem, & propter antiquitatem, Eliæ lumen planè obfuſcant. Illorum namq; teſtimonia ſi proba ſint, uti libro primo demonſtravimus, planè jam non ſubruta, ſed ſubverſa & in nihilum redacta eſt Eliæ de Maſorethis Tiberienſibus ſententia; cùm iſti Maſorethis Tiberienſibus longè ſint antiquiores.

Poſteriores duntaxat, qui poſt Talmudicos venerunt, *Grammaticos* videlicet & *Philologos* conſiderabimus, & cum Grammatico

tico Elia (pares videlicet profeſsione cum paribus) conferemus.

Huc verò ſi deveniamus, bone Deus, quos quantosque Viros habemus hîc à noſtris partibus! Si verum eſt, quod vulgò dicitur, *Credendum eſſe peritis in arte ſua*; ſobriè videlicet, ſeriò, & attentè de ejus operibus teſtantibus, quis fidem tam peritis artificibus abrogabit?

Habemus hîc à noſtris partibus *R. Saadiam*, ob eximiam & præcellentem eruditionem, *Gaonis* Titulum & dignitatem promeritum. Aben Eſra ipſe eum vocat רֹאשׁ הַמְּדַבְּרִים בְּכָל מָקוֹם h. e. *Sine exceptione Principem inter dicendi facultatis peritos.*

Eſt *Author libri Coſri*, ſive is *Sangarus*, ſive *R. Jebuda Hallevi* exiſtat, vir omnium calculo eruditiſsimus, cujus authoritati mirum quantum Judæi tribuant; unde R. Aſarias in Méor enájim de eo ſcribit, quòd אֱלִיבָּא דְּכֹעַ הוּא מִן הַשְּׂרִידִים אֲשֶׁר יִבְחֲנוּ דִבְרֵיהֶם *conſenſu communi & univerſali ſit è pauciſsimis, quorum verba probantur*, h. e. omni exceptione majora habentur.

Sunt hîc Grammatici illi præcellentes *R. Jebuda Chijug*, *R. Jonah*, & alii, qui omnes de punctorum antiquitate vel apertè teſtantur, vel ita de illis ſcribunt, ut facilè ſit colligere, quid de illorum origine ſenſerint.

Eſt ab hac parte *R. Salomon*, conſummatiſsimus ille Theologiæ Judaicæ Doctor, Sacrorum Bibliorum pænè univerſorum gloſſator, nec Grammaticæ artis ignarus, ut Commentarii ejus arguunt.

Eſt *R. Abraham Aben Eſra*, Philoſophus, Aſtronomus, Aſtrologus, & Grammaticus quoque inſignis, quem R. Moſes ben Majemon præ omnibus ſcriptoribus laudavit, & filio ſuo commendavit, in Epiſtolâ ad eum perſcriptâ.

Eſt *R. D. Kimchi*, Grammaticorum princeps, *Ephodeus*, & alii quamplurimi.

Hi omnes ſanè ita ſunt comparati, ut nullus illorum ſit, qui non multis modis Eliam ſuperet, & longè poſt ſe relinquat. Hi enim plerique non ſolùm Grammatici, ſed etiam aliis artibus ac ſcientiis abundantiſsimè instructi fuêre, ut neſciam, quâ ratione Elias, nudus & merus Grammaticus, illis præferri debeat? Minimus horum digitus craſsior eſt lumbis Eliæ; imò unguis digitorum ipſorum præſtantior fuit ipſius ventre; ſi in ſtateram cum

ipſis aſcendat, vanitate, & nihilo ipſo, levior deprehendetur bonus alioqui Elias.

III. *Aetas* & *Chronologia* Teſtium noſtrorum, & ſic Hiſtoria atque temporum ſeries, maximam in hujus argumenti conſideratione vim habet.

Iterum omittemus hîc Talmudicorum & Cabaliſtarum ſæcula, quę Maſorethis Tiberienſibus ſuperiora & antiquiora eſſe, apud Hebræos exagonium eſt. Quia tamen noſter Revelator hanc antiquitatem Cabaliſtis detrahit, quamvis ſine ullo fundamento, nihil hîc iis addemus, quæ lib.1. cap. 5. & 6. hac de re ſunt dicta.

Videbimus tantùm, *Annon veterum Grammaticorum, a noſtris partibus ſtantium, ætas & antiquitas, commentitiam novitatem, quam punctis affingit Revelator, ſatis fortiter enervet. & infringat?*

Sententia Revelatoris de Punctorum Origine eſt; *Prima hujus inventi elementa ac fundamenta jacta eſſe circa vel poſt annum à Chriſto nato quingenteſimum; & poſterioribus ſæculis ſubinde ab aliis atque aliis nova quadam adjecta eſſe, ultimamq; ei tandem manum impoſitam, à celebri Maſoretha Ben Aſcher, qui florebat circa Annum Chriſti milleſimum quadrageſimum, ſuperiorum inventis multa addendo, immutando, emendando, novaq; excogitando, uti ſup. lib.1. cap.15. vidimus.*

Terminus itaque noviſsimus & veriſsimus Inventionis Punctorum ponendus Annus Chriſti milleſimus quadrageſimus præterpropter: & Maſorethæ iſti Punctorum inventores durârunt uſque ad annum Chriſti 1 0 4 0. eoque tempore illorum celeberrimus & conſummatiſsimus, eâ quâ dictum ratione, coronidem nobili huic invento feliciter impoſuit.

Rurſum in Arcano lib.2. cap.2. dum Teſtimoniorum pro Antiquitate punctorum productorum authoritatem elevare ſatagit Revelator, ſcribit; *Si qui producerentur Rabbini, qui Maſoretharum ſæculo proximi eſſent, eorum teſtimonium & authoritas non careret pondere, ſed cùm ſint illa, quæ producuntur à Punctorum Patronis, recentia omnia, ab annis ſc. trecentis vel 400. longè à Maſoretharum ſæculo, non mihi videntur ea magni facienda.*

Itaque videndum nobis, & oſtendendum, non unum ſed plures nos habere tales teſtes, qui *Maſoretharum ſæculo proximi*; ſi non etiam ſuperiores, fuerunt, ac proinde vel ex Antagoniſtæ confeſſione, pondere non carent. Id ſic facio:

Agnoſcit

Agnoſcit Revelator, *partim eodem tempore, partim etiam aliquanto antequam à Ben Aſcher abſoluta & conſummata eſſet punctatio*, Grammaticos nonnullos jam viguiſſe & ſcripſiſſe; Geonæi ſc. circa Annum Chriſti 900.

De iis ergo, *qui ante Ben Aſcherum* ſcripſerunt, h. e. ante abſolutam Punctationem, quæro, qualia Grammatica præcepta ſcripſerint? Potiſsimum certè ipſorum laborem circa puncta fuiſſe occupatum eſt valdè veriſimile; aut ſaltem non planè hac doctrinâ caruit. Si de Punctis egerunt, multa procul dubio tradiderunt, quæ à poſterioribus iterum abroganda & abolenda fuerunt; imò pauca fuiſſe neceſſe eſt, quæ laudem & approbationem meruerint; cùm univerſa punctatio paulò poſt à Ben Aſchero fuerit mutata, emendata, interpolata, & uno verbo, conſummata, ex Revelatoris ſententia. Quî verò hoc cum iis laudibus convenit, quas ſequentes mox Grammatici illis ſcriptoribus tribuerunt? Et cùm iſti poſteriores eorum ſcripta viderint ac habuerint, quî fit, quòd hujus rei nullam faciant mentionem?

- Dices; *Illos potuiſſe Grammaticalia opuſcula ſcribere duntaxat de Literis, & ſimilibus.*

Hoc verò non eſt veroſimile. Doctiſsimus Aben Eſra ſcripſit ſuprà, Grammaticum ſtudium exortum demum poſt Inventa puncta, & poſt Maſorethas. Tunc ſcilicet ars iſta excoli cepit, cùm punctata exemplaria frequentia, & crebriora inter Judæos eſſe cœperunt.

Quinam verò fuerunt illi primi, qui, ante abſolutam Punctationem, Grammaticam artem excolere & illuſtrare ceperunt?

Primus traditur fuiſſe R. *Saadias Gáon*, qui fuit caput Academiæ Sorianæ in Babylonia, circa annum Chriſti 927. h. e. centum minimum annis ante abſolutam Punctationem Cappellianam.

Hic ſcripſit de arte Grammatica tres libros, quorum hæc Nomina, teſte Aben Eſrâ; 1. ספר האגרון *Liber collectionis.* 2. ספר לשון עברית *Liber de lingua Hebraa.* 3. ספר צחות *Liber elegantiarum.* Hi libri equidem non ampliùs extant: vix tamen credibile, illum nihil de Punctis in illis tradidiſſe. Itaque ex aliis ipſius ſcriptis, quæ hodieque extant, videndum, quid de Punctis ſenſerit. Habetur ipſius Commentarius ſuper librum Jetzirah: In eo obſervavi locum, ex quo, ni fallor, conjici poteſt, An puncta eo tempore

jam

jam in ſua perfectione fuerint, & quid ipſe de eis ſenſerit? Capite igitur quarto, folio mihi 99. col.1. ſupputat Cabaliſtico modo numerum literarum בגד, quem certâ ratione multiplicatum redigit ad 5040. poſtea ſubdit: וְזֶה הַחֶשְׁבּוֹן עוֹלֶה כָּךְ בְּלֹא נִקּוּד אִם בְּנִקּוּד אֵין חֵקֶר וְאֵין מִסְפָּר , וְאִם נִמְצָא חָכָם וּמוֹנֶה חֶשְׁבּוֹן שֶׁהָיָה עוֹשֶׂה מִכָּל אוֹתִיּוֹת דִּבּוּר אֶחָד וּמְגַלְגְּלוֹ בְּאוֹתִיּוֹתָיו וּבְנִקּוּדָיו וּבְחֶשְׁבּוֹן הַזֶּה דְּבָרִים כְּלוּלִים וּדְבָרִים גְּדוֹלִים וכו׳ hoc eſt, *Quod ſi iſte numerus ad tantam ſummam aſſurgat ſine Punctis, ſanè in infinitum quaſi excreſceret, ſi computaretur cum Punctis. Et ſi quis ſapiens exiſteret, qui ſupputare vellet numerum, quem 22. literæ in unam dictionem conflatæ conficerent, eamq́ ſecundum literas & puncta revolveret, &c.* Hinc ego concludo: Conſtat ex hoc loco, ejus jam tempore ſolitos fuiſſe Cabalæ peritos combinare, commutare, ſupputare, calculare, non ſolùm Literas dictionum, ſed & Puncta, myſteriaque ex illis elicere atque educere. An autem credibile eſt, Punctationem imperfectam, & quotidiè adhuc novis acceſsionibus auctam, mutatam, emendatam, interpolatam, nondum pro canonica & authentica, à gente Judaicâ, receptam, tum temporis jam tantam authoritatem obtinére potuiſſe? Nullâ ratione. Imò, annon hoc arguit, hunc R. Saadiam in pari dignitatis gradu, & authoritate æquali habuiſſe Puncta cum Literis, ac proinde vel ad Scripturæ authorem, vel ad Moſen & Scriptores ſacros, vel ſaltem ad Eſram, eorum inventionem retuliſſe? Imò, quòd etiam Criticam Grammaticam tractarit circa Textum Punctatum, patet ex eo quod R. Salomon ſcribit ad Pſal.45.10. ad vocem בִּיקְּרוֹתֶיךָ his verbis: *Koph ſcribitur cum Dageſch, quia eſt ex ſignificatione* בִּקּוּר (ſeu verbi בִּקֵּר) *licet Jod præcedat:* וְרָאִיתִי בְּנִקּוּד רַב סְעַדְיָה תֵּיבָה זוֹ סְדוּרָה עִם מִי נָתַן לִמְשִׁיסָּה יַעֲקֹב וכו׳ *Et vidi in Punctatione* (hoc eſt in Tractatu de Punctatione) *Rabbi Saadiæ, dictionem hanc compoſitam ſeu collatam cum* לִמְשִׁיסָּה *Jeſa.42.22. in qua ſimiliter poſt Jod ſequitur Samech dageſſatum.*

Poſt hunc, quadraginta annis, ex Geonæis ſequutus eſt *Raf Haj,* ad Geonatum elatus anno 4727. qui itidem opuſculo quodam Grammaticam artem illuſtravit, quod vocavit ספר המאסף, de quò Aben Eſra ſcribit, quòd ſit מָלֵא חָכְמָה וּכְלִיל יוֹפִי *plenum ſapientiâ, & elegantiſſimum.* De hoc nihil ſpeciale vidi. Hoc verò pro principio immoto ex Aben Eſra pono, Grammaticam artem demùm poſt inventa puncta cæptam fuiſſe excoli & exornari.

Sed

Sed videamus eos authores, qui R. Aſchero vel *Coævi*, vel *Proximi* ſaltem ejus ſæculo fuerunt.

Coævus ipſi fuit *R. Juda, filius Davidis*, cognomento חיוג *Chajug*, ex Feſſa, Africæ urbe oriundus, qui ideò primus Hebræorum Grammaticus fuiſſe ſcribitur, quòd præcedentium ſcripta perierint, & ipſe primus perfectiora & abſolutiora præcepta dederit. Repeto hic, quod ſuprà quoque dixi; Si unà cum R. Aſchero floruit hic R. Jehuda, mirum valdè, illum, ubi nominatim ejus meminit, nihil de eximio hoc R. Aſcheris labore prodidiſſe, nihil in ejus commendationem uſpiam ei excidiſſe, nihil contra ipſum excepiſſe. Scripſit hic R. Jehudah varia de re Grammatica opuſcula, & inter ea unum quod vocavit ספר הנקוד *Librum de Punctatione*. Quis credat, illum nullam ibi R. Aſcheris mentionem facturum fuiſſe, ſi illius authoritate Punctationis opus eo ipſo tempore ad umbilicum perductum, & obſignatum fuiſſet? Cui non hoc videtur abſurdorum abſurdiſsimum? Scripſit autem Librum *de Punctatione*, tamquam à longo jam tempore ceu authenticâ in libris extante & receptâ. Arguunt id multa, quæ ex eo authore in Kimchio, Ephodeo, Balmeſio, Aben Eſra, aliisq; citata reperiuntur, quorum coacervatione Lectorem nolo obruere. Edidit idem Librum de uſu literarum *Begad Kephat*. Si uſus literas illas aliquando raphandi, aliquando dageſſandi, à quopiam recente, paulò ante ipſius ſæculum introductus & excogitatus eſt, ut vult Revelator, an ille id ignorare potuit? annon ejus mentionem feciſſet, aut facere debuiſſet?

Eadem dico de *R. Jonah, Cordubenſi Hiſpano*, qui brevi pòſt tempore R. Jehudam eſt inſecutus, & ſeptem de re Grammatica libros conſcripſit. Hujus quoque libri viſi ſunt Ephodeo, Aben Eſræ, Kimchio, & aliis. Nihil verò inde profertur vel de Maſorethis Tiberienſibus, vel de R. Aſchero, Punctorum inventoribus. Sanè, ſi mihi facultas daretur libros illos evolvendi, non dubito, quin varia argumenta inde ad punctorum Antiquitatem probandam, & commentitiam Novitatem deſtruendam, eliciturus eſſem.

Proximi R. Aſcheris ſæculo dici poſſunt, ni fallor, omnes illi, qui ſæculo integro, h. e. centum circiter annis, inde ab ejus ætate ſunt ſequuti.

Atque hic primo loco collocabimus *Authorem libri Coſri*, Theo-

logum & Philoſophum ſummum. Continet liber ille Diſputationem de Religione, inter Coſroem quendam Perſam, & Judæum, in qua Judæus tandem Perſam convicit, & ad Religionem ſuam perduxit. De Tempore, *& Authore*, à quo conſcriptus ſit iſte Liber, dubitatio & diſceptatio eſt inter authores. Quidam Authorem ejus faciunt quendam *R. Iſaac Sangarum*: Alii *R. Jehudam Levitam*, Hiſpanum.

Qui authorem ejus volunt eſſe *R. Iſaac Sangarum*, exiſtimant, illum hanc diſputationem revera habuiſſe cum iſto Coſræo, & vixiſſe ac ſcripſiſſe eam ante 900. annos: Colligunt id ex eo quod par. 1. ſ. 46. quærenti Coſræo, *Quot tunc annos à mundi creatione numerent?* Author reſpondet; *Quater mille quingentos*: Sed cùm iſta ejus diſputatio confusè in chartis hinc inde eſſet diſperſa, omnia in ordinem & certum volumen tandem redacta eſſe *à R. Jehudah Levita.*

Sic ſtatuit R. Schem Tof, ben Schem Tof, in ספר האמונות Portâ 2. cap. 4. fol. 15. col. 2. ſcribens: כבר קדמני רבי יצחק הסנגרי ז"ל חבר למלך אלכוזרי המתגייר על ידי החכם הזה זה כמה שנים בארץ תוגרמה כידוע מפקצת כתבים, והחכם הזה נמצאו תשובותיו וחמודות חכמותיו הפורות על חכמתו הגדולה בתורה ובקבלה ובכל חכמות בעיון מפוזרות בלשון ערב והחכם רבי יהודה הלוי זכרו לברכה הפייטן הספרדי מצא אותם וחבר ספר מהם בלשון ערב כאשר היו והועתק ללשוננו hoc eſt, *Jam præceſſit me in hoc Argumento R. Iſaac Sangari b. m. in Diſputatione ſua cum Rege Coſræo, qui operâ hujus Sapientis ad Religionem Judaicam converſus fuit ante multos annos in terra Togarma* (i. e. Turciâ) *ſicuti notum eſt ex quibuſdam ſcriptis. Hujus Sapientis Reſponſiones eruditiſſimæ, quæ eximiam & exquiſitam ipſius eruditionem in Lege, Cabala, Scientiisq; omnibus ſpirant, inventæ ſunt poſtea diſperſæ & disjectæ in linguâ Arabicâ. Itaque R. Jehúdah Levita b. m. Poeta Hiſpanus, in illas incidens, in formam libri eas redegit & compoſuit linguâ Arabicâ, qui poſtmodum etiam in linguam noſtram converſus fuit.*

Hinc redarguit R. Jehudah Muſcatus Typographos, qui in prima editione titulo libri præſcripſerunt R. Jehudæ Levitæ nomen, ac ſi ille libri author fuiſſet, & Diſputationem hanc proprio marte & ingenio conſcripſiſſet: Editioni enim à ſe procuratæ, & Commentario ſuo illuſtratæ, inſcripſit: ספר הכוזרי יסדו החכם

התבר

החבר ר׳ יצחק הסנגרי ז״ל אשר קדש שם שמים בויכוחו הישר חברו בלשון ערבי החכם הגדול ר׳ יהודה הלוי *liber Coſri, quem fundavit* (cujus prima fundamenta jecit) *R. Iſaac Sangari, qui Nomen Dei hac ſuâ diſputatione ſanctificavit, quemq; in Lingua Arabica compoſuit R. Jehudah Hallevi, in Linguam verò Hebraicam tranſtulit R. Jehudah Aben Tybbon.*

Alii tamen ſunt, qui exiſtimant, omninò Inventorem & Authorem hujus libri verum ac ſolum eſſe R. Jehudam Levitam, qui floruit circa annum Chriſti 1100. aut paulò poſt, & ſub formâ Dialogi, introductis duabus notis perſonis, eum ad imitationem Platonis, Ciceronis, & aliorum, conſcripſiſſe. Hanc ſententiam tuetur R. Aſarias in libro Meor Enajim cap. 42. תדע שעם היות זה ר׳ יהודה הנזכר מיחס בראשית הספר דבריו כלם לחבר שזכר אין ספק כי הוא היה הממציא ומחדש את הכל בחכמתו כי רבות אבל על דרך השרידים אפלטון וטוליאו ודומיהם השמים בקצרת המצאותם דבר דיוזגי בפי סוקראט וקאטוני או כדומה מן הנודעים בדורותם ראוים אליו יחס גם הוא את ופוחיו הקדושים ההם אל חכם קדמון שארע לו כעין המעשה ההוא אשר לדברי בעל ספר האמונות נקרא ר׳ יצחק הסנגרי וכו׳ *Scito,* inquit, *quòd licet R. Jehudah Levita attribuat in principio libri verba ſua omnia, alii cuidam Chaver ſeu Rabbino; nullum tamen ſit dubium, quin ipſe omnia illa invenerit & compoſuerit, pro ſumma ſua eruditione. Verùm ad imitationem præſtantiſſimorum Virorum, Platonis, Tullii, & ſimilium, qui nonnulla ſua opera conſcripſerunt ſub forma Duorum colloquentium, iisq; Socratis, Catonis, vel aliorum ſuis temporibus celebrium Virorum nomina præſcripſerunt, ipſe quoque attribuit ſuas Diſputationes ſanctas veteri cuidam Sapienti, ac ſi cum ipſo tale quid geſtum eſſet, quem R. Schem Tof vult vocatum fuiſſe R. Iſaac Sangari, &c.* Et mox: ובכן תכיר כי סך ד׳ האלפים ות״ק האמור שם איננו רק מדומה לשעתו כאילו חובר הספר כבקדם *Ideoq; cognoſcere debes, quòd numerus ille 4500. annorum, quem ponit, nonniſi ex imaginaria & ficta illa hypotheſi ſit poſitus, ac ſi liber ille ante plures annos compoſitus eſſet, &c.*

Author libri Tzemach David putat, *errorem irrepſiſſe, & pro* תתק 900. *ſcriptum fuiſſe* ת״ק 500. (Sed huic conjecturæ adverſatur, quòd ſupputatio illa, non literis numeralibus, ſed integris vocibus, in utraq; editione eſt expreſſa): Aut dici poſſe, duos fuiſſe hujus nominis: Unum, qui vixerit anno 4500. Alterũ anno 4900.

plurææ compoſuerunt, nequaquam arguunt, ipſorum tempore inventum adeò fuiſſe recens.

Et Aben Eſra, Vir longè doctiſsimus, quique præcedentium Grammaticorum libros & labores vidit: imò R. Jehudæ, primi Grammatici, opuſcula ex Arabica lingua in Hebræam convertit; quî tam turpiter hîc labi & hallucinari potuit? Floruit ille circa annum Christi 1140. & fuit gener R. Jehudæ Hallevi, vel ut alii volunt, Conſobrinus ejus. An ille unquam inventionem punctorum & Accentuum adſcripſiſſet Eſræ, ſi nonniſi 90. aut ad ſummum 100. ante ipſum annis hoc inventum abſolutum fuiſſet? An ille hunc R. Aſcher omittere debuiſſet, cùm catalogum contexit eorum, per quos S. Scriptura in ſua integritate conſervata, & ad poſteros propagata fuerit? Meminit autem hîc duntaxat poſt primos librorum authores, Virorum Synagogæ magnæ, Maſorethamrum, & Grammaticorum, ut accuratè viſum par. 1. cap. 3. & diſertè dicit, poſt Viros Synagogæ magnæ, ceu Authores punctorum, accentuum & Verſuum, Maſorethas ſequutos & Grammaticos.

Idem judica de ſeqq. R. Davide Kimchio, R. Salomone, Ephodeo, & aliis.

IV. *Formam* denique teſtimoniorum illorum ſi expendamus, nova illis vis, novum pondus accedit. Sententiæ enim huic favent duplici modo; *Voce* & *Silentio*.

Voce, dum plerique Eſram authorem punctorum faciunt, vel ſaltem reſtauratorem, ut paſsim in hoc tractatu viſum:

Silentio; dum contrariæ ſententiæ, ab Elia excogitatæ, & à Revelatore interpolatæ, ne verbulo quidem aut indicio minimo meminerunt, quod magnum, imò maximum, contra eam præjudicium. Argumentum duxit Revelator ſuprà contra Punctorum Antiquitatem *Ex Silentio Talmudiſtarum & Cabaliſtarum*; ſed quàm firmiter & ſolidè, demonſtravimus. Nobis itaque etiam hîc licet argumentum ſtruere *ex altiſſimo ſilentio eorum, qui illis, quos ille facit Punctorum, ſeu authores, ſeu auctores, ſeu perfectores, fuerunt vel σύγχρονοι & coætanei, vel ſaltem non multis poſt ſeculis floruerunt.* Si teſtimonium vivum & expreſſum pro Antiquitate Revelatori ſuſpectum eſt; ſaltem mutum de Novitate nullâ ratione ſuſpectum eſſe poterit. Quî enim tam perpetuum & univerſale

ſilentium rei adeò nobilis, nec antiquæ, exurgere potuiſſet, ſi tale quid factum fuiſſet, &c.

His itaque circumſtantiis ſine præjudicio conſideratis, cordatus quivis colligere poterit, ſententiam hanc noviſsimam Revelatoris, qui vult, Punctorum artificium demùm circa Annum Chriſti 1040. per multas mutationes, emendationes, & additiones perfectum fuiſſe, nullâ planè veriſimilitudinis ſpecie niti, cùm antiquorum Scriptorum veſtigia omnia adverſum illam ſpectent; contrariam verò, quæ pro Antiquitate militat, tantâ teſtimoniorum nube ſtipatam, imò univerſali Judæorum conſenſu ſuffultam, veriſimiliorem & veriorem.

Neq; me terret, quòd Revelator noſter Judæos paſsim *nugatores vanos* faciat, & quicquid ex ipſis adfertur, tanquam meras nugas & gerras exagitet & traducat. Nam firmiter ſum perſuaſus, Judæorum etiam nugas, in iis, quæ res ipſorum, non tamen principia & capita fidei attinent, longè plus habere veritatis & ſoliditatis, quàm Chriſtiani alicujus, nullâ verâ Hebraicarum rerum ſcientiâ imbuti, ſed ſpumâ duntaxat hinc inde ex Elianis & Criſtianorum nonnullorum rivulis aut lacunis, hauſtâ, tumidi & inflati; atq; hinc ex præconceptæ opinionis κακοχυμίᾳ ægritudine veluti ſtomachi laborantis, meditationes, diſputationes, Revelationes.

Concludo ergo hoc caput Verbis D. Hieronymi ad B. Auguſtinum: *Si in hac ſententia me reprehendis errantem, patere me quæſo errare cum talibus: & cùm me erroris mei tam multos habere ſocios perſpexeris, tu veritatis tuæ ſaltem unum adſtipulatorem proferre debebis.*

Caput V.

In quo probatur Punctationis Biblicæ Antiquitas & αὐθεντία ex univerſali & ὁμοψήφῳ aut potiùs παμψήφῳ ejuſdem receptione & approbatione.

Univerſali Judæorum conſenſui, quo Punctationis inventum vel ad Moſen, vel ad Eſram referunt, commodè

commodè videtur ſubjungi Judæorum Conſenſus ille, quo in hanc, quam habemus hodie punctationem in libris noſtris, omnes in Oriente, Occidente, adeoq; ubique terrarum, παμψηφεὶ & ἀναντιῤῥήτως jam à multis ſæculis, conſenſerunt, & etiamnum hodiè conſentiunt; & Argumentum inde non levis momenti extrui, pro ea, quam quærimus, Punctorum antiquitate & αὐθεντίᾳ.

Ejus equidem jam alibi à nobis quoque facta eſt mentio. Sed in gratiam Lectoris non inutile erit hîc repetere, idque etiam in hac κεφαλαιώδει denuò ei inculcare & ob oculos ponere.

Hoc fundamento audivimus ſuprà cap. 3. jam utentem authorem libri Coſri, & inde Propheticam atque Canonicam Punctorum antiquitatem arguentem, quando ſcribit; *Non probabile eſt, noſtram gentem hæc* (Puncta ſcil. & Accentus) *accepturam fuiſſe ab aliis, niſi à viris ſingulariter & extraordinariè Deo charis & acceptis, tùm vel pluribus, vel uno aliquo inſigni: Ab uno autem iterum non eſt veroſimile illos hæc acceptaturos fuiſſe, niſi is fuiſſet Propheta, aut extraordinariè adjutus & inſtructus à Re Divina* (h. e. extraordinariis Spiritus Sancti inſtructus donis). *Nam contra Sapientem vulgarem, non adjutum extraordinariè, facilè quivis alius excipere poteſt, quòd idem, aut ſaltem tantundem ac ipſe, præſtare velit aut valeat.* Quibus verbis ille ad Eſram & viros Synagogæ magnæ reſpicit.

Argumentum nos tale hinc conſtruere poſſumus.

Si Punctatio & Accentuatio Biblica non profecta eſſet à Viris Propheticis, & extraordinariis Spiritus Sancti inſtructis donis; ſed à Sapientibus vulgaribus, quales ſeu his noſtris temporibus, ſeu ſuperioribus ſæculis, poſt Prophetarum tempora, imò poſt abſolutum & obſignatum Talmud, fuerunt; nullo modo ita παμψηφεὶ & ἀναντιῤῥήτως à gente Judaica eſſet acceptata; ſed, quæ ſemper inter ſcribas & Doctores viguit æmulatio, aliqui extitiſſent, qui illi ſe oppoſuiſſent, vel eam ſuggillaſſent & vellicaſſent.

Atqui vero Punctationem præſentem conſtat à multis ſæculis eſſe acceptatam ab omnibus Judæis, ubique terrarum, omniaque per totum orbem exemplaria ad minimum uſque apicem quaſi convenire & concordare, niſi ubi vel ſcribarum, vel Typotheta-

rum

rum manus & incuria fortuitam aliquam diſcrepantiam & varietatem inducit; quinimò nefas ducunt omnes Judæi, quando de ſenſu literali alicujus loci agitur, ab iſta lectione, quam Punctatio noſtra exhibet, recedere.

Itaque nequaquam à Sapientibus vulgaribus, nullâ extraordinariâ vocatione & munere inſtructis, quales iſti Tiberienſes poſt-Talmudici erant, & ipſi etiam Ben Aſcher & Ben Naphtali; ſed ab aliis, Extraordinario modo à Deo adjutis donis; quales nulli alii eſſe poſſunt, quàm vel Authores & Scriptores ipſi, vel Eſdras & Viri Synagogæ magnæ; quia poſt illorum tempora, dona iſta extraordinaria in populo Judaico ceſſarunt & deſierunt.

Majoris conſequentia firma ſatis eſſe videtur. Detur enim aliquid propemodum circa interpretationem ſacrarum literarum, à quocunque vel à quibuſcunque Doctoribus novitiis ac recentibus profectum & prolatum, quod non in quæſtionem ac diſceptationem fuerit vocatum, ſuosque mox invenerit opponentes & contradicentes. Ben Aſcher Punctarum exemplar celebre, Hieroſolymis reconditum, corrigens, & ſeu ex aliis exemplaribus, ſeu nonnunquam proprio judicio, ob erroris ſuſpicionem emendare ſatagens, ſtatim nactus eſt æmulum & contradicentem Ben Naphtali: & in omnibus ferè Occidentales oppugnati fuere à Babyloniis & Orientalibus. Maſorethæ ſuos nacti ſunt Cenſores & Ariſtarchos. Quid quæſo Punctatori & Accentuatori tantam authoritatem conciliavit, ut ille tam ſubitò omnium aſſenſum & applauſum meruerit, nemoque ſe ipſis opponere unquam ſuſtinuerit? Nihil procul dubio aliud, quàm Perſonæ & Vocationis extraordinariæ authoritas, uti Coſri arguit, & Aben Eſra quoque innuit, ſicut vidimus lib.1. cap.3.

Minor eſt indubiæ veritatis; nec hactenus inter Judæos auditum, quemquam id, quod hodiè Chriſtiani nonnulli tentant, animum induxiſſe facere.

Dices; *Ideò nemo ſe ipſis inter Judæos oppoſuit: quia lectionem talem repræſentarunt ſuis punctis, quæ inter Judæos nota, vulgata, uſitata ac recepta erat.*

℞. 1. Poſito hoc & conceſſo, dico, ſi nulli fuiſſent maximè, qui in reipſa ſe ipſis oppoſuiſſent, illosq; redarguere auſi fuiſſent; vix tamen credibile eſt, nullos extituros & exſurrecturos, qui non in fi-

in figuris externis aliquid carperent, & exiſtimarent, hujus vel illius Puncti aut Accentus aliam fortaſſis figuram commodiorem poſſe excogitari, vel ipſas figuras aliter collocari, ac ſimilia. Si Palæſtini has notas excogitaſſent, Babylonii continuò, ſi non in totum, ſaltem ex parte, alias quaſdam inveniſſent, & diſſidii materiam reperiſſent.

2. Negari poteſt, Punctationem hodiernam repræſentare talem lectionem, quæ ab omnibus potius Judæis approbata & recepta fuerit: & negari hoc poteſt ex ipſorum Novatorum ſententia, qui dicunt, Septuaginta Græcos Interpretes, Paraphraſtas Chaldæos, Aquilam, Theodotionem, in multis locis, ubi ab Hebræo diſſident, aliter in ſuis libris legiſſe, antequam puncta adſcripta eſſent. Atqui hi omnes fuerunt Judæi, & eorum quidam non ita multis ſæculis ante Talmudicos vixerunt, quorum tempore hodierna lectio jam viguit. Quin & non ſolum Paraphraſes Chaldaicæ, ſed etiam Græcæ Verſiones quædam à Judæis nonnullis olim lectitatæ; ac per conſequens ipſis non plane ignotæ fuerunt. An non ergo multi ſpecioſum hinc accipere potuiſſent prætextum, à Maſorethica punctatione recedendi, & talem ſubſtituendi, quæ cum textu Interpretum illorum, vel ſaltem Chaldæorum, qui tantæ inter ipſos ſunt authoritatis, concordaret?

Itaque hinc Argumento noſtro majus potius robur accedit, tantum abeſt ut vis ejus hac exceptione infringatur. Nam, ſi verum eſt quod Revelator ponit, tot nos habere Exemplaria Hebraica, quot Veteres Interpretes: vel, tot modis diverſis olim Textum Hebræum lectum fuiſſe à Judæis, quot diverſas Interpretationes illi nobis repræſentant; an credibile quæſo eſt, fieri potuiſſe, ut tam facile, tam repente, tam unanimiter & univerſaliter, Judæi omnes illas lectiones deſererent ac rejicerent, & in unam, eamque ſæpè novam, cum nulla veterum Interpretationum convenientem lectionem, per totum orbem conſpirarent, ut nullæ inter ipſos variantium illarum lectionum reliquiæ remanerent, imò ne ulla quidem memoria?[2] D. Auguſtin. lib. 15. de Civitate Dei cap. 13. *in cauſam inquirens differentiæ annorum, quæ occurrit in Geneſi, in libris Hebræis & Græcis; utrum videlicet probabilius ſit, Hebræos an Græcos codices illic corruptos eſſe? Hebræorum libros ab hac ſuſpicione his rationibus liberat*, primo, *quod non ſit credibile, Judæorum gentem, tam longe*

lateq; diffuſam, in conſcribendum mendacium conſpirare potuiſſe. Secundò, *quod non ſit credibile illos voluiſſe hoc facere, aliis nimirum invidendo authoritatem, ſibi ipſis auferre veritatem* (Scripturarum). *Aliud,* inquit, *ut prudens quiſpiam, vel Judæos cujuslibet perverſitatis atq; malitiæ, tantum potuiſſe credat in codicibus tam multis, & tam longè latéq; diſperſis.* Ego pariter dico; Quis credat, Judæos tam longè latéq; diffuſos, & ante inventam punctationem, de lectione, ex hypotheſi Adverſarii, diſſentientes; poſt inventam punctationem, tam ſubito conſentientes fieri, & novam lectionem, punctatione expreſſam, in tam multos codices, tam longè lateq; diſperſos, tam conſentienter inferre potuiſſe?

Deinde excipiat aliquis; *Etiam inter Judæos diſſenſiones reperiri, & diverſas ſententias, de nonnullorum locorum lectione, quoad Puncta & Accentus.*

R. 1. Illæ diſſenſiones ſunt leviſsimæ, & vix inter eas ullæ, quæ ſenſum reſpiciunt, ut ſuprà viſum; nullo proin loco numerandæ, nec in eorum cenſum, quæ in Interpretibus diverſis inveniuntur, referendæ.

2. Non ſunt diſſenſiones vel contradictiones, oppoſitæ primis Punctationis authoribus, quod illos quiſquam vel erroris alicujus redarguere, vel quacunque alia de cauſa corrigere præſumpſerit: ſed ſunt ortæ, vel ex Codicum, punctis jam inſtructorum, variantibus, vel ex depravationis alicujus fortuitæ ſuſpicione, unde quidam hunc, alius illum codicem, hic iſtam, alius aliam lectionem eſt ſequutus. Alius correctionis vix puto ullum exemplum adductum iri. Ubi nulla antiquorum exemplarium diſcrepantia, ſed plena harmonia & conſenſus, nefas eſt illam lectionem repudiare aut immutare.

Caput VI.

De Teſtimonio Maſoræ & Maſoretharum.

Vidimus paulò ante, capite quarto, Teſtimonia Talmudicorum, Cabaliſtarum, & Grammaticorum, pro

pro Punctorum Antiquitate, illorumque pondus & fundamentum, quatuor firmiſsimis principiis, & columnis quaſi, innixum, Lectori expendendum proponimus.

His placet nunc in Specie ſubjungere, & Teſtimoniis addere, Argumentum quod ex Maſora ipſa, ejusq; notis, pro Punctorum Antiquitate, contra commentitiam eorum Novitatem extrahitur.

Hinc ergo iſtud videtur, Antiquitati Punctorum favorabile, elici atque educi poſſe Principium;

Antiquius & Maſoretharum Notis atque arte ſuperius eſſe, Punctorum & Accentuum artificium & inventum.

Hæc theſis confirmatur *Authoritatibus* & *Ratione.*

1. *Authoritatibus.* Iiſdem enim fere Hebræorum authoritatibus, quibus ipſa Punctorum antiquitas, nititur quoque hoc principium. Iterum hic repeto & inculco, neminem ex omnibus Hebræorum, ſeu recentioribus ſeu antiquioribus Grammaticis, extare, qui non aſſerat atque confirmet: Has notas ab aliis, quam ab ipſis punctorum authoribus, & poſt ipſorum tempora, conſcriptas eſſe. Aben Eſra facit illos *Cuſtodes verborum*, nullâ vero planè ratione *Architectos*. Maſorethæ *(inquit) induxerunt Sepem* agro Scripturæ, ne ille a brutis beſtiis, hominibus ſc. petulantibus & peſtilentibus, vel in minima ſui parte vaſtari aut corrumpi poſſet. Maſorethæ *numerarunt duntaxat viros ſanctuarii*, non vero illos vel veſtibus vel ornamentis inſtruxerunt.

2. *Ratione.* Nam, ut Pater meus oſtendit in Tiberiade cap. 9. *Ex notis Maſorethicis hoc colligitur, Maſorethas eos, qui Maſoram eam, quæ hodie tam in Manuſcriptis, quam in impreſſis libris extat, conſcripſerunt, non ſolum Vocalium figuras invenisſe, & ad eas virgulam cenſoriam appoſuiſſe, ſed voces jam antea ab aliis punctatas, & accentibus notatas, ſub cenſuram ſuam revocaſſe, judicium de iis per Notas Maſorethicas tuliſſe, locaq; inde adeo, ut in omnem ſecuturam poſteritatem incorrupta lectio maneret, aut ſi quid deinceps librariorum culpa aut vitio incideret, ex illis notis corrigi & reſtitui poſſit.*

Rationem hanc declarat exemplo, cùm *ex ipſa Punctatione in*con-

ſtanti, inſolenti & irregulari; cùm *ex ipſis Maſoretharum notis cenſoris ad eam adjectis.*

Punctatio illa inconſtans & inſolens conſiſtit in Vocalibus, in Punctis τῶ Dages & Mappik, & in Accentibus.

Vocalium inconſtans, inſolens & irregularis Punctatio eſt, quando vox, ſine omni legitima cauſa, inſolenter & irregulariter, contra communem formam & analogiam ſimilium, punctata eſt.

Dages & Mappik punctatio inſolens & irregularis varia itidem occurrit; ut quando literæ, quæ naturâ ſuâ Dageſch reſpuunt, quales ſunt gutturales, cum Dageſch forti notantur, quando etiam aliis literis ſine certa & evidenti causâ inſcribitur, vel in illis omittitur: quando Dageſch lene literis Begad Kephat in[illegible] [illegible] ſecundum analogiam, & communem uſum, minime [illegible] vel etiam aliæ literæ, præter iſtas ſex, quarum cenſetur eſſe proprium, cum eo inſigniuntur; veluti ל [illegible] & צ (ut Maſora obſervat ad Dan. 5. 11) quando denique Mappik in Scriptura omittitur & negligitur, non ſine erroris occaſione maxima.

Accentuum quoque anomaliæ & a[illegible] inæquales ac d[illegible] occurrunt: ut cum vox aliqua regulariter *millel*, ſeu penacuta, [illegible] rationem ſemel atque iterum eſt *milra* ſeu acuta: cum verſus [illegible] nulli, & quidem ſatis longi, ſunt ſine Athnach: cum [illegible] eademque voce, quæ uno & eodem accentu notata, a[illegible] circa mutationem vocalium, non eandem vim ac poteſtatem [illegible] ferit.

Maſorethaurum circa inſolentes has punctationes notæ ſunt tales [illegible] ſimpliciter eas notent, & numerent, rationes nullas addant.

Hæc omnia fuse & multis exemplis illuſtrata & explicata ſunt à Parente meo in Tiberiade, dicto loco & capite, quo L[illegible] ſtudioſum brevitatis cauſa remitto. Ibidem etiam ad ſingula exempla demonſtrat, quòd non iidem ſimul & Vocalium & Accentuum Inventores & Maſoræ authores fuerint; ſed quid Maſorethæ de Punctis vocalibus & accentibus jam antea [illegible] ad libros [illegible] per appoſ[illegible] notas, cenſuram & judicium tulerint, [illegible] r[illegible] poſsit cauſa, cur in T[illegible] [illegible] anomalas, easque ſæpe adeò [illegible] & perplexas, ut nullam prorſus formæ explicationem Grammaticam admittant, atque in iis explicandis univerſa le[illegible] quæ[illegible]

[illegible] poſteritas; cum etiam [illegible] in punctatione facilimè analogiam linguæ obſervaſſe, [illegible] ſine ulla ſenſus vel mutatione vel corruptione, ſi ipſi punctationis authores primi extitiſſent.

Quod ſi autem diverſi authores, Punctorum & Maſoræ, fuerint, tunc vel eodem tempore vixerunt, vel diverſo.

At non eodem tempore vixerunt. Potuiſſent enim ſic Maſorethæ, a Punctorum inventoribus, inſolentium iſtarum anomaliarum & diverſitatum inſigniorum rationem expetiviſſe, & ſcripto explicaſſe, ne tanta linguæ al[illegible] planæ, in communibus Grammaticæ affectionibus perturbatio, totam poſteritatem cruciaſſet.

Itaque diverſo vixerunt, & Punctorum inventores præceſſerunt: Si præceſſerunt, quærendum, quando, & quinam illi fuerint? Hic jam rurſus vix alii dari poterunt, quam vel Eſdras & Viri Synagogæ magnæ, vel Moſes, & ſingulorum librorum authores: cùm de nullis aliis apud Hebræos legatur, vel unquam ſit auditum.

Hæc eſt ſummaria explicatio & declaratio hujus Argumenti, quod licet ſatis ſit evidens, pro parte præcipuè negativa contra Maſorethas: quia tamen variis exceptionibus id infringere & delumbare nititur Revelator, Arcani [illegible] lib. 2. cap. 10. & 11. illæ quoque nobis ſunt examinandæ & expediendæ.

Exceptio I. *Poſſe communi totum neque probari aut concludi quod in quæſtione poſitum. Etſi enim hic efficiatur* (quod tamen non ſimpliciter dat) *non eoſdem eſſe Punctationis & notarum circa Punctationem Authores; non tamen inde ſequi, Puncta eſſe antiquiora quadringenteſimo, aut quingenteſimo Chriſti anno: cum notarum illarum Maſorethicarum circa anomaliam nonnullarum vocum punctationem authores potuiſſe eſſe* (*& revera ſint*) *multis annis poſteriores. Neque adhuc uno argumento probatum eſſe, eos anno illo Chriſti eſſe antiquiores.*

℞. 1. Si cum Revelatore ſolo nobis res ſit, non eſſe ad ſententiam illius evertendam nobis probandum ex Maſorethicis circa Voces anomalas notis, Puncta eſſe antiquiora quadringenteſimo aut quingenteſimo Chriſti anno: ſed ſufficit, ſi probaverimus, illa antiquiora eſſe milleſimo quadrageſimo anno.

Ratio [illegible] eſt hæc, quod Revelatoris ſententia ſit, Punctationem Bibliorum ſucceſſivè per quinque ſæcula eſſe confectam, & anno Chriſti 1040. a Ben Aſchero, per mul-

tas additiones, mutationes, & correctiones perfectam, & Notas Maſorethicas eſſe à plurimis hominibus non uno tempore, ſed multis ſæculis factas (vide lib. 2. cap. 10. § 5.): Atqui certum apud me eſt, Maſoram iſtam de vocibus *ἀνωμάλως* punctatis non conſcriptam eſſe, nec conſcribi potuiſſe, niſi Punctatione jam certâ, indubitatâ & perfectâ exiſtente. Ergo, ſi Punctatio abſoluta demùm fuit Anno Chriſti 1040. & diverſi fuerunt Punctationis & Maſoræ authores, hique illis multis annis poſteriores, & multiplices fuerint, vix ante annum 1100. ejus initium fieri potuerit, & finis, ſi per multa ſæcula duravit, circa hoc noſtrum ſæculum demum factus ſit, neceſſe eſt. Id autem eſt abſurdorum abſurdiſſimum. Nam Grammatici primi, qui circa illud tempus floruerunt, paſsim jam hujus Maſoræ partis, tanquam operis antiqui, meminerunt, Maſoræ jam veluti firmiſsimæ baſi, totam veræ lectionis rationem ſuperſtruxerunt; ut de aliis argumentis [illegible] taceam. Itaque ex hac Maſoræ parte firmiſsime ac ſolidiſsime evincitur, Punctationem eam, quam hodie habemus, eſſe antiquiorem, quam *Revelator* voluit.

2. Contra Eliam verò firmiter non minus argumentum hoc concludit. Nam ille ſtatuit, Maſorethas Tiberienſes eſſe & Punctationis totius, & notarum Maſorethicarum de Punctis, authores, ut videre eſt in Præf. 3. libri Maſoreth. Hoc vero [illegible] ex exemplorum conſideratione manifeſtiſsimè, & ulterius adhuc in ſeqq. quoque exceptionum conſideratione patebit.

3. Si probatum fuerit, non eſſe eoſdem Punctationis & Notarum Maſorethicarum authores, ſed illos eſſe antiquiores, quæſo alios quis dabit, quam vel ipſos librorum authores vel Eſdram & Viros Synagogæ magnæ?

Neque quicquam officit, licet ſtatuamus & admittamus, conſcribi demum cœpiſſe, hanc Maſoræ partem poſt conſignatum Talmud etiam multis annis, imo libenter illud dabimus. Hoc enim ei non innitimur fundamento. [illegible] quippe ejuſmodi [illegible] quoq; de [illegible] ſcribi. Cauſa cur ita [illegible] conſcr[illegible] [illegible] conſuetudo cum Punctis [illegible] [illegible] & in uſum revocata fuerit.

[illegible] *[illegible] ſed caſu, incogitantiâ, [illegible]*

[illegible]

errore ortam ac profectam: Primi [illegible], ex primo a Maſorethis punctato codice, Deſcriptores, errores illos, non imprudentes, ſed ſcientes, prudentes, in codicem ſuum transfudiſſe. idemque deinde a ſequentibus exſcriptoribus ſucceſſive factum, cum [illegible] præcedentis exemplum eſt imitatus. Recentiores denique Maſorethas, conſenſum exemplarium circa voces has anomalas videntes, & perſuaſi certo conſilio eas ſic ſcriptas, non caſu, lapſu, & errore, cenſuram [illegible] appoſuiſſe, monuiſſeque ſic iſtas voces ſcribi, ne quis eas mutaret, aut [illegible] ſcriptas putaret.

℞. 1. Parum hic ſui memor [illegible] Revelator. Nam ſententia ejus de Punctis poſitâ, hoc [illegible] dici, h[illegible]que exceptio cum ipſius ſententiâ, & principiis [illegible] poſitis, conciliari nequit.

Suprà ſtatuit; *Punctationem totam [illegible] ab iiſdem [illegible] eodem tempore factam: unum uno ſeculo hoc, alium alio tempore [illegible] excogitaſſe & inveniſſe; ac proinde non a primis Maſorethis totam Punctationem profectam eſſe: tandem a Ben Aſcher, circa Annum* 1040. *Punctationem jam inchoatam & adauctam, per varias additiones, mutationes, correctiones, ad ſuam perfectionem, & conſtantem formam, perductam eſſe.*

Hic jam ſentit, *Anomal[illegible] Punctationem totam a primis Maſorethis profectam eſſe, & ab [illegible] codices, per Deſcriptores & Maſorethas derivatam*, quod è diametro priori ſententiæ repugnat & adverſatur. Nam Punctatio iſta irregularis, ex cujus exemplis Pater meus argumentatur, ſe extendit per omnes Punctationis ſpecies, per Puncta longa, brevia, breviſsima, Dages forte & lene, Mappik, imò & Punctum diacriticum literæ ש. Si *dici poteſt*, Anomalam punctationem iſtam totam à primis Maſorethis eſſe profectam; ſane *non dici poterit*, Punctationis opus a diverſis, per aliquot ſæculorum ſpatium confectam eſſe: Aut ſi hoc *dici poſsit & dicatur*, illud *non dici poteſt*. Una ſententia alteram evertit. Miror itaque, quomodo ſcribat, *hoc dici poſſe*. Poſſet id dici ex Eliæ, ſed non ex Revelatoris ſententia. Atqui ipſe ſuam ſententiam defendere, & [illegible] conſona ſunt, ſcribere & proferre debet.

2. Si hæc [illegible] primorum Punctatorum irrepſerint, qui fit, quod [illegible] Ben Aſcher, ultimus perfector, non correxerit, aut emendârit? [illegible] in hominum ſegetem reliquit?

3. Velim tempus [illegible] hic aſsignari, circa quod illi recentiores Maſorethæ hanc Maſoram conſcripſerint. Illud ponendum

dum erat, [illegible] Aſcherem, vel poſt eum. Non poterit poni ante eum. Sic enim iterum concideret magnus & multiplex ille Ben [illegible] circa Punctationem abſolutam labor: Non poſt eum, [illegible] ab eo tempore habentur ſcripta Grammaticorum & aliorum, qui nullam horum mentionem faciunt.

4. Temerarium eſt, iſtas anomalias omnes aut pleraſque errori, caſui, imprudentiæ adſcribere, quod Revel[illegible] dum ſic concludit illam exceptionem: *Itaque factum eſt, ut [illegible] errata fuerant, & quæ primis punctatoribus per incogitantiam, [illegible] dentibus, & veluti invitis, inter punctandum exciderent, ea po[illegible] ex nimia, quam habuerunt de diligentia primorum punctatorum [illegible] nione, quaſi eos nihil fugerit, aut fugere potuerit; ab illis, qui [illegible] ſunt, approbata fuere, quaſi certo conſilio hoc ab iis factum eſſet.* An [illegible] tum errori adſcribendum, cujus cauſam & rationem nos ignoramus? Nimis præceps eſt tale judicium. Longe aliter doctiores Hebræi, & cordati Chriſtiani, de his judicarunt.

Exceptio III. Videns itaque non ſatis firmum præſidium ſe in hac ratione habere, ad aliud delabitur, & ait: *[illegible] responſio non arridet, nec ſatis firma aut veriſimilis videtur, dici [illegible] Maſorethas ipſos voces illas ſic ἀνωμάλως punctaſſe certo conſilio & [illegible] liari quadam de cauſa, nobis jam [illegible] ignota, & hinc [illegible] qui poſtea antiquas Notas Maſorethicas ex propria [illegible] runt, cenſuram ſuam de anomala illa & inſolenti vocum [illegible] tione adhibuerint, ne quis, quod certo conſilio factum fuerat a [illegible] punctatoribus, caſu aut errore factum exiſtimans, immutaret.*

Hoc ab ipſis factum, nec mirum [illegible] Patronis, [illegible] videri debere.

[illegible]; cum ipſi neceſſe habeant [illegible] factum eſſe [illegible] ab ipſis [illegible] toribus, vel a primis [illegible] de-ſcriptoribus.

Non abſurdum; quod longe conven[illegible] Maſorethas [illegible] mudicos homines circa verticem [illegible] & [illegible] res facere tam inſolentis & [illegible] punctationis, [illegible] vel primos [illegible] ptores ſacros; eo quod [illegible] non ſpiritus [illegible] a quo [illegible] gravitatem, [illegible], ſed ingenium potius Judai-cum & Rabbinicum [illegible] illud Maſoretharum erat, [illegible].

Itaque tantum abeſſe, ut hæc inſolens vocum quarundam punctatio, antiquitatem Punctorum arguat, & vel Scriptoribus ſacris, vel Eſdræ adſcribi queat, ut contrà planiſſimè evincat, novum inventum eſſe.

℞. *Primò*; Hæc exceptio iterum incurrit in ſententiam & principia à Revelatore poſita. Rurſus enim ponit, Maſorethas primos poſt-Talmudicos eſſe totius Punctationis Authores, quod alibi negavit. Mirum itaque, quomodo ſcribat, *Sic dici poſſe* de his anomalis vocibus, ſi cui prior ſententia minùs arrideat?

Secundò, Nititur falsâ hac hypotheſi, *Maſorethas Tiberienſes poſt-Talmudicos, primos eſſe Punctorum & Accentuum inventores*, quæ nondum probata, neque ab Antiquitatis Patronis admittitur. Illi enim, ut & omnis Hebræorum hiſtoria, tales Punctorum inventores & authores ignorant, ut prolixè in ſuperioribus viſum.

Tertiò, Dato etiam, Maſorethas Tiberienſes poſt-Talmudicos, notas Punctorum & Accentuum inveniſſe, ipſorum tamen nec officii, nec poteſtatis fuiſſet, irregularem, inuſitatam, & ignotam punctationem, legendique rationem in Sacros libros introducere, minutaque myſteria in illis recondere: quia privati homines fuerunt, qui neque extraordinariam, neque ordinariam, ad hanc rem habuerunt vocationem. De Extraordinaria quippe nihil conſtat. Ordinariam ſi habuiſſent, & ſi à Synagogis Judaicis ad id deputati & delegati fuiſſent, reddenda ipſis fuiſſet hujus facti ratio, aut certè ſi non reddidiſſent, ſaltem hoc ab ipſis poſtulatum & exactum fuiſſet. Sed nec de hoc quicquam conſtat.

Quartò, Si & hoc ponatur, Maſorethas tales recentes, Punctationem hujuſmodi inſolentem & inuſitatam Sacris codicibus inſeruiſſe, & arcana ſua circa eam conſilia habuiſſe, an credibile, aut veroſimile eſt, tam monſtroſam punctationem, cujus rationem nemo vel aſſequi vel reddere poterat, tam unanimi conſenſu ubique terrarum, in Oriente & Occidente, ab omnibus Judæis ita ἀναντιῤῥήτως approbatum iri, ut nemo uſpiam extaret, qui vel ei ſe opponeret, vel ſaltem eam vellicaret, & in dubium vocaret? Hujus verò rei nulla in Hebræorum ſcriptis veſtigia extant. Nemo eſt, qui has anomalas voces hactenus vel mendarum nomine ſuſpectas habuerit, vel corrigere præſumpſerit. Si Occidentales Judæi id honoris detuliſſent iſtis Maſorethis, quia Palæſtini erant; an Orientales non de iis diſputaſſent? an illi tam promptè annuituri,

& calculo ſuo eam approbaturi fuiſſent? Nequaquam. Nam cùm jam Talmudicorum tempore diſſenſiones quædam fuerint de quarundam Vocularum lectione inter Orientales & Occidentales Judæos, ut ex Talmud liquet; cùm etiam æmulationes illæ poſt Talmudis tempora duraverint, uti apparet ex diſſenſionibus inter Ben Aſcher Tiberienſem-Palæſtinum, & Ben Naphtali, Babylonicum Occidentalem doctorem; annon probabile eſt, ex novo hoc opere, ſi tale fuiſſet, etiam diſſidia quædam oritura fuiſſe? Si orta fuiſſent, procul dubio veſtigia nonnulla extarent, aliqua ſaltem memoria manſiſſet.

Quintò, nihil juvat eum hîc Exceptio, quâ dicit, *Non vel mirum hoc videri debere Punctorum antiquitatis Patronis; cùm ipſimet aſſerant, hanc irregularem punctationem eſſe vel ab ipſis ſacris Scriptoribus, vel à primis deſcriptoribus: vel abſurdum, quòd longè convenientius ſit hac, tanquam ſuperſtitioſa & moroſa, Maſorethis, quàm Scriptoribus Sacris, vel Eſdræ attribuere.*

Nam, quod *prius* attinet; Si hæc punctatio vel à Scriptoribus ſacris ipſismet, vel ab Eſdra provenit, à nemine illa eſt ſuggillanda; cùm illi perſonæ fuerint publicæ, Spiritus S. amanuenſes, qui facti ſui rationem, ſive illa μυστειώδης, ſive in linguæ & loquendi uſu poſita fuerit, omnium optimè noverunt. Non ſequitur autem: Si illis hæc attribuantur, poſſe etiam aliis privatis, nullaque vocatione extraordinariâ aut ordinariâ munitis, idem licere: vel idem ab illis recipiendum eſſe.

Quod *poſterius* attinet; convenientius utique eſſet, Maſorethis & Rabbinis Judæorum moroſis & ſcrupuloſis, iſta ſcrupuloſa attribuere, ſi hæc duo probata eſſent, 1. quòd Maſorethæ quidam Tiberienſes fuerint authores & inventores punctorum: 2. quòd hæc punctatio nil niſi moroſitatem, curioſitatem, & ſcrupuloſitatem Rabbinicam ſpiret, ut Scriptoribus Sacris, & Spiritus S. amanuenſibus attribui nequeat. Nam quod prius attinet, id jam multis hactenus argumentis eſt concuſſum: quod poſterius; ipſemet Revelator ab hoc gravamine iſtam punctationem liberat, cùm tandem

Quærit; *Quæ tandem ratio impellere potuerit poſt-Talmudicos Maſorethas Punctatores, ut eandem, quam in reliquis vocibus punctatu ſecuti ſunt ἀναλογίαν, in iſtis pauculis non ſint ſecuti, ſed eâ neglectâ,*

neglectâ, aliam tam inſolentem ipſi Punctationis authores prætulerint?

Reſpondet; *à veri ſpecie non uſq; adeò alienum videri poſſe, id hinc eſſe factum, quòd in illis vocibus Maſorethæ punctatores non analogiam Grammaticam ſpectarint, ſed uſum & conſuetudinem, ſeu potiùs pronuntiationem illam, quam à Magiſtris ſuis edocti erant inter legendum, ſint ſecuti: Cumq; homines illi fuiſſent pronuntiationis, quam à Magiſtris ſuis acceperant, ſtudioſiſſimi, eam inter punctandum ſequi, hoc eſt, punctis exprimere maluiſſe, quàm analogiam ſequi, & Traditionem Magiſtralem negligere. Jam verò Maſorethas illos, à Magiſtris ſuis, Vocum illarum pronuntiationem edoctos fuiſſe contra reliquarum analogiam, non magis novum aut mirum videri debere, quam novum aut mirum eſt, quòd in Lingua Latinâ, vel Græcâ, aut etiam in vernaculis, multa uſu & conſuetudine obtineant in vulgari loquendi & ſcribendi ratione, quæ ſunt contra & præter communem analogiam, quæq; corrigi deberent, ſi τὸ τῆς ἀναλογίας ἀκριβοδίκαιον moroſè & ſcrupuloſè ſectandum eſſet: Multa dari uſui & conſuetudini inolita, quæ ſunt præter accuratam analogiæ rationem. Quidni ergo in Lingua Hebræa idem contingere potuerit, quod omnibus omninò linguis commune eſt, adeoq; uſitatiſſimum?*

Sic Revelator noſter, neque adeò malè, ſi rem ſpectemus. Sed quomodo convenit hæc ratio cum eo quod paulo antè dixit, *conveniens eſſe ut inſolens & anomala hæc punctatio attribuatur ſcrupuloſis, curioſis, & in minutiſſimis minutiis ad nauſeam uſque moroſis Maſorethis poſt-Talmudicis, non autem primis librorum Scriptoribus aut Eſræ. A Spiritus enim illius, quo agebantur inter ſcribendum, gravitate, ſimplicitate, & majeſtate alienum planè videri, in minutis illis & levibus apiculorum quiſquiliis, tamq; inſolenti præter analogiam punctatione aut accentuatione, quærere, aut captare atque occultare myſteria.*

An ſcrupuloſitatem & moroſitatem redolet, ſi uſum loquendi & legendi receptum quis ſequatur, obſervet, & imitetur? Tale quid foret, ſi quis receptam & conſuetam lectionem repudiaret, & præpoſterâ criſi eam immutare & emendare vellet. An magis ſcrupuloſum, moroſum, aut ſuperſtitioſum eſt, uſum loquendi ſequi, quàm ἀναλογίαν? Utrumque ego puto eſſe ex principiis linguarum, Ἀναλογία & *Uſus*, nec minùs hoc quàm illud obſervandum, aut hoc magis quàm illud rejiciendum. Et hinc quoque duplex exſurgit Vocum Anomalarum ſpecies; Quædam recedunt

ab Ἀναλογία, quædam ab *Uſu.* Hinc ſcribit Ephodeus cap.16. ab initio: זָרוּת יוּבַן עַל ב׳ פָּנִים אוֹ זָר מֵהַהֶקֵּשׁ אוֹ זָר מֵהַשִּׁמּוּשׁ · וְהַמָּשָׁל כִּי אָמְרוּ מִנְתַּן אֶתֵּן שֵׁנָה לְעֵינַי וְיִתֵּן לְךָ הָאֱלֹהִים · אִם תִּתֵּן עֵרָבוֹן · הַתָּיו בְּכָל אֵלֶּה בְּצֵרֵי הוּא כֻּלּוֹ זָר כְּפִי הַהֶקֵּשׁ כִּי הוּא יְחַיֵּב הֱיוֹת הַתָּיו בְּפַתָּח גָּדוֹל כִּי חֲסֵרֵי הַפֵּא שֶׁהִיא נוּן זֶה דַרְכָּם · וַיִּגַּשׁ אֵלָיו · וַיֵּרַד יִשְׂרָאֵל · יִזַּל מַיִם · וְכֵן הֶעָתִיד מִן אָכַל וְאָחַז וַיֹּאכַל לֶחֶם · יֹאחֵז בְּעָקֵב פָּח · וְהַהֶקֵּשׁ יְחַיֵּב הֱיוֹתָם עַל דֶּרֶךְ וְאָתָה תֶּאֱזוֹר · וְלֹא נֶאֱסוֹף · וַיֶּאֱזֹר יוֹסֵף וְזֶה כֻּלּוֹ אֵינוֹ זָר מֵהַשִּׁמּוּשׁ אֲבָל מֵהַהֶקֵּשׁ · אָכֵנָם אָמְרוּ וַאֲנַחְנוּ נִתַּן לְךָ אֶלֶף וּמֵאָה כֶּסֶף בְּפַתָּח הַתָּיו הוּא כְּפִי הַהֶקֵּשׁ אֲבָל שֶׁהוּא זָר מֵהַשִּׁמּוּשׁ וְהַמִּנְהָג וכו׳ hoc eſt, *Anomalia duplicis eſt generis; Vel Deflexio ab Analogia; Vel ab Uſu. Ex. Gr. cùm à* נָתַן *dicimus* אֶתֵּן · יִתֵּן · תִּתֵּן*, cùm Tzere ſcilicet ſub Thau, eſt Anomalia ſeu irregularitas ab Analogia; hæc enim poſtulat Pathach, quia talis eſt analogia verborum incipientium à Nun; ut* וַיֵּרַד · וַיִּגַּשׁ יִזַּל*: Ita cum ab* אָכַל*, dicimus in Futuro,* יֹאכַל · תֹּאכַל · אֹכַל *eſt receſſio ab analogia: juxta hanc enim dicendum fuiſſet* אֶאֱכוֹל*, &c. ſicut dicitur,* נֶאֱסוֹף · יֶאֱסוֹר*: Hæc omnia, inquam, recedunt ab Analogia, non verò ab Uſu. Quando verò dicitur,* וַאֲנַחְנוּ נִתַּן לְךָ אִישׁ אֶלֶף וּמֵאָה כֶּסֶף*, cum Pathach ſub Thau, Judic.16.5. id quidem eſt ſecundum Analogiam, ſed eſt anomalum ab Uſu & conſuetudine.*

Et annon ubique Scriptores ſacri in tota Oratione ſequuti ſunt communem loquendi ſtylum & uſum? Imò quiſque Scriptor ſuum ſibi adnatum & familiarem loquendi ac ſcribendi uſum retinuit. Præterea, Si primi illi poſt-Talmudici Maſorethæ illam irregularem punctationem acceperunt à Magiſtris ſuis; unde illi ipſorum Magiſtri acceperunt? procul dubio etiam à Magiſtris ſuis, & ſic conſequenter dicendum erit, donec ad primum aliquod principium perveniatur.

Ita, ſi etiam hæc omnia ad Eſdram referantur, vel ad authores librorum, dici poterit, illos nunc Analogiam, nunc Uſum obſervaſſe, aliàs ſuo arbitrio uſos. Neque enim omnium anomaliarum reddi poteſt ratio. Unde etiam non omnium eſt, anomalias ejuſmodi adhibere, vel in libros, maximè ſacros, invehere: ſicut hodiè in ſcribendo vel loquendo non pro cujuſvis lubitu ſunt imitandæ anomaliæ, quæ in Textu Hebræo occurrunt, ſed obſervanda ἀναλογία. Unde qui iſta notarunt, & numerarunt, nullo modo ipſi ſunt

ſunt authores, ſed ab aliis ea acceperunt, ſive ſcripto, ſive oretenus, & ſic à ſcrupuloſitate, curioſitate, & moroſitate liberantur. Si quis ejuſmodi criſin in Cicerone, Plauto, Terentio, vel alio Latino authore, ad imitationem Maſorethărum exerceret, & anomala notaret, ac numeraret, an dici poſſet moroſus, ſcrupuloſus, quòd illa relinqueret, & non immutaret, &c. Et quis quæſo in iis iſtis omnibus myſteria captat aut occultat?

Unum hîc adhuc excutiendum reſtat; Exemplum nimirum hujus rei, quod Revelator adducit. *Geneſeos* 16. 13. inquit, *edocti erant legere* שֵׁם יְהוָה *per Tzere, ſive E longum, cujus ſonus differt (ſaltem differre cenſetur) à Sagol ſive E brevi, cùm interim analogia poſtulet, ut ſcribatur per Sagol propter Makkaph ſequens: Maluerunt hîc ſequi Traditionem quàm Analogiam. Itaque pronuntiationem vocis* שֵׁם*, quam edocti erant eo loco efferre per E longum, expreſſerunt per Tzere, licet analogia repugnante, quæ poſtulat Sagol, non Tzere. Idem dici poteſt de vocibus reliquis* ἀνωμάλως *punctatis, quæ à Punctorum Patronis magno ſtudio collectæ ſunt. Si quis velit eas omnes percurrere, deprehendet, anomaliam illam punctationis hac ratione poſſe excuſari, aut potiùs defendi atque commendari.*

Hîc iterum non video, quâ ratione hoc quod hîc dicit, *Sonum Tzere ſive E longi, differre à Sagol, ſive E brevi*, conſiſtat cum iis, quæ ſuprà dixit Arcani ſui lib. 1. cap. 13. §. 19. 20. Ibi enim dicit, *futile eſſe, quòd Punctorum Antiquitatis Patroni conentur unicuique Vocalium geminum, diſtinctúmq; ſonum attribuere, &c.*

At ſanè non ita futile prorſus hoc commentum erit, ſi per Traditionem Oralem in ſingulis vocalibus potuit diſcerni, & à Magiſtris diſtinctè diſcipulis tradi, quando una eademq; vox modò cum ſono τῆ Tzere, modò, & rarò, cum ſono Sægol efferri debeat, ut in propoſito ab illo exemplo nominis שֵׁם.

Ita in vocali A, ſi Magiſtri ita diſtinctis ſonis diſcipulis præire potuerunt, ut percipere potuerint differentiam ſoni inter A longum & A breve, ſanè ſenſibilem & notabilem oportet fuiſſe differentiam. Verbi gratiâ, אֱלֹהַי ubique in Scriptura habet juxta Athnach, exceptis duobus locis, quæ notantur Pſ. 84. 11. Sic מַיִם ter juxta Athnach & Sophpaſuk retinet Pathach; aliâs habet Kametz, & ſic alia; Si, inquam, hæc ex pronuntiatione viva obſervarunt & addidicerunt Maſorethæ punctorum authores, oportet duos perceptibiles & diſtinctos Vocalis A fuiſſe ſonos: aut, ſi non

benè diſtincti fuerunt, valdè ſubtilem hos oportet habuiſſe auditum, & divinam memoriam, qui tam pauca loca, è tam multis, ita clarè percipere, & tam firmiter retinere potuerunt.

Idem quoque de Vocalibus O & U dicendum.

Cur verò in Parentheſi addat (*ſaltem differre cenſetur*), non video. Nam ſi ex viva voce deprehendere potuerunt differentiam, oportet eam fuiſſe veram, realem, & ſenſibilem, non δοξαστικὴν. Et ſi non talis fuiſſet, nunquam Maſorethæ diſtinctas figuras excogitaſſent. Cui enim bono geminam figuram aſsignare ſono non gemino & diſtincto?

Itaque non benè cohærent dicta iſta Revelatoris ſecum invicem. Et ſic puto ex his liquere, illum ſine populi calculis atque ſuffragiis capiti ſuo undecimo triumphalem hanc coronidem impoſuiſſe; *Sic repulſum arbitror invictum illud & Achilleum (ut primo aſpectu videbatur) argumentum, nec modò ereptum atque extortum Advocatis punctorum, ſed & in eos contortum atque evibratum.*

CAPUT VII.

De Teſtimonio Antiquorum Exemplarium Biblicorum, Punctis & Accentibus inſtructorum.

AD Punctorum Antiquitatem adſtruendam, & Novitatem eam commentitiam, quam Revelator eis affingit, deſtruendam, non contemnendum omninò argumentum hinc videtur deduci poſſe, quòd teſtimonia habeamus antiquorum exemplarium Manuſcriptorum, perfectè punctis & accentibus inſtructorum, ante illum terminum, quem Punctationis conſummationi, Anno ſc. Chriſti 1040. aſſignat.

I. Mentionem faciunt Hebræi *Exemplaris cujuſdam Hilleliani*, h. e. ab Hillele, celeberrimo Philoſopho & Aſtro-

Aſtronomo, conſcripti, quod, uti colligere eſt, Punctis erat inſtructum, & Maſorâ quoque aliquâ jam ornatum.

In libro Juchaſin fol. 132. col. 1. ובשנת תתקנו כח למנחם היה שמד גדול במלכות ליאון ואז הוציאו משם ספר הארבעה ועשרים אשר נקרא הביבליא שכתב אותם ר׳ הלל ומשם היו מגיהים כל הספרים ואני ראיתי חלק מהם שנמכרו באפריקא ובזמני היה ט׳ מאות שנה שנכתבו : והקמחי אמר בחלק הדקדוק בפסוק למען תזכרו שהחומש היה בטוליטולא hoc eſt, *Anno 956.* (vel 984. ſi addas כ״ח) *fuit perſecutio magna in regno Leonis, in quâ eduxerunt inde Librum viginti quatuor, qui vocatur Biblia, quæ ſcripſit R. Hillel, Ex eo corrigebant omnes libros; & vidi ego partem ejus divenditam in Africa. Meo autem tempore fuerunt 900. anni, quòd ſcripta fuerunt. Et Kimchius teſtatur in ſua Grammatica, Pentateuchum illius exemplaris fuiſſe Toletolæ.*

Contra hoc Teſtimonium variè excipit Revelator;

Primò dicit, *Authorem libri Juchaſin non affirmare, volumen illud fuiſſe Vocalium & Accentuum notis diſtinctum: Potuiſſe ex eo emendari Biblica exemplaria quoad literas ſive conſonas, ob venerandam libri illius antiquitatem, non item quoad Vocales & Accentus, quæ non affirmet extitiſſe in eo volumine.*

Ad hoc reſpondeo; omninò authorem libri Juchaſin affirmare, volumen illud fuiſſe Vocalium & Accentuum notis diſtinctum. Facit hoc, dum aſſerit, hoc idem eſſe exemplar illud, cujus mentionem facit Kimchius. Kimchius enim id affirmat; ut ſequentia teſtimonia comprobant.

In Michlol fol. 93. col. 1. ſcribit: וכתב רבי יעקב בן אליעזר כי בספר הללי אשר בטולידולא מצא וכל מבחר נדריכם אשר תדרו הדלת רפה h. e. *Rabbi Jacob ben Elieſer ſcripſit, ſe in libro Hilleliano, qui Toletolæ aſſervatur, inveniſſe Deut. 12. v. 11. in* תדרו *Daleth raphatum, h. e. ſine Dages lene, vel cum lineola Raphe.*

Pſal. 109. v. 10. ad ודרשו ſcribit idem: ומלת ודרשו נקראת בקמץ רחב כמו ושמרו דרך יי׳ : וכן קבלנו קריאתה : ובספר הלולים אשר בטוליטולא כתוב עליו במסרה לית כוותיה חטף : וכן כתב הנגיד שמצא אותו במסרת כן שהוא חטף h. e. *Vox* ודרשו *legitur cum Kametz lato, ſicut* שמרו, *Et ſic accepimus ejus lectionem. In libro*

verò

verò Hilleliano, qui aſſervatur Toletolæ, aſcriptum eſt in Maſora, Non extat amplius cum Chatephkametz (i.e. Kametzchatuph, Kametz rapto). *Et ſic ſcribit Nagid, ſe itidem in Maſora inveniſſe, cum Kametzchatuph ſcribendum eſſe.* Nota, quamvis hic ſcribatur הלולים, ex adjecta tamen circumſtantia loci facilè liquere, illum eundem librum intelligere, quem prius.

Idem in libro Schoraſchim in Radice שום, de voce תְּשׂוּמֶת, 2.Sam.13. וְהַמֵּם בִּסְגוֹל שֶׁלֹּא כְּמִנְהָג וְהוּא כְּמוֹ בְּפַתַּח וּבְסֵפֶר הִלָּלִי אֲשֶׁר בְּטוֹלֵיטוֹלָה הוּא בְּפַתַּח h.e. *Mem eſt cum Segol præter morem, & eſt loco Pathach. Et in libro Hilleliano, qui eſt Toletolæ, notatum eſt cum Pathach.*

Meminit hujus libri etiam, ex quodam antiquo Manuſcripto volumine Biblico, Mercerus Prov.24.v.14. ad vocem דְּעֶה: *In Manuſcripto*, inquit, *per Tzeri ſcribitur, ſed ad marginem notatur; In* Hilleli *per Segol ſcribi.*

Idem docet nos R.Moſes bar Nachman, in Commentario ſuo ſuper librum Jezirah, ut videre eſt ſup.pag.55.

Ex his ergo liquet, Hillelianum hoc exemplar Puncta habuiſſe, & proinde fruſtraneam eſſe primam hanc exceptionem.

Secundò excipit; *Etſi probari poſſet, volumen illud fuiſſe Vocalibus Punctis & Accentibus diſtinctum, non continuò cauſam vincerent Punctorum Patroni. Nam primò non unus fuit Hillel inter Judæos. Quidni potuerit deſcriptum eſſe illud volumen ab aliquo Hillele poſt 500. Chriſti annum? aut ſaltem ab Hillele hannáſi, qui in Judæa circa annum Chriſti 340. florebat? Neque enim tempus illud multum antecedit 400. Chriſti annum, poſtquam dicimus puncta fuiſſe excogitata.*

Reſpondetur: Etſi concedamus (neque n. aliud cenſemus) Hillelem, qui hunc codicem deſcripſiſſe fertur, non fuiſſe *Hillelem* illum *ſenem*, cujus in Talmude frequens fit mentio, quique centum circiter annis ante deſtructionem Templi ſecundi floruit; ſed alterum, *Hillelem hannáſi*, ſeu *principem*, qui in Judæâ, circa annum Chriſti 340. floruit, & nepos fuit R. Jehudæ ſancti; tamen hoc nec Antiquitatis Patronis obeſt, nec Novatoribus prodeſt. Nam, ſi 340. mo anno Chriſti hoc exemplar fuit ſcriptum, &, ſi punctis fuit inſignitum, uti modò demonſtravimus, fuerunt certè punctata exemplaria ante Maſorethas Tiberienſes.

Hunc

Hunc verò Hillelem intelligi, teſtatur author libri Tzemach David, ſub anno 956. fol. 56.

Probabile fit illud inde, quòd iſte Hillel, non ſolùm in Judæa, ſed nominatim Tiberiadi, ubi hæc ſtudia floruerunt, vixerit, uti teſtatur Epiphanius lib. 1. contra Hæreſes tomo 2. fol. 60. editionis Baſileenſis: *Hic Joſephus* (de Tiberiade, ut eſt in præcedd.) *inter dignitate præſtantes viros apud ipſos* (Judæos) *connumeratus erat. Sunt autem hi poſt Patriarcham Apoſtoli appellati, aſſidentq; Patriarchæ, & cum ipſo ſæpè aſſiduè in nocte ac die degunt conſulendi gratiâ, ut referant ad ipſum ea quæ ſunt in Lege. Patriarcha autem* (Tiberiadis, cujus in præcedd. verbis nominatim mentionem facit) *illo tempore Ellel nomine erat. Arbitror enim Joſephum ſic nomen ipſius dixiſſe, ſi non ex tempore fallor, &c.* Mox refert, eundem Ellelem à quodam Epiſcopo, vicino *urbi Tiberiorum*, baptizatum, & ad fidem in Chriſtum converſum eſſe, quæ Epiphanius audiſſe ſe dicit à Joſepho illo ſeptuagenario. Hunc Ellelem Epiphanii eundem fuiſſe cum illo Hillele hannáſi Judæorum, arguit 1. quòd dicit eum Patriarcham fuiſſe. 2. Temporis circumſtantia. Eódem enim tempore vixit Epiphanius.

Alii quidem etiam fuerunt Hilleles, qui recenſentur in libro Juchaſin fol. 80. col. 1. ſed iidem, temporis ratione, vel huic Hilleli æquales, vel ipſo non multò inferiores, Maſorethis verò Tiberienſibus ſuperiores, omnes fuerunt. De quocunque igitur intelligatur, ſtat Punctorum major antiquitas, quàm Maſoretharum Tiberienſium. Illum autem *Hillelem principem* intelligi, arguit denominatio Synecdochica, codici huic attributa; *Codex Hillelianus.* Id enim honoris non cuivis defertur.

Itaque huic Exceptioni non ſatis fidens Revelator, ad aliud confugit;

Deinde, inquit, *quidni poſſit falſus eſſe voluminis illius titulus, in quo Hillel narratur fuiſſe ejus deſcriptor? quidni aliquis (ut fucum faceret, & volumen illud redderet magis vendibile & commendatum, majoremq; ex eo emungeret vim pecuniæ) ementitum titulum illi affinxerit? Eſtne hæc fraus nova & inaudita, aut ea impoſſibilis cuiquam videtur?*

℟. A' poſſe ad eſſe non V. C. Potuit fraus aliqua concurrere & intervenire, neque hoc eſt vel impoſſibile vel inauditum. Sed fortaſsis in re incerta non tantam fidem obtinuiſſet ſtatim codex

aliquis ſuſpectus, ut κατ᾽ ἐξοχὴν à tam celebri viro nomen & titulum accepiſſet *Hillelıani*, ſc. codicis. Elogium hoc tam abſolutè ei datum, authorem arguit fuiſſe & celebrem & certum.

Sed pergit, & ulteriùs ait; *Potuit fortè volumen illud ſcriptum eſſe à magno Hillele quoad Conſonas, non autem quoad Puncta Vocalia & Accentus. Annon enim antiquo illi volumini (ſi modò tam antiquum eſt) potuerunt addi Puncta & Accentus, ſive ab ipſis Punctatoribus Maſorethis, ſive ab aliis juxta Maſorethicam punctationem, & ſecundum exemplar ſive Codicem Maſorethicum?*

℞. Potuit & hoc fieri: ſed & non fieri potuit: Et R. D. Kimchi volumen hoc allegans, allegat illud, uti vidimus, præcipuè ratione punctorum.

Denique, ait, an unius recentiſſimi Judæi ſubleſtæ fidei teſtimonium præponendum erit tot tamq; validis argumentis, quæ adverſus Punctorum Antiquitatem protulimus?

℞. Ego non innitor duntaxat teſtimonio authoris libri Juchaſin, ſed & aliis, qui hujus codicis mentionem faciunt, R. D. Kimchii præſertim, qui codicem hunc *Hillelianum* vocans Anno 1190. aut circiter, procul dubio eum authorem agnovit, à quo librum illum denominavit: R. Moſis Gerundenſis, & Manuſcripti illius, quod Mercerus citat.

Quàm verò argumenta illa ſint valida, quæ adverſus Punctorum Antiquitatem protulit Revelator, ſuperiori libro viſum. Sed nec nos huic Authoritati ſoli, vel etiam adeò multùm, innitimur. Habemus, uti viſum, alias longè luculentiores. Non verò prorſus eliminandum cenſuimus. Quæ non proſunt ſingula, juncta juvant.

Et ſi *unius Judæi teſtimonium tam facilè eſt rejiciendum*, quid Eliæ faciendum erit, qui Punctorum Novitatem ſolus & unicus contra omnes Judæos aſſerit & defendit, quam fidem merebitur ille?

Certè, ſi hodieque adhuc Judæorum, vel etiam alias Bibliothecas, perquirere liceret, nullus dubito, quin canæ & venerandæ admodum antiquitatis libros reperire eſſet, qui, ſi non Talmudicorum, ſaltem Ben Aſcheris, quem Revelator facit Perfectorem Punctationis, ſæculum & ætatem ſuperarent.

II. In hunc cenſum conſiderent cordati Lectores, annon

annon & hoc venire poſſit, quod primi Grammatici Hebræi jam mentionem faciant antiquiſſimorum exemplarium Punctatorum.

Nam; ſi Puncta à Tiberienſibus ante mille circiter annos demùm inventa eſſent, tum omninò hoc inventū, primorum Grammaticorum tempore, non potuiſſet eſſe antiquum, ſed noviſſimum: quia ſuprà demonſtravimus, Grammaticos primos cœpiſſe jam ante 800. & 900. annos; & per conſequens, illorum tempore non potuiſſent eſſe valdè antiqua exemplaria punctata.

Atqui primi & antiquiſsimi Grammatici mentionem jam faciunt vetuſtiſsimorum Codicum Biblicorum manuſcriptorum, Punctis inſtructorum. Ergo, &c.

Minor probatur teſtimonio ex Aben Eſra. Hic dum Grammaticos recenſet in libro מאזני לשון הקדש mentionem facit cujuſdam *Adonim Ben Laſrat, Feſſani Arabis*, etiam ante R. Jehudam & R. Jonam, qui ab aliis primi vocantur Grammatici. Atqui idem Aben Eſra ſcribit Pſal. 9. v. 7. ad vocem חֳרָבוֹת, cum Chatephkametz in libris noſtris ſcriptam; אָמַר בֶּן לַבְרָט כִּי מָצָא חֲרָבוֹת בְּפַתַח בְּסֵפֶר קַדְמוֹן *Dicit Ben Laſrat, quòd invenuerit* חרבות *cum Pathach, in vetuſto quodam exemplari.* Ergo primorum Grammaticorum tempore jam ספָרִים קדמוֹנִים *Codices Biblici punctati vetuſti*, atque adeò incertæ antiquitatis, habebantur. Hoc enim ſibi vult Nomen hoc קַדְמוֹן, quod longe efficacius & ἐμφατικώτερον eſt, quàm יָשָׁן. Id verò vix eſſe poſſet, ſi Puncta Maſorethis Tiberienſibus non eſſent antiquiora.

III. Tempore R. Saadiæ jam fuerunt Biblica exemplaria punctata, qui floruit circa annum Chriſti 927. quia ille, uti alibi vidimus de iis jam judicavit, & antiquorum Babylonicorum & Hieroſolymitanorum mentionem facit. Hæc ſaltem funditùs ſubruunt fabulam illam de ſucceſsiva Punctorum inventione, & de Ben Aſcher & Ben Naphtali, Punctationis ſeu inventoribus, ſeu conſummatoribus.

Et hujus generis plura fortaſsis indicia reperientur, ſi quis attendere, & huic rei operam aliquam impendere bonâ fide & induſtriâ velit.

Caput VIII.

In quo ex ſcriptione ipſa Textus Sacri; & præcipuè ex tribus literis אוי, quæ Matres Lectionis appellantur, Antiquitas Punctorum probatur.

QUod ſi Scriptionem, ſeu modum & rationem ſcribendi ipſam, in Bibliis Hebraicis uſurpatam, conſideraverimus, illa quoque nobis argumentum ſuppeditabit, quo non abſque veri ſpecie & ſimilitudine longè major Punctationis Antiquitas elicietur, quàm novus noſter Revelator eſt commentus.

Conſtat, quando Hebraica ſine punctis ſcribuntur, abſentiam Punctorum vocalium ſuppleri tribus his literis י, ו, א, hasque efficere, ut Lectori nonnihil linguæ perito facilis, aut ſaltem non ita difficilis vel impoſsibilis, fiat lectio; non quidem ubique ad omnium ac ſingularum vocalium ſupplementum, ſed ubi neceſſarium, & voces ambiguæ eſſe poſſunt: Et ſi id non fieret, magnam & inextricabilem fore illam lectionem.

Atqui in Scripturâ Biblicâ hoc non eſt obſervatum, & innumeræ ſunt voces, in quibus hæ literæ deſiderantur, & quidem in iis locis & vocabulis, in quibus, abſentibus punctis, omitti nec ſolent, nec debuerunt; imò ubi etiam regularis ſcriptio & flexio Grammatica illas requirebat, quod non factum fuiſſet, ſi vocales planè nullæ fuiſſent.

Itaque videntur tum temporis, cum iſtæ voces ita ſcriberentur, Vocales jam fuiſſe, ſed ſtudio omiſſas, & ex punctatis exemplaribus cognitas ac ſuppletas fuiſſe.

Jam verò *hæc defectiva ſcribendi ratio non eſt nova, ut quis exiſtimare fortaſſis poßit, olim, punctis abſentibus, frequentiùs has literas adſcriptas fuiſſe;*

fuiſſe; accedentibus verò punctis, tunc demum exemptas eſſe & eraſas, ut vult Revelator.

Conſtat enim, quantâ ſuperſtitione rationem hanc ſcribendi obſervent Judæi, adeò ut, ſi Liber aliquis Legis vel literam unicam deficientem ſuppleret & adderet, aut vocem plenè ſcriptam defectivè ſcriberet, hoc ipſo Liber profanus fieret, ſicut disertè legitur in Præfatione libri מנחת כהן, ubi inter alia huc pertinentia ſic ſcribitur, כל המלאים והחסרים אם דמלא הוא חסר ואם החסר הוא מלא הס״ת פסול ואסור לקרות בו והקורא בו פוגם בשמא דמלכא חו h. e. *Omnium vocum plenarum & defectivarum hæc eſt ratio, ut ſi plena vox ſcribatur defectivè, vel defectiva ſcribatur plenè, Liber Legis eo ipſo profanus & illegitimus fiat, prohibitumq; ſit in eo legere: & qui legit in eo, contumeliam infert Nomini Dei, &c.* Id ibidem teſtimonio Zoharis confirmatur. Conſtat, illos rationem hanc ſcribendi Moſi ipſi attribuere; Conſtat, illos jam antiquitùs, hujus etiam rei causâ, omnes Legis literas numeraſſe: Conſtat, Septuaginta Interpretum tempore jam hoc fuiſſe, ut qui non in uno loco, ſed pluribus, ſcriptione hujuſmodi defectivâ ſeducti, alios ſenſus introduxerunt: ut huic effugio planè nullus relinquatur locus.

Neque etiam ſufficiens eſt hæc exceptio, quâ dicit; *Non omiſſas eſſe in Textu Hebraico has literas, niſi iis in locis, in quibus à prudenti & cordato lectore ſuppleri & divinari facilè poſſunt; tùm ex aliis indiciis, literis nempe ſervilibus, & vel maximè ex antecedentium conſequentiumq; attenta conſideratione, totaq; ſerie ac ſtructura ſermonis.*

Reſpondetur enim 1. Negando, rem ita habere. Loca namq; producentur, in quibus etiam prudens & cordatus Lector dubius ſæpè, ſi non in totum, ad tempus ſaltem, hærebit.

Ex. Gr. Vav deficiens in Verbis pluralibus tertiæ perſonæ: item in pronomine affixo tertiæ perſonæ הו, inſolens planè eſt ſcriptio, ſi puncta non ſint appoſita, & lectionem valde dubiam efficit & ancipitem: ut וְכִבְשֻׁהָ pro וכבשוה Gen. 1. 28. וַיַּכֻּם, ויכום, Joſue 11. 8. וַיִּרָשֻׁם Deut. 2. 21. וַיַּנִּחֻהו pro ויניחוהו, Gen. 19. 16. וַיֹּצִאֻהו, pro ויוציאוהו Ibid. יַהַרְגֻנִי Gen. 26. 7. יַהַרְגֻן pro יהרגון, Zachar. 11. v. 5. יִרְאֻנִי, 2. Sam. 14. 15. ויתנה, 2. Reg. 22. 5. & ſimilia innumera. Quis quæſo ſine punctis ſcribens, hac orthographia & ſcribendi ratione uteretur? Aut quis crebrò in talia incidens, non obhæreret, & incertus redderetur?

Sic idem Vav irregulariter deficit ſæpe in forma Conjugationis Hiphil verborum quieſcentium primâ radicali Vau, quod minime deberet fieri, cùm locum illic ſubeat primæ literæ radicalis Jod: ut וַתֵּצֵא, pro וַתּוֹצֵא, Jer.32.21. וַיֵּשֶׁב 2.Reg.17.6. וַנֹּשֵׁב, Eſræ 10.2. הֹסִיף, 2.Reg.24.7. וַיֵּרֶד, וַתֵּרֶד & ſimilia.

Eadem litera etiam, præter conſuetam ſine punctis ſcribendi rationem, omittitur in verbis quieſcentibus ſecundâ radicali Vav, ubi etiam eſt radicalis, ac propterea nullâ ratione omittenda eſſet; ut, שָׁב pro שׁוּב: שָׁבָה pro שׁוּבָה: יָקֻם, pro יָקוּם, &c.

Sic in terminatione plurali nominum fœmininorum: ut מְאֹרֹת, Gen.1.14. מְאֹרֹת, Gen.5.4.31. חֲגֹרֹת, Gen.3.7. לְדֹת: תֹּלְדֹת, &c.

Sic in aliis: שְׁבֻעִים, Lev.5.12. &c.

Jod, mater lectionis Chireck, ejuſque indicium, ſæpè quoque præter normam & formam omittitur: ut וַיִּרְצֵהוּ: וַיְבִאֶהָ: וַיִּלְבְּשֵׁם וַאִשִּׁם: והאמן: ותינק: והוכח, &c.

He deficiens in fine: וּמְצֶאןָ, Ruth. 1.9. לָכֵן v.12. קְרֶאןָ v.20.

Inſuper valdè ambiguè ſæpè *He ponitur loco Vav*, ad indicandum Cholem aut Schureck: ut עֻזֹּה Habac.3.3. אָהֳלֹה, Gen.13.3. עֶזְרֹה Ezech.12.14. שִׁירֹה, Pſ.42.9. וַיִּשְׂרְפֻלֶתָה, Joſ.11.16. *Pro Schureck*; וַיְהִי, *pro* וְהָיוּ.

An quæſo hæc ſapiunt contextum ſeu Scripturam punctis vocalibus deſtitutam? Aut quis unquam vidit ullum ita ſine punctis ſcribentem? Egò certè non memini, me tale quid unquam in ullo libro non punctato obſervare. Cum punctis equidem ſic ſcribi poteſt; ſine punctis non: Nam uſus repugnat. Cùm enim Hebræi ſine punctis ſcribunt, in his & ſimilibus literas iſtas nullo modo ſolent omittere. Quod ſi difficultas & homonymia, harum literarum ſubſidio, tollitur in ſcriptis humanis & profanis, cur non idem factum eſſet in Divinis? Quæ ratio, quod uſus & conſuetudo iſta rupta eſt in ſacris, ubi omnium minimè debuit?

2. Scriptura Sacra non ſolis prudentibus & cordatis legenda eſt expoſita (quamvis meritò omnes tales eſſe deberent) ſed omnibus promiſcuè, Viris, mulieribus, ſenibus, adoleſcentibus, doctis & indoctis. Itaque longè probabilius eſt, infirmiorum hic fuiſſe habitam rationem, & illorum captui accommodatam fuiſſe ſcriptionem, non verò firmis duntaxat & robuſtis. Et ſi in his locis, prudentibus & cordatis fuit lectio divinanda, quid facere potuerunt

runt non prudentes, non cordati, ſed homines ſimplices & rudes? An verò credibile eſt, Deum verbum ſuum ita ſcriptum populo ſuo exhibere voluiſſe, ut ubiq; ipſis fuerit obhærendum, & de veræ lectionis divinatione cogitandum? vel potius, lectionem fuiſſe planam, ut attentus Lector etiam de rebus cogitare potuerit. Cui bono, vel quo conſilio, ſcopuli tam infiniti?

3. Quis certò aſſeveret, Uſum iſtum harum literarum fuiſſe ante inventionem punctorum, ac non potiùs poſt illorum inventionem demùm natum; cùm lingua Hebræa, & ſtudia, magis magisque inter Judæos decreſcere inciperent. Cum in Bibliis iſta ratio, & vicaria ſeu ſubſidiaria illarum opera non ſit obſervata, videtur omninò, conſuetudinem hanc cepiſſe, poſteaquam puncta jam exſtitiſſent, ſed crebro in ſcriptis omitti inciperent.

Quicquid ſit, ratio iſta ſcribendi defectiva, per omiſsionem harum literarum, creberrima in Bibliis, & quidem in locis maximè neceſſariis, mihi non leve videtur argumentum ſuppeditare, Punctorum magnæ antiquitatis: ac vix mihi poſſum perſuadere, orthographiam hanc obſervatam fuiſſe eo tempore, quo nulla planè vel erant, vel addebantur, Punctorum vocalium figuræ.

Neque me movet, vel huic contrariatur, quòd Aben Eſra Exodi 20. in eos invehitur, qui myſteria captant in omiſsione quarundam harum literarum, & rationes ejus rei ubique inquirere & reddere conantur; eò quòd fortuitò iſta eveniant, & ſit in ſcriptoris arbitrio literas iſtas ſerviles vel exprimere, vel ſupprimere.

Nam 1. non loquitur Aben Eſra de omnibus his exemplis:

2. Aben Eſra non ſtatuit, Puncta demum à Maſorethis Tiberienſibus eſſe inventa, ſed præſuppoſuit Vocalium notitiam, & Punctorum antiquitatem. Hoc autem præſuppoſito, ego quoque fateor, non multum intereſſe, defectivè an plenè voces ſcribantur: & nimiam curioſitatem ſapere, ubique in talibus myſteria locare velle.

Caput

Caput IX.

In quo ex Muſica arte, apud Veteres Hebræos laudatiſſimâ & notiſſimâ, Argumentum ducitur pro Accentuum Antiquitate.

PArte primâ hujus operis cap. 7. pag. 94. Argumentum pro Punctorum Antiquitate duximus ex eo, quòd Hebræi teſtentur, antiquitus, cùm Textum Biblicum, tùm Textum Talmudicum, quem Miſchnam vocant, fuiſſe certâ melodiâ decantatum. Id verò cùm ſine notis ac figuris certis nec fieri, nec propagari potuerit: videri, neceſſariò hinc ſequi, Accentuum & notarum Muſicarum figuras illos habuiſſe. Quæ enim divina memoria potuiſſet tantam, per tot integros & diverſos libros, legendi & cantillandi varietatem retinere? Nam id vel Ordine ac ratione aliquâ certâ factum eſt, vel Confusè, pro cujuſque arbitrio. Hoc verò poſterius nec credibile, nec veroſimile. Ergo modo priore. Si ratione certâ, oportet vel hujus rei fuiſſe præcepta, vel ſigna, vel utrumque. Nudis præceptis oralibus res hæc conſtare non potuit. Ergo & ſignis. Quod ex eo confirmatur, quod ſupra audivimus Hebræos teſtantes, Miſchnas antiquas repertas eſſe, cum fuiſſe Punctis & Accentibus inſtructas.

Huic Argumento videtur aliud adjungi poſſe ſimile, ad alteram nos antiquitatem deducens.

Notum eſt ex Sacris literis, quantus olim in Templo uſus fuerit Muſicæ cum Vocalis, tum Inſtrumentalis. H[illegible] tium non poſtremam [illegible] cùm à David deſtinabantur [illegible] præſtantiſſima Levitica, ut videre eſt 1. Paralip. 15. v. 16. & [illegible] & 30. & capite 25. toto. Quod deinde inſtitutum ulterius confirmabatur & perficiebatur à Salomone, uti legere eſt. 2. Paralip. cap. 8. & ab Ezechia, 2. Paralip. 29. Quin & Reges, aliique è popu-

pob Principibus ea ſe delectabant, eamque excolebant. Hinc ſcribitur in libro Coſri parte 2. §. 64. אֲבָל חָכְמַת הַמּוּסִיקָה תַּחְשׁוֹב בְּאוּמָּה שֶׁהִיא מְחַלֶּקֶת הַנִּגּוּנִים וּמַעֲמֶדֶת אוֹתָם עַל הַגְּדוֹלִים שֶׁבָּעָם וְהֵם בְּנֵי לֵוִי הַמִּתְעַסְּקִים בַּנִּגּוּנִים בַּבַּיִת הַנִּכְבָּד בָּעִתִּים הַנִּכְבָּדִים וְלֹא הָיוּ צְרִיכִים לְהִתְעַסֵּק בְּצָרְכֵי הַפַּרְנָסָה בְּמָה שֶׁהָיוּ לוֹקְחִים מֵהַמַּעַשְׂרוֹת וְלֹא הָיָה לָהֶם עֵסֶק זוּלָתִי הַמּוּסִיקָא וְהַמְּלָאכָה נִכְבֶּדֶת אֵצֶל כָּל בְּנֵי אָדָם כַּאֲשֶׁר הִיא בְּעַצְמָהּ אֵינָהּ גְּרוּעָה וְלֹא פְּחוּתָה וְהָעָם מֵחֲשִׁיבוּת הַשֹּׁרֶשׁ וּזְכוּת הַטֶּבַע כַּאֲשֶׁר הֵם וְרָאשֵׁיהֶם בַּמְּלָאכָה דָּוִד וּשְׁמוּאֵל h. e. *Scientia autem Muſicæ præ aliis honorata & præcellens fuit olim in gente noſtra, quæ Melodias ſeu modulandi modos diſtinguebat, & maximus in populo demandabat, Filiis ſc. Levi, exercentibus eam in Domo præſtantiſſima* (Templo) *& Temporibus præſtantiſſimis* (in feſtivis ſolennitationum tempore). *Atque ut tanto melius huic rei incumbere poſſent, immunes erant a cura victus & ſuſtentationis ſuæ* (accipiebant enim eam ex Decimis) *nulliq; alii rei vacabant, præterquam Muſicæ. Ars autem hæc erat honoratiſſima inter homines, prout per ſe revera non vilis aut vulgaris cenſeri debet: Populus quippe* (qui ſc. ei operam dabat) *erat ex radice nobiliſſima & natura purisſima: quia & ex capitibus & primum inventoribus hujus artis erant David & Samuel* (vide ſupra ad 1. Paralipom. 9. v. 22. *ipſi autem fundavit David & Samuel videns in officio ſuo*, & v. 33. ubi Cantorum etiam ex Levitis fit mentio).

Sequitur; וּמָה תַּחְשׁוֹב בַּמּוּסִיקָא הֲדַיִּי יוֹדְעִים אוֹתָהּ עַל אוֹפַנֶּיהָ אִם לֹא *Quid vero cenſes, exiſtimaſne illos Muſices peritos fuiſſe ſecundum modos ejus, an vero non?* (h. e. Putaſne illos ex artis intellectu Muſicam, & perfectam ejus cognitionem habuiſſe, necne?) Reſpondet Cuſar: שָׁמָּה בְלִי סָפֵק נִכְרֶתֶת וְשָׁבָה הָיְתָה מְעוֹרֶרֶת הַנְּפָשׁוֹת כַּאֲשֶׁר יֹאמַר עָלֶיהָ שֶׁהִיא מַעְתֶּקֶת אֶת הַנֶּפֶשׁ מִמִּדָּה אֶל הֲפָכָהּ וְלֹא יִתָּכֵן שֶׁתִּהְיֶה הַיּוֹם בְּעֵרֶךְ מָה שֶׁהָיְתָה כִּי נִשְׁבָּה וְנִבְזָה וְנִתְעַסְּקוּ בָהּ שְׁפָחוֹת וּמְשֻׁגָּעִים מִבְּנֵי אָדָם אַךְ יָרְדָה עִם חֲשִׁיבוּתָהּ כַּאֲשֶׁר יְרַדְתֶּם אַתֶּם עִם חֲשִׁיבוּתְכֶם h. e. *Ibi, vel, Tunc temporis* (ſc. in Templo) *ſine dubio fuit perfectiſſima, & excitavit, alacres reddidit animos, quemadmodum dicitur de ea, quod animum poſſit a proprietate una permovere ad contrariam. Quod vero hodie de ea ſcitur, nihil eſt ad comparationem ejus quod fuit olim: quia contemptibilis quaſi facta eſt, dum ei operam dant ancillæ & ſtulti ac viles de populo. Itaq; decidit de dignitate ſua, quemadmodum & vos* (Judæi) *decidiſtis de dignitate veſtra.*

Quod ſi itaque Levitæ & alii Muſicam exercebant *ſecundum artem & diverſos modos*, conſideret quivis, an id fieri potuerit ſine notis & figuris? an item alios in hac arte potuerint erudire & inſtituere ſine notis, quod tamen fuit neceſſe? Si non potuerunt, tum vel has, quæ hodieque extant habuerunt, vel alias. De aliis, quas habuerint, nihil ullibi legitur. Quidni itaque poſſimus credere, eas notas eſſe illas ipſas, quibus adhuc hodie Sacra Cantica in Bibliis ſunt deſcripta; quamvis verus ipſorum uſus Judæis factus ſit incognitus & peregrinus. Et hoc eſt, quod Judæi dolent & deplorant, quod artis hujus Uſus & peritia, non ſigna & notæ inter ipſos perierint. De hoc nullum unquam apud eos planctum legi.

Caput X.

In quo proponitur aliud Argumentum; A Neceſſitate Figurarum Vocalium & Accentuum ad veram legendi rationem, poſt exceſſum Prophetarum, uſque ad Maſorethas Tiberienſes; vel ab Impoſſibilitate eam genuinam conſervandi & propagandi, uſque ad tempus Tiberienſium Poſt-Talmudicorum.

Elias in libro Maſſoreth Hammaſſoreth, poſtquam Argumenta ſua pro Punctorum novitate protuliſſe, ſic ea infert: [illegible] Puncta non extiterunt [illegible] *ſorum Sapientum, qui Talmud* [illegible] *tempore Virorum Synagogæ magnæ.* [illegible]

eu[illegible] [illegible] [illegible] furrent [illegible] [illegible] [illegible] tis & [illegible], ut ubi [illegible], [illegible], ibi ſemper [illegible] [illegible], ubi vero pendebat ſen[illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible], prout audiverant & [illegible] ex o[illegible]e Prophetarum.

Ad hæc ultima verba, quibus dicit [illegible] *Synagogæ magnæ, aut [illegible], qui illis temporibus vixerunt, non indiguiſſe [illegible] [illegible]*, ad hæc, inquam, ſic excipit & reſpondet Pater meus in Tiberiade, ſub finem cap. 9. *Quod [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] punctis*, quid [illegible] exercitati & periti in lingua Hebræa fuerint, ut carere his in legendo potuerint, *id de [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Prophetæ qui[illegible] [illegible] interfuerunt, [illegible] [illegible], ut [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] de poſteritate, apud quam ceſſatura erat Prophetia [illegible] [illegible], [illegible] Dei judicio, p[illegible] [illegible], dari & [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible] omnia tempora, & teſtatur [illegible] [illegible] dies [illegible]. [illegible] d[illegible]que d[illegible]t*, eos ex Prophetarum traditione & prælectione [illegible] [illegible] memoria, & ſcivisse, ubi paula facienda, aut ubi ſermo continuandus eſſet; *id de Prophetis immediate divinitus doctis, concedi poteſt: at apud ſequentes [illegible], & ipſos Talmudicos, uſque ad Maſorethas, id ſimiliter [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] memoria humana, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] poteſt, ut in [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] Maſore[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] [illegible] omni memoria, [illegible] temporis [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] efficaciori Spiritus Divini [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] conſilia Prophetarum (Zachariæ, Malachiæ & E[illegible]) [illegible] & auſpi[illegible] [illegible] regebantur?*

Hæc Parentis mei verba Revelator lib. 2. cap. [illegible]1. producit pro *N[illegible] [illegible]* contra Punctorum Novitatem, pro illorum Antiquitate. Propriè autem hic Pater meus non Novam ipſe formavit [illegible] contra Elve[illegible]: ſed reſpondet his verbis ad [illegible] [illegible], quam contra Antiquitatem Punctorum ibidem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], quæ hæc eſt,

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] magnæ, & qui [illegible] temporibus vixerunt, non indiguerunt, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], excogitatum, at[illegible] ad facilitandam rei [illegible] [illegible] [illegible] Sacro additum.

Zz 2

At nec viri Synagogæ magnæ, nec homines illorum ſeculi [illegible] punctorum & accentuum indiguerunt: quia per ſe [illegible] potuerunt, & lectionem ex ore Prophetarum accipere potuerunt.

Ergo non probabile eſt, ex illorum Schola & Concilio, vel [illegible] ſeculo, inventum hoc fabricatum & Sacro codici inſertum eſſe.

Ad hanc objectionem reſpondet Pater meus, diſtinguendo [illegible] Perſonas, tum etiam Tempora. Ipſi quidem Viri Synagogæ magnæ illis non opus habebant: ſed alii [illegible] quibus tamen etiam incumbebat Sacrarum literarum lectio & [illegible]. Et licet illo ſæculo, ait pro hominibus illius ſæculi non uſque adeo neceſſarium fuiſſet hoc ſubſidium; fuit tamen neceſſarium propter poſteritatem, cum [illegible] primis rationem [illegible] Viri Synagogæ magnæ tempore qui [illegible] Prophetiam [illegible] eſſe ceſſaturum, ingentes calamitates, perſecutiones, [illegible] ra & ingruitura, quibus verbum Divinum, [illegible] maximum ſit detrimentum paſſurum. Et [illegible] ut poſt Prophetarum tempora, per tot calamitates & perſecutiones, vera lectio per oralem traditionem conſervata fuiſſet. [illegible] Huc faciunt ea, quæ nos ſcripſimus ſup. p. 92. &c. [illegible] recurrat.

Itaque melius fortè feciſſet Revelator, ſi hoc Argumentum [illegible] bro primo interſeruiſſet, & ibi diſcuſſiſſet.

Sed hoc perinde eſt. Nam non [illegible] quin in hac reſponſione quoque contineatur Argumentum [illegible] quod, Punctorum Antiquitatem adſtruimus. Id verò [illegible] commode formari poterit, ut, quam [illegible] poſſit, [illegible] ſenſum Lectori in hoc negotio exponamus;

Si lectio vera & genuina, ſecundum Puncta & Accentus, [illegible] fuit conſervata uſq; ad Maſorethas Tiberienſes circa annum Chriſti 500. & tum demum [illegible] Puncta Vocalia & Accentus ad contextum Sacrum, ſequitur, [illegible] uſque tempus memoria fuiſſe retentam [illegible] legerunt.

At [illegible].

Ergo [illegible] Maſorethis hoc [illegible] factum.

[illegible] conſequentia eſt evidens.

[illegible] probatur duabus rationibus,

1. quia

1. quia nulla [illegible], nulla memoria humana, tot [illegible], tot millenarium [illegible] pronunciationes, tot earum voces ἀνωμάλως [illegible], retinere potuiſſet, niſi forte Prophetæ [illegible] edocti.

2. quia ſi maxime quorundam hominum ingenium & memoria adeo tenax & accurata fuiſſet, tamen & Temporis longitudo, inde a temporibus Prophetarum uſque ad quintum aut ſextum à Chriſto nato ſeculum, & Judæorum multiplices calamitates, exilia, perſecutiones, & διασπορὰ [illegible] continuationem & propagationem prohibuiſſent.

Itaque [illegible] probabile, [illegible] Sacro Textui à Maſorethis [illegible] cendum, eam lectionem mera illorum authoritate [illegible] (de qua argumento mox diſtinctim agetur).

Pergamus nunc & videamus, quid Revelator contra datum illud Eliæ argumentum Reſponſionum Parentis mei, Excipiat.

Excipit: *Hoc quidem argumento urgeri fortaſſe poſſe Eliam & reliquos qui cum eo ſentiunt Judæos, qui, pro gentis illius more & ingenio, [illegible] ſ[illegible] volunt eſſe* כ״ב הלכה למשה מסיני *quæ per Traditionem* παραδοθέντα *[illegible] Talmudicos [illegible] [illegible] toto Bibliorum contextu Hebraico vel [illegible] ne quidem Dageſch aut Raphe, qui non Moſi à Deo oſtenſus fuerit in monte Sinai, [illegible] docuerit LXX. [illegible] per Traditionem* παραδοθέντα *ad Maſorethas uſque poſt-Talmudicos [illegible] hæc de omnibus [illegible] traditio, prout ea [illegible] punctis expreſſa hodie [illegible].*

Ad hæc replico ego;

1. Me libenter audire, quod [illegible], hoc argumento urgeri poſſe Eliam. Sic enim non fruſtra diſputavit Pater meus; quia Elias ſolus & unicus ipſius objectum, ſeu antagoniſta quem [illegible].

2. Quod vero dicit; *[illegible] & reliquos qui cum eo ſentiunt Judæos &c.* qui volunt, [illegible] *per traditionem, ad Maſorethas uſque poſt-Talmudicos [illegible] & propagata, &c.* repetendum mihi, quod jam [illegible] & pœre, ut non mul-

tos, ſed vel [illegible] nominet, alleget [illegible] ſtatuerit maxime Eliâ antiquiorem. Si hoc præſtiterit [illegible], ſpondeo, illum me plurimùm ſibi in hac cauſâ obſtrictum habiturum, & publice faſſurum ac teſtaturum, Ab ipſo me didiciſſe, quod ego nullâ diligentia, nulla induſtriâ, nulla [illegible] ſollicitiſsimâ indagatione hactenus diſcere & reperire potui: [illegible] bo, illum tum revera Arcani Punctationis Revelatorem dicam & laudabo. Quamdiu verò hoc non faciet, [illegible] ſupponet, plures Hebræos in hac ſententia pro Maſorethis Tiberienſibus fuiſſe, toties ego dicturus ſum, illum Principium petere & gratis ſibi ſumere, quod vel maximè probandum erat.

3. Ἀμφιβολογία videtur inſigni hic ludere R[illegible], *Judæos nolle, [illegible] eſſe in toto [illegible] contextu Hebraico [illegible] mum apiculum, ne quidem [illegible] ſus fuerit in monte Sinai, [illegible]* etiam inter [illegible] *Judæorum* [illegible] & [illegible].

Nam videtur indicare velle, Judæos ſtatuere, Deum [illegible] monte oſtendiſſe, quibus punctis, quibusq; Accentibus [illegible] ſes librum ſuum ſcribere deberet, tum Prophetæ [illegible] eſſent ſcripturi, atque ita, quibus [illegible] ad [illegible] ſingulæ voces in toto contextu Hebraico [illegible] & legendæ. Hoc [illegible] & fabuloſum [illegible]. Sed non puto [illegible] [illegible] ita ſenſiſſe aut ſcripſiſſe. Itaque [illegible] telligat, producere [illegible] erunt R[illegible], qui ita [illegible] me [illegible] ſuerint.

[illegible], ſupra dictum eſt pag. [illegible] [illegible] in ſingulis [illegible].

Quod [illegible] Judæi [illegible] הלכה למשה מסיני [illegible] t. U[illegible] R[illegible], & [illegible]

obſervandum, ac ſi eſſet Traditio Moſis e monte Sinai, a Deo ac-
cepta & tradita. Exempli gratia Rabbi Maimonides ſcribit in הלכות קדוש החדש cap. 5. [illegible] הלכה למשה מסיני היא שבזמן שיש שם סנהדרין קובעין על פי [illegible] שאנו מחשבין בו היום Traditio Moſis e Sinai eſt, quod [illegible] tempore, quo [illegible] Synedrium, ſi en- [illegible] (novilunium) [illegible] ſupputationem, quam nos hodie obſervamus. Ad hæc verba animadvertit R. Moſes ben Nachman, (obſervante R. Azaria in Meor enajim cap. 40. fol. 126. b.) דרך שם הדבר מבורר והלכה למשה מסיני שלא נאמר בגמרא ולא נזכר בשום מקום h. e. [illegible] Traditionem Moſis è Sinai, id quod [illegible] in Gemara [illegible]. R. Azaria addit: וכן לא [illegible] מקום דהלכו מי שהורנו [illegible] אבל אני נאמר בזכותו שכוונתו על התחייבנו [illegible] לשמוע אל דבר [illegible] Neque etiam invenimus, quod aliquis eius interpretum oſtenderit locum huius Traditionis, aut authorem, unde eam habuerit. Nos vero ad eius excuſationem dicimus, quod ſcopus & intentio eius fuerit docere, nos obligatos eſſe obedire Domui Judicii in tempore neceſſitatis, &c. Sic etiam loquitur R. Chananeel (citante R. Bechai in Exod. 12. [illegible]) הלכה [illegible] הגדול [illegible] ל[illegible] על [illegible] פרטים [illegible] האחרונים [illegible] דרכי [illegible] אשר [illegible] בהדר אותו [illegible] בסיני באו Traditio Moſis de monte Sinai dicitur, quia [illegible] penes domum judicii magni, ſi [illegible] & intercalent pro arbitrio ſuo, &c. [illegible] omnibus & ſingulis particularibus [illegible] bus, ad rationes ſupputationis dirigendas [illegible]. Sic ſcribit R. Abraham [illegible] in ספר העבור lib. 2. porta 8. nomine R. Iſaaci ben Rabbi Baruch: ראוי לנו שנאמר כי כל החשבון הזה אשר אנו חושבים היום קבלה הוא בידנו ותקנה וסייג שסייגו לנו רבותינו לפי מה שנראה להם, ואנו שומרים אותו ומחזיקים בו כאילו היה נמסר מהר סיני כי כן אנחנו חייבים לשמור את כל [illegible] הנתונות לנו על ידי [illegible] רבינו h. e. Dicendum [illegible] omnis iſta ſupputatio, quam [illegible], ſit Traditio, Ordinatio, & Sepes, quibus [illegible] Rabbini [illegible] pro ſuo lubitu. Nos [illegible] & tenemus non aliter, ac ſi (NB) eſſent nobis tradita e monte Sinai, [illegible] omnes ipſorum conſtitutiones, quaſi præcepta eſſent data nobis per manus Moſis

[illegible]

Doctorum n[illegible]. Sic itaque intelligendi ſunt Rabbini, ſi qui ſunt qui dicunt, Totam punctationem per univerſum contextum Biblicum eſſe Traditionem Moſis e Sinaj. Pergamus.

Vidimus hucuſque, quomodo allatum argumentum Eliæ ſententiam lædat; nunc diſpiciendum quoque; Qua ratione [illegible] lator ſuam ſententiam ab eo liberare conetur? Hæc redit ejus ſententia:

Se non uſque adeò pueriliter delirare, ut exiſtimet, [illegible] reliquisq; V. T. Scriptoribus, ad Maſorethas uſque memoriâ [illegible] conſervaſſe omnes ad unum iſtos apiculos, qui [illegible] in [illegible] Maſorethis punctatis extant, quomodo puerulus aut pſittacus [illegible] & memoriâ tenet verba & voces [illegible], [illegible] didicit.

Sed ita ſentire; *Non ſtatim & ſubito in Babylonica captivitate, [illegible] poſt eam ſolutam, planè extinctam eſſe inter Judæos linguæ Hebrææ cognitionem. Nam etſi inter vulgus [illegible] [illegible] ſueſcere, invecta in ejus locum [illegible] Babylonica, & [illegible] [illegible] ctos, legisq; Divinæ ſtudioſos, conſervatam fuiſſe puriorem linguæ Hebrææ cognitionem tantam, quanta ſaltem ſufficiebat ad legenda [illegible] da Sacra V. T. volumina.*

Hoc fundamento poſito, conſtare, eum, qui linguam Hebræam [illegible] let, [illegible] illa eſt [illegible], facile [illegible] poſſe rationem [illegible] ca non punctata, ita ut, [illegible] & alteram paginam [illegible] expedite legere, eum ipſum [illegible] & memoriâ [illegible] poſſe & reliqua per ſe deinde [illegible] difficulter legere atque intelligere. Hoc [illegible] diverſam lectionem [illegible], &c.

Hæc [illegible] cum certa ſint, [illegible] [illegible] proxime [illegible] [illegible] [illegible] memoriâ [illegible] tibus ſingulæ [illegible] V. T. [illegible] diſcipulos à [illegible] nem ad [illegible] adhuc [illegible] ere [illegible] legere atque [illegible] erant [illegible] per ſe non difficulter legerent [illegible] uſque ad poſteros.

Hoc pacto (diverſimodè tamen, & gradu diſpari, prout ſcilicet unuſquiſque pro ſuo ingenio, memoriâ, induſtriâ valebat, proutq; magis ſedulò & attentè Sacræ lectioni incumbebat) ſuo quiſque modo, ratione & viâ maxime ordinaria, ab Eſræ tempore ad Maſorethas uſque, inter doctos, legis Divinæ ſtudioſos Rabbinos, unâ cum linguæ Hebrææ cognitione propagatam & conſervatam fuiſſe rationem legendi Hebraica non punctata; cujus rationis cum periti Maſorethæ eſſent, lectionem ſacram, quam tenebant & edocti erant, excogitatis Vocalium & Accentuum figuris, expreſſerunt.

Sententia ſuâ ſic explicata, confutationem non urget iſto argumento; Nam ſi quid Maſoretharum & eorum [illegible] memoriæ & traditioni παραδόσει tribuendum hic eſſet, id faciendum eſſet non ubique in ſingulis vocibus, ſed in locis duntaxat dubiæ lectionis, & [illegible] ſoſpitibus, in quibus hærere meritò quis poſſet, & dubitare, quo pacto legendum eſſet. At ea loca, inquit, non ſunt ita multa, ut ſine miraculo non poſſit is, qui huic uni ſtudio incumbit, ea tenere memoriâ, & quaſi in numerato habere.

Complectimur brevius: *Cùm ii, quibus lingua Hebræa eſt familiaris, adeoq; vernacula, aut qui [illegible] cognitionem eximiam habent, facile docere poſſint literas [illegible] non punctata legere & intelligere, mixta puncta & accentus [illegible] ingenio ſit opus, ut vel ex hodierna praxi patet; In Captivitate vero Babylonica, & poſt eam, inter doctos Legis Divinæ ſtudioſos conſervata fuerit Linguæ Hebraicæ cognitio tanta, quanta ſufficeret ad diſcendam rationem legendi & intelligendi Sacra V. T. volumina; hinc concluditur, facile, & ſine miraculo potuiſſe rationem legendi libros V. T. ſine punctis & accentibus conſervari & propagari uſque ad Maſorethas Tiberienſes.*

℞. *Primo*; Non quæritur hic in genere, An facile ſit Hebraica non punctata legere, necne? ſed in ſpecie, An facilis ſit ratio legendi contextum Sacrum Moſis & Prophetarum, ſine punctis; & an ſine extraordinariis Sp.S. donis potuerit per tot ſæcula, poſt exceſſum Prophetarum, conſervari & propagari?

Neque hic argumentari licet a facilitate addiſcendi rationem legendi Scripta Rabbinica non punctata, quæ hodie inter Hebræos & Chriſtianos viget, ad facilitatem lectionis librorum Biblicorum, punctorum & accentuum notis carentium. Magnam enim hic cernere eſt differentiam, in Scriptura, in

Stylo, in Rebus ipſis, & Mediis ſeu Compendiis diſſentiunt.

1. *Scriptura & Orthographiæ ratio* alia eſt in Scriptis Rabbinorum, alia in libris Biblicis. In Scriptis Rabbinorum accuratè obſervatur, ut tres illæ literæ י, ו, א, quæ *Matres lectionis* vocantur, diligenter ubique inſerantur, ad Vocalium vicem ſupplendam, neque ullibi facilè id negligitur, aut, ſi fiat, ſtatim dubitationem atque ambiguitatem parit. In Bibliis vero non ita, ut ſupra quoque jam docuimus; ſed frequentiſsimè omittuntur, etiam in iis locis, ubi minimè omnium omitti debuiſſent, & ubi Orthographia non punctatæ ſcriptionis ipſa repugnat. Hinc longe facilius eſt legere Rabbinica ſcripta non punctata, quàm librum aliquem Biblicum: adeo ut dicere auſim, me hujus rei cauſâ promptius & expeditius lecturum librum aliquem Rabbinicum, nunquam antea mihi viſum, quàm librum Biblicum punctatum, mihi notum, & ſæpius antea lectum atque relectum. Adhæc, ut alibi auditum, innumeræ penè ſunt voces anomalæ & irregulares, quæ abſque punctis aliter legi poſſent, quam punctatæ ſunt. Præterea, quot ſunt voces ignotæ? Ad has voces omnes memoriter tenendas, memoria opus eſt ſi non penitus divinâ, ea certe, quæ paucis eſt conceſſa. An vero credibile eſt, Deum voluiſſe verbum ſuum ita hominibus communicare, quod ab omnibus legi vellet, ſed à paucis promptè & emendatè legi poſſet? Inſuper in Scriptis Rabbinicis nulla habetur Accentuationis ratio, ut in Bibliis. Quotusquiſque hodie eſt, qui Accentuum adſcriptorum rationem intelligit? & ante ſexcentos & ſeptingentos annos adhuc memoriâ ex ſolo auditu percipere, & retinere eam potuerunt, non dico jam ſi [illegible] & ſingulos accentus, ſed ſolum ſecundum neceſſarios & diſtinguentes?

2. *Stylus* eſt diverſus: Rabbini communiter uti ſolent ſtylo plano & pleno, neque tot hiatibus aut ellipſibus moleſto, unde illi quoque ſunt faciliores; quia conſtructionis ratio ubique [illegible], aut certè, ſi quis ſit concisior & brevior, ut [illegible] Aben Eſra, ille quoque eſt durior & difficilior: Stylus Biblicus, ſi Hiſtoricos quoſdam libros excipias, eſt nervoſus, conciſus, [illegible], ellipſibus, Trajectionibus, & aliis figuris creber, in libris maximè Propheticis. Nec qui Jeſaiam vel alium Prophetam ſæpius, ac ſæpius cum punctis legerit, aut legi audiverit, ac præſumat,

ſtituat, ſe poſtea ex libro non punctato eundem emendare & ad mentem punctationis lecturum, eum ſummâ dignum dicam, ſi quod pollicetur, reipſa præſtare poſſit.

3. *Res ipſa* quoque magnum diſcrimen faciunt. Scripta humana agunt communiter de rebus nobis notis, ea notis, & captui noſtro accommodatis: unde facile eſt verba cum iis aptare & accommodare; licet hic quoque maximæ ſæpe oboriantur difficultates, quæ etiam exercitatiſſimos exercere ſolent. At verò longe alia ratio eſt ſcriptorum divinorum, res longe ſunt ſublimiores, ſenſus profundiores, &c.

4. *Media & compendia diſcendi ſunt alia.* Olim, cum nulla puncta extarent, vivâ tantùm voce poterant rationem legendi addiſcere: hodie præter vivam Præceptoris vocem accedit quoque Punctatio ipſa, ex qua linguæ fundamenta addiſcuntur, & poſtea demum, fundamentis his præjactis, acceditur ad diſcendam rationem legendi ſine punctis. Ita non tantum ex Auditu, ſed & Viſu hodie addiſcitur ratio legendi. Et tamen longâ atque diuturnâ exercitatione opus eſt, ut quis perfectus evadat. Teſtis eſt ipſe Revelator, linguæ Hebrææ per multos annos Profeſſor, quo neminem unquam vidi rationem legendi ſine punctis magis elevantem; & tamen, cum nuper duas tantum lineas capitis unius ex Majemonide, & quidem longe facillimi, vertiſſet, aliquoties, & quidem in certa ſtatim voce, ut ipſe fatebatur, fallebatur, puncta applicans & apponens. Quid igitur fieret, ſi integer illi liber vertendus foret, ſtylum habens durum & ſcabrum, ſi Propheticus aliquis liber, quem punctatum nunquam vidiſſet? Annon doctiſſimi fuerunt Hebræi LXX. Græci? Sanè id Revelator ipſe fateri cogetur: & tamen ipſi Punctorum Novatores docent, & fatentur, ex abſentia punctorum, ſæpe illos aliter legiſſe, quam legendum erat: aut, an illos ubique excuſabit, & Textum Hebræum accuſabit, ubi diſcrepantia reperitur? Si illo jam tempore, hoc eſt, vix centum poſt Captivitatem Babylonicam annis, & inter tantos Viros, errores inciderunt, quid futurum fuiſſet aliquot poſt ipſos ſæculis, & iis, qui nulla ratione cum ipſis in linguæ Hebrææ notitiâ comparandi fuerunt? Vel hinc ergo Lector cordatus, omni affectu ſepoſito, judicet, An poſsibile fuiſſet, uſque ad tempora Maſorethatum conſervare & propagare genuinam lectionem?

Apponamus huc judicium doctiſsimi Viri Marci Marini, ex Præfatione, quam Theſauro ſuo linguæ Sanctæ præfixit; *At, inquit, ut finem aliquando huic quæſtioni imponamus, illud ſatis deleret eſſe, ad oſtendendum, quòd neceſſariò ſemper puncta vocalia apud Hebræos extiterint; cùm alioquin impoſsibile propè eſſet, hanc linguam ediſcere, niſi longo temporis intervallo, ita ut verum eſſet de ea illud dicere,* Ars longa, vita brevis. *Neque mihi nunc objicias velim,* uſu & conſuetudine, vel etiam naturâ (ut Eliæ placet) poſſe legi libros Hebraicos punctis deſtitutos abſque ullo dubio, ne decipiaris, ex diligenti ſc. conſideratione verborum tam antecedentium, quam ſubſequentium, quemadmodum & nunc leguntur Judæorum libri præter Biblia: *Nam infinita ſunt dictiones in Scriptura Sacra, quæ, etiam poſt diligentem conſiderationem, vario modo & variâ ſignificatione poſſent legi; ut Ex. gr. apud Moſen ſæpius invenimus ſcripta,* עשיתם · צויתם *& hujuſmodi, quæ, niſi eſſet punctorum cognitio, ſcribenda erant juxta mentem horum innovantium cum litera quieſcente,* עשיתים צויתים: *nam alias ego ſemper legerem.* עשיתם · צויתם, *& præſertim apud Moſen, qui in unâ eademq; ſententia modò ex perſona Dei, & modò ex ſua loquitur. Alia eſt autem ratio de lectione hodierna Commentariorum, quæ novitatem horum potius refellit, quàm corroborat: nam ideò cognoſcimus, & valemus legere libros Hebræorum punctis deſtitutos, quia prius didicimus, quæ ſint puncta vocalia, ubi & quando ponenda. Adde quod Hebræi non addunt puncta vocalia ad vitandam prolixitatem, & fortaſſe non nihil errent, cùm ſæpius occurrunt dictiones, quæ alio atque alio modo legi poſſunt. Verum non magis refert, ſi Doctorum verba contra ſententiam eorum intelligantur in Sacro vero codice hoc ſatis periculoſum eſſet, niſi punctorum addendorum extitiſſet cognitio. Quod ſi non eſt neceſſaria Punctorum vocalium cognitio, quemadmodum iſti Novatores eorum aſſerunt, cur ſine illis non ediſcunt Linguam Hebraicam? Cur non ſtatim, ut agnoſcunt literas Conſonantes, legunt omnia volumina? At videmus, quod etiam poſt diligentem cognitionem punctorum, longumq; poſt temporis intervallum, niſi qui magis ætate docti ſunt, poſſunt legere eos libros, qui punctis carent, ut aut neceſſarium ſit, hanc linguam eſſe imperfectam, quod tamen ſuprà refellimus, aut punctorum cognitionem in ea neceſſariò requiri. Sed inquies,* Divum Hieronymum non vidiſſe puncta vocalia, & nihilominus benè doctum in Biblis evaſiſſe: *quaſi hinc velis oſtendere, quòd puncta vocalia*

ſint

ſint neceſſaria; cùm potius contrarium ex eo demonſtrare deberes, nempe Hieronymum ſæpius legiſſe ſecus quam nunc legitur. Poteſt & nunc quilibet diſcere Biblia punctis vocalibus deſtituta; verùm non ſtatim illud ſequitur, puncta non eſſe neceſſaria. Magiſtro quidem authore dices, בראשית בָּרָא אלהים Bereſchith bara Elohim; *at quid fiat, ſi alius* ברא Bero *legendum eſſe contendat? Videsne in ſingulis fidendum eſſe Magiſtro, ſi vocalibus careas? Ergo omnia a Magiſtro excipienda, tibi vero nihil fidendum, & ad illud iterum redimus,* Ars longa, vita brevis, *quæ omnia imperfectionem linguæ demonſtrarent.* Hactenus ille.

Secundò, ſi tam *facile, ſine miraculo, via maximè ordinariâ, potuit olim, ab Eſdræ tempore uſque ad tempora Maſoretharum,* Biblica lectio ſecundum puncta & Accentus neceſſarios addiſci, conſervari, & propagari; ergo de lectione iſta hodierna, quam Maſorethæ ſuis punctis, uti Novatores volunt, expreſſerunt, non dubitandum magnopere erit, utrum vera ſit ac genuina; niſi dicere quis velit, illos ſtudio lectionem mutaſſe, & novam invexiſſe. Hoc autem non puto ſentire Revelatorem noſtrum. Quod ſi verò Punctationis iſtius Maſorethicæ probitas & γνησία non ſit in dubium vocanda, quo fundamento nitetur Critica iſta Sacra, quam tanto molimine concepit, & a tot jam annis tam anxiè parturit Revelator?

Tertio, Probatione eget, quod gratis ſumit, Inde à captivitate Babylonica uſque ad Tempus Maſoretharum, & abſolutam punctationem, manſiſſe linguam Hebræam Judæis familiarem, tantamque ejus cognitionem, quanta ſuffecit ad diſcendam & retinendam ſine Punctis & Accentibus veram rationem legendi & intelligendi, ſecundum neceſſaria puncta & accentus; imo & hoc oſtendere debet, Cabaliſticam & oralem hanc traditionem continue ad illa uſque tempora, ſine ruptura & hiatu, continuatam fuiſſe, uſque ad Tiberienſes iſtos Maſorethas, imò uſque ad Ben Aſcherem & Ben Naphtali, circa milleſimum centeſimum Chriſti annum. Nam ſi catena iſta diſrupta fuit, quæritur, an ſatis bonâ fide, & ſatis cohærenter, poſtmodum iterum ſit connexa & protracta? Nihil certè horum ex Hiſtoria Hebraica probari poteſt: & omnia lubricam admodum conſtituunt αὐθεντίαν & puritatem Codicis Hebraici. Talibus verò principiis opus erat, ut liberior Criſis exerceri poſſet, & novi operis fundamentum conſtaret.

Quarto; quòd dicit; *ſi quid Maſorethærum, & eorum Anteceſſorum memoriæ & traditioni παρὰ παραδόσεων tribuendum hîc eſſet, id faciendum eſſet non ubique in ſingulis vocibus, ſed in locis tantùm dubiæ lectionis & difficilioribus*; id concedimus, & facilè damus, non magno adeò ingenio opus fuiſſe, ad quarundam vocum lectionem retinendam. Quod verò addit, *dubiorum & difficiliorum locorum, in quibus meritò quis hærere poſſet, & dubitare quo pacto legendum eſſet, non ita multa eſſe, ut ſine miraculo non potuerit quis, maximè qui huic uni ſtudio incumbit, memoria tenere, & quaſi in numerato habere*; hîc & ſibi ſuoque ingenio nimis multum; Scripturæ verò profunditati nimis parùm mihi tribuere videtur. Si cui periculum facere lubeat, ſumat vel Pſalterium, vel Prophetam Eſaiam, eumque cum punctis genuinis & neceſſariis Accentibus diſtinguentibus, decies imo vicies, aut tricesies ex libro Punctato legat, ac tentet poſtmodum in exemplari non punctato, an ſine errore ſingularum vocum Punctationem & Accentuationem, quam ex libro didicit, ſeu legendo, ſeu ſcribendo ex nuda memoria repræſentare & exhibere poſſit? *Deinde*; ſi maximè, quod ego nunquam credo, in unico libro quis hoc præſtare poſſet, quæritur, an idem facturus eſſet per totam Scripturam, & annon multitudo atque varietas confuſionem paritura eſſet? Ego quidem ingenioli mei hebetudinem agnoſco & confiteor, & aliorum aciem meritò ſuſpicio & admiror, prout decet: ſed, pro modica illa linguæ Hebrææ cognitione, quam Deus hactenus mihi conceſsit, ego non credo hoc cuiquam eſſe poſsibile, *niſi*, ut Coſri loquitur, *auxilio divino adjutus, & extraordinariis ad id a Deo donis inſtructus fuerit*. *Tertiò*, dato & conceſſo etiam, hoc fieri potuiſſe ab induſtriis, ſedulis, doctis, & huic uni ſtudio vacantibus; an omnes tales fuerunt, quibus Scripturæ lectio a Deo eſt mandata? imò quotuſquiſque etiam inter doctores, qui id faciat ac obſervet? quid aliis factum fuit, qui aliam Profeſsionem habebant, quomodo illi in Scripturæ lectione verſabantur? an credibile, illos ubique, ut mus in pice, hæſitaſſe? aut an veriſimile, Deum illos à lectione & vera genuinaque intelligentia ejus vel arcere, vel verbum ſuum ab ipſorum imperitia paſsim torqueri, laniari & lacerari voluiſſe? Pro ea, quæ, proh dolor, omnibus ſæculis inter Doctores viguit æmulatione, an diſcrepantiá inter illos oborta, minùs ingenioſus, minus doctus, minùs ſedulus, & induſtrius,

ſtrius, ſed ſimul ambitioſus, arrogans & φιλαυτὴς, magis ingenioſo, doctiori, & exercitatiori ſemper ceſſurus erat? Vix credo; Si non; quanta quæſo per tot ſæcula oboritura fuiſſent ſchiſmata, diſsidia, contentiones inter ipſos? Ecquæ vero hujus rei habentur veſtigia. Sanè qui hujuſmodi ſcribunt, in iis linguæ & literaturæ Hebraicæ major mihi videtur eſſe affectatio & præſumptio, quàm ſolida cognitio & experientia. Volunt videri, quod eſſe amant. Bullæ hæ ſunt meræ & ampullæ, quæ leviſsimo flatu diſsipantur.

Quintò Inſtat; *Eandem eſſe Punctationis Hebraicæ rationem, quæ eſt notularum Spirituum & Accentuum apud Græcos. Ut igitur primi harum notularum inventores, qui in Veterum ſcriptis Spiritus & Accentus addiderunt, non ideo id fecerunt, quod memoria tenerent ex traditione* πατροπαραδότῳ, *ab ipſius Homeri, & reliquorum veterum Scriptorum ævo, quo Accentu & Spiritu ſingulas voces veteres illi ſcriptores inter legendum extulerint: ſed id ex peritia & uſu linguæ ſciverunt. Sic & Maſorethæ, cùm ex linguæ Hebraicæ peritia ſcirent, quomodo voces, quæ in Sacro Textu occurrunt, eſſent efferendæ, lectionem illam quam hoc pacto tenebant, excogitatis à ſe Vocalium & Accentuum figuris expreſſerunt.*

℞. 1. Ut concederemus, ſimilem eſſe rationem horum; tamen non ſequeretur ſtatim, id quod inde concluditur. Omne enim ſimile quoque eſt diſsimile. 2. Diverſiſsima eſt hîc ratio. Punctatio Hebraica comprehendit omnes Vocales, quæ animam conſtituunt lectionis, ſine qua literæ quaſi ſunt mortuæ, nullum ſonum, nullum ſenſum edentes, totaq; ſcriptio imperfecta: Lingua Græca ſine his Spirituum & Accentuũ notis Vocales omnes, perfectamq; ſcriptionem habet. Accentus Hebraici indicant non ſolum quo tono quæque ſyllaba ſit efferenda, quod fortaſsis facilè ſcire poſſunt quibus lingua Hebræa eſt familiaris & vernacula, ſed comprehendunt etiam omnes majores & minores diſtinctiones, latiſſimumque habent uſum, ut ſub libro primo cap.14. docuimus: quæ omnia vix niſi docti ac literati, ubi ritè ac legitimè ſint adhibenda, aſſequuntur: Accentus Græci nihil aliud docent, quam quo tono quælibet vox ſit efferenda, quod non difficile fuiſſe Græcis olim cognitu, ex linguis noſtris vernaculis patet, in quibus nulla ejuſmodi ſigna apponuntur, aut certè rariſsimè, neque ullâ ad id traditione orali πατροπαραδότῳ opus. Et tamen cùm lingua Græca inciperet obſoleſcere, & hominibus fieri barbara & peregrina,

grina,

grina, poſteriores cœperunt hujuſmodi Accentuum & Spirituum notas excogitare, non propter doctos & peritos, ſed propter indoctos & illiteratos. Quanto igitur magis neceſſarium erat, ut cùm lingua Hebræa inciperet Judæis fieri barbara & peregrina, ejuſmodi notæ non ſolùm Accentuum, ſed & Diſtinctionum, & quàm maximè Punctorum Vocalium, excogitarentur, & libris iis, à quorum lectione nemo ſine ſalutis ſuæ diſpendio abſtinere poterat, adſcriberentur. Id vero cùm ſtatim a captivitate Babylonica ſoluta factum ſit, quâ ratione credibile eſt, per tot ſæcula Hebræos his notis caruiſſe?

Itaque ex his jam colligat cordatus Lector, an ſolidè ſatis ex Argumenti hujus nexu ſe explicet Revelator, an verò convictus & conſtrictus eo adhuc teneatur.

Caput XI.

In quo Argumenta duo Hiſtorica expenduntur, quæ, Maſorethas Tiberienſes Punctorum Authores non fuiſſe, evincunt.

Pater meus b. m. cùm in Tiberiade ſuâ, in *Sapientes illos* inquiſiviſſet *Tiberienſes, qui & Maſorethicæ & Punctatoriæ artis, feruntur inventores,* & Scholis Babylonicæ & Palæſtinæ omnibus perluſtratis, eorumque Sapientibus ac celebrioribus viris, Tiberienſibus in primis, quouſq; indagare eos potuit, recenſitis, tales in Hiſtoria Hebraica nec in Tiberiade, nec alibi uſquam, imo ne veſtigia quidem eorum ulla, reperire potuiſſet, ſub finem Capitis ſeptimi, dicti ſui libri, Rationes quaſdam breviter & ſummatim congeſſit & contraxit, quibus concluſit, non videri quicquam cauſæ eſſe, cur

cur nobiliſſimum hoc ſtudium & Inventum Punctorum, Maſoræq; ſeu Critices circa illa, Sapientibus Tiberienſibus, circa annum Chriſti 500. adſcribatur.

Illis rationibus, quia Punctationis Arcani Revelator Novitatem Punctorum ab Elia excogitatam, à ſe interpolatam & incruſtatam, vidit non leviter concuti & infringi, Antiquitatem econtrà ſtabiliri, illas quoq; Arcani ſui lib.2. cap.15.16. & 17. expendendas & refellendas ſibi exiſtimavit.

Id verò quia non ſatis validè & ſolidè expediviſſe, & Argumentis illis ſua vis adhuc conſtare, nobis videtur, illa hîc non ſolum recenſebimus, ſed &, pro ingenioli modulo, a Reſponſionibus & Exceptionibus ejus vindicabimus.

Sex itaque profert ibi Pater meus Rationes, quarum *Duæ primæ* petitæ ſunt ab Univerſali in Hebræorum hiſtoria ſilentio de Sapientibus Tiberienſibus Punctationis inventoribus: *Tres*, à comparatione Judęorum Babyloniorum & Palæſtinorum, eorumque æmulationibus. *Ultima*, a Maſoretharum numero, & principii, finisq; eorum incertitudine.

Prima ergo Ratio, ab Univerſali Hiſtoriæ Hebraicæ ſilentio, de hujuſmodi Punctatoribus Tiberienſibus, eſt hæc:

Cùm, inquit Pater meus, *Hiſtoria Hebraica ſtudiorum curſum, & Sapientum ſingularum generationum, ad mille uſque annos in Babylonia proſequatur; in Palæſtina autem ſive terrâ Iſraelis, circa annum Chriſti 340. poſt Hillelem principem, planè ceſſet; veriſimile nullo modo eſt, poſt quingenteſimum, aut circa ſexcenteſimum à Chriſto nato annum, vel etiam ulteriùs, tot potentes Tiberiade adhuc extitiſſe, qui omnium Judæorum in legenda Sacra Scriptura fuerint exercitatiſſimi, & tam novum, tam admirandum, tanti momenti circa Sacrarum literarum ſobriiſſimam & arduam tractationem, inventum, ſine ullo teſte, ſine omni hiſtoria, ſine ulla librorum memoria, univerſæ Judaicæ nationi, imo toti mundo, (cum quo verbum Dei communicatum fuit, aut communicandum erat) ceu divinum oraculum acceptandum tradiderint.*

Ad mentem & ſenſum hujus Rationis rectiùs percipiendum, in

gratiam Lectoris paulò explicatius eam proponemus, & in Syllogiſticam formam redigemus. Sic enim & vis atq; nervus ejus accuratius animadvertetur, & exceptionum contra eam allatarum nullitas atque imbecillicitas, faciliùs deprehendetur.

Hoc itaque vult dicere;

Si hoc Punctationis inventum fuiſſet Tiberiade in Palæſtina; aut ex Schola aliqua Babylonica, circa annum Chriſti 500. vel 600. profectum, & propagatum, tunc certè non eſt credibile, Hiſtoriam Hebraicam id ſine omni memoria relicturum, & tam alti ſilentii tenebris ſepulturum fuiſſe.

Atqui hujus rei in Hiſtoria Hebraica nulla planè extat uſpiam memoria, nullum monimentum.

Ergo non eſt credibile, ejus inventores circa illa tempora, ſeu Tiberiade in Palæſtina, ſeu alicubi in Babylonia extitiſſe & floruiſſe.

Conſequentiæ majoris duplex illic latet probatio:

1. *quia Hiſtoria Hebraica perſequitur curſum ſtudiorum, & Sapientum ſingularum generationum in Babylonia, ad annos* 1000. *à Chriſto ſc. nato; in Palæſtina antè ſive terra Iſraelis ceſſat circa annum Chriſti* 340. *in Hillele principe.*

Itaque non veriſimile eſt, vel in Babylonia inventi hujus authores circa annum Chriſti 400. aut 600. floruiſſe; quia id Hiſtoria non reticuiſſet, cùm ulterius extendatur: vel in Palæſtina; quia ſi viri tam celebres illic tùm fuiſſent, & operis tam celebris, tamq; admirandi authores, cur non illorum æquè mentionem feciſſet, laborisque ipſorum, ac Hillelis principis, qui Computum Judaicum reformavit?

2. *quia inventum fuit tam novum, tam admirandum, tanti momenti, cujus uſus ſe ad univerſam nationem Judaicam, per univerſum orbem tùm diſperſam, extendebat.*

Iterum itaq; non veriſimile eſt, nullum hujus rei teſtimonium, nullam hiſtoriam, nullam memoriam ſuperfuturam, ſi tale quid à Sapientibus aliquibus ſeu in Palæſtina ſeu in Babylonia fuiſſet procuſum & fabricatum. Nam Hiſtoricorum hæc eſt conſuetudo & Lex, ut quæ nova, rara, admiranda & magna, minimè prætereant, ſed diligentiſsimè in ſuis annalibus conſignent, & ad poſteritatem tranſmittant; maximè autem & inprimis, ſi ad Sacram id faciat Hiſtoriam.

Huc

Huc redit ſumma illius Argumenti. Videamus nunc Antagoniſtæ Exceptiones.

Quid ergò contra Excipit Arcani Revelator?

Exceptio I. *Primò,inquit,reſpondeo ad hæc; In hac quæſtione de Punctorum antiquitate vel novitate, me nihil morari, quinam fuerint primi illi Punctatores, Tiberienſes'ne an Babylonii, an vero etiam alii: Neque an præcisè circa annum Chriſti* 600. *vixerint & floruerint, an verò ſint poſteriores, adeoq; recentiores: neque etiam jam diſputo, quot numero fuerint, an multi, an verò pauci, an unus atque alter, neque etiam, quibus fuerint appellandi nominibus. Nam in tanta rerum Judaicarum, in qua hodie poſt excidium Hieroſolymitanum verſamur, caligine, quis jam niſi temerè hæc omnia auſit definire atque explicare?*

Ad iſta regero ego, Ex forma argumenti, in quam à nobis eſt redactum, etiam patet, illud *neque* præcisè de Tiberienſibus vel Babyloniis concludere, ſed utroſque excludere: *neque* etiam de certo aliquo ſæculo præcisè & reſtricte nimis urget: *non* etiam loquitur de definito aliquo numero: *non* denique de certis nominibus; ſed in genere huc collimat, *Non eſſe veroſimile,circa tam recentia ſæcula, e Scholis vel Babyloniæ vel Palæſtinæ, hoc inventum prodiiſſe*; quamvis de Tiberiade & Sapientibus Tiberiadis ſpeciatim loquatur, quia ad hos nominatim Punctorum inventum refertur, & hoc nomine communiter ab Elia & ejus aſſeclis vocitantur: ipſe etiam Revelator paſsim quoque pro his in ſpecie pugnat, in ſuo Arcano. Vide libro 1. cap. 2. §. 2. cap. 3. §. 6. cap. 11. §. 3. Itaque parum hæc hactenus ad rem, neque nervum argumenti tangunt.

Pergit; *Satis mihi ſuperq; eſt, ſi modò jam evicero, tempore Hieronymi, hoc eſt, circa annum Chriſti* 400. *nondum extitiſſe Bibliorum punctatos codices, imò neque extitiſſe tempore confecti atque abſoluti Talmud, hoc eſt, circa annum Chriſti* 500. *quando in toto Talmud neque vola, neque veſtigium Punctorum ſignatorum apparet. Eſto itaque, non fuerint Punctatores Tiberienſes, fuerint Babylonii, quid hoc ad iſtam de Antiquitate Punctorum quæſtionem definiendam? Nihil planè.*

℞. 1. Fateor: ſatis utique ſuperque eſſet, ſi id eviciſſet Revelator, de quo gloriatur. An verò illud ſolidè ſatis evicerit, vidimus ſupra lib.1. cap.11. quò Lectorem remittimus.

2. Nos enim non curamus, Tiberienſes'ne an Babylonii dicantur Punctorum authores? Cùm enim de Novitate & Antiquitate Punctorum controvertitur, quæſtio eſt de Tempore magis quàm de Perſonis.

3. Quod ſi principium hoc velit Revelator deſerere, *Authores punctorum non fuiſſe Tiberienſes*; ipſemet cogitur deſerere teſtimonium Aben Ezræ lib.1. cap.2. productum, quod tamen pro palmario habent, & à nobis illis ereptum, & in adverſarios retortum eſt.

Addit; *Probaverit, imò dixerit aliquis, Punctatores non fuiſſe Tiberienſes, nullamq; fuiſſe Tiberiade Scholam celebrem circa annum Chriſti 500. an inde propterea evicerit, Eſdram, aut etiam Moſen eſſe authorem punctorum? Vel an inde effecerit, punctatos codices eſſe Talmude & Hieronymo antiquiores? Nihil minus. Falſus fortaſſis fuerit hac in parte (hoc eſt in loci deſignatione) Elias Levita, non continuo ſequitur, eum etiam falſum fuiſſe in reliquis circumſtantiis, adeoq; in temporis aſſignatione, quum ait, primos Punctatores eſſe confecto Talmude poſteriores.*

℟. 1. Medius argumenti noſtri terminus, ejuſque nervus, non hic eſt præcipuus, quòd nulla ampliùs Schola tum fuerit Tiberiade celebris, ſed quòd horum Sapientum Tiberienſium, qui artifices dicuntur fuiſſe Punctorum, nulla uſpiam fiat mentio, nulla illorum extet memoria.

2. Duplici modo concluditur à Negatione Punctatorum Tiberienſium, ad Eſdram, aut Moſen; 1. quia hactenus nulli alii fuerunt à probatis authoribus in hanc ſcenam producti, & in quæſtionem vocati: 2. quia alia etiam argumenta accedunt, quæ partim jam attulimus, partim adhuc allaturi ſumus, unde hoc fit veroſimile & credibile.

3. Multum à priore ſua ſeveritate remittit Revelator, quando dat, fieri poſſe, ut *Elias falſus fuerit in aſſignatione temporis, primos Punctatores eſſe confecto Talmude poſteriores*; Si hoc eſt in dubio adhuc, quare illos vocat paſsim *Poſt-Talmudicos?* quare tam abſolutè & pertinaciter alibi contendit, Punctatos codices eſſe Talmude poſteriores, lib.1. cap.5? quâ ratione tam animosè ibi potuit dicere §. 6. *Unde certiſſimum ducimus argumentum, non extitiſſe tunc* (Talmudicorum tempore) *punctatos codices?* Quo fundamento concludit primum ſui Arcani librum his verbis; *Sic igitur*

tur putamus, nos abunde probaſſe, hodiernos Vocalium & Accentuum apiculos recens eſſe Maſorethatum Tiberienſium poſt-Talmudicorum inventum? Sanè vel Elias non erravit, ſi *certiſſima* hujus rei habentur argumenta, & *abunde* hoc eſt probatum; vel argumenta illa à Revelatore producta non ſunt *certiſſima*, ſi in hac temporis aſsignatione Elias erravit. Quâ ratione *Dubitatio* (quam infert Adverbium dubitandi *Fortaſsis*) & *Certitudo certiſſima* ſimul conſiſtere poſsint, non video.

4. De Loco non multùm laboramus. De Tempore enim eſt quæſtio principalis, *Quando puncta fuerint inventa, vel nondum inventa?* Interim ſi & hic erravit vel errare potuit Elias, corruit totum ipſius fundamentum, cui innixus eſt. Hauſit enim hanc ſuam ſententiam ex Aben Eſra, ſed malè intellecto, ubi *Tiberienſium* meminit, uti oſtendimus lib.1. cap.3.

Quid porrò? *Interim, inquit, quando non primus Elias Levita, ſed diu ante eum Aben Eſra Punctatores vocat* אַנְשֵׁי טְבֶרְיָא, *nec videtur ille temerè & ſine cauſa locutus.*

℞. Ego verò nego, Aben Eſram ullibi Punctatores (hoc eſt, Authores primos Punctorum) vocare אנשי טבריא, & dico, Aben Eſram præter ſuam mentem in hæc caſtra hac in cauſa pertractum eſſe, uti & prolixè & apertè à me demonſtratum lib.1. cap.3. Imò ulteriùs dico, *Eliam temerè & ſine cauſâ locutum*, quia ſine ullo teſte hæc dixit & ſcripſit.

Perſuaſus itaque (ſed malè) Revelator, Eliam non ſine cauſa ita loquutum, preſsiùs agit, & pro Punctatoribus quoque Tiberienſibus in ſpecie pugnat, illosque obtinere ſatagit; *Age*, inquit, *videamus, hoc dato*, Punctatores *eſſe dictos Tiberienſes, quid reſponderi aut excipi poſsit & debeat, ad iſtud docti illius Viri argumentum.*

Primùm itaque excipi poteſt; Punctatores fortè dictos eſſe Tiberienſes, non quòd fuerint Tiberienſes patriâ & natione, neque quòd illic fuerit tùm celebris Schola in qua docuerint, ſed quod Tiberiadem aliunde confluxerint, atque illic Punctationem inſtituerint. Quidni enim vel ex Babylonia, vel aliunde illuc ſe contulerint, atque ibi opus illud confecerint, quòd civitas illa celebris inter Judæos eſſet, quia iſthic docuerat olim inſignis ille R. Jehuda Hakkadoſch, qui ibidem Miſchnajoth compoſuit, diemq; ſuum ultimum clauſit, quodq; inde poſt ejus obitum, tanquam ex equo Trojano, ſapientes & magni Rabbini prodierint, qui tres Baby-

lonicas illuſtres Scholas, ſi non fundarunt, at ſaltem nobilitarunt atque auxerunt.

℟. Fruſtra hæc omnia dicuntur!

I. namque dicuntur hæc non ſolum ſine ullo hiſtoriæ teſtimonio & indicio, ſed & contra hiſtoriam, & id quod Hiſtoria Hebraica nobis ſuppeditat. Ex hac enim diſcimus, Tiberienſes, non Babylonios, fuiſſe Punctationis, & veræ lectionis ſecundum puncta, peritos; (vide lib. 1. cap. 3.): Tiberienſium, non Babyloniorum, punctandi & legendi rationem nos ſequi & ſequi debere (vide lib. 1. cap. 11.) Tiberienſes & Babylonios circa Punctationem diſsidia inter ſe habuiſſe. Qui ergò iſti Tiberienſes Babylonii fuerint? Si aliquid comminiſci volumus, ſaltem aliquam ſpeciem habeat & colorem. Et, ſi ex Babylonia in Palæſtinę urbem Tiberiadem, tam inſignes Doctores, ad opus tam nobile & arduum commigraſſent, aliqua ſaltem ipſorum fieret fortaſsis mentio in Chronologia Scholarum & Sapientum Babyloniæ, qui diligenter recenſentur uſque ad annum Chriſti 1000. & ulterius.

II. parum ad rem hæc omnia faciunt: quia ſuprà diximus, hîc non præcipuum latere hujus argumenti robur, ſed in eo, Quod Viri adeò celebres, Opus adeò nobile, novum & admirandum, omni in Hiſtoria Hebraica careant teſtimonio, omnique memoria. Itaque videamus quid porrò adferat.

Exceptio II. *Secundò*, pergit, *excipi poteſt, Punctatores fuiſſe Tiberienſes, neque tamen mirum videri debere, quod eorum non meminerit hiſtoria Hebraica. Nam quid eſt, quod jure mirum videri debeat, ſi dicamus, circa annum Chriſti 500. Tiberiade exſtitiſſe unum fortè atque alterum doctiſſimum Rabbinum (neque enim neceſſe eſt, plures huic Punctationis operi primum vacaſſe) licet publice non legerent, neque frequentem haberent diſcipulorum coronam? Quaſi vero hoc non ſæpius contingat, ut magni & apprime docti atque eruditi viri diu lateant, & extra Academias, & alia ejuſmodi loca publica degant, vitamq; ſuam exigant paucis noti. Eſto itaque, nulla fuerit tum temporis Tiberiade celebris Schola, an propterea ibi continuo nemo fuerit doctus, qui iſthic quaſi privatus vixerit? Ita ceſſaverit admiratio, cur Hiſtoria non meminerit Scholæ Tiberienſis circa illum Chriſti annum; nempe fortè nulla tum fuit iſthic Academia, unus duntaxat & alter fuerint docti viri qui privatim agebant, a quibus primum fuit punctationis initium.*

℟. Pro-

℟. Propiùs hîc equidem nodum tangit, ſed non ſolvit. Etenim nihil ſanè mirandum videtur, ſi circa annum Chriſti 500. hoc eſt, ducentis propè annis, ex quo flos Scholæ illius emarcuit, unus atque alter Rabbinus doctus Tiberiade privatim delituerit, digni, qui etiam in celeberrimis Academiis publicè docerent & eminerent, neque id nos negaverimus fieri potuiſſe, aut fuiſſe. Notum enim eſt, ſub humili etiam tuguriolo magnam ſæpè latere & concludi ſapientiam.

Hoc vero mirandum mihi videtur; Unum & alterum Rabbinum privatim Tiberiade agentem, & obſcurè latentem, tanti momenti, & tam latè patentis utilitatis opus, non dico moliri, ſuſcipere, & excogitare potuiſſe & auſum fuiſſe; ſed longè lateque ſtatim ſpargere, univerſæ nationi Judaicæ commendatum reddere, itaque perſuadere potuiſſe, ut ſtatim acceptatum, & veluti divinum atque à cœlo delapſum oraculum, cum veneratione ſumma retentum, & in Sacras tabulas relatum fuerit; mirum etiam mihi videtur, tam inſignis & nobilis facti authores ita occultè latere potuiſſe, ut illorum & operis illorum fama atque memoria, æternitate meritò digniſsima, unà cum ipſis interierit, & ne minimo quidem indicio in commentarios ullos relata, ac ad poſteritatem propagata fuerit.

Dices; *Hos Tiberienſes initium duntaxat feciſſe Punctationis, non Punctationem univerſam.*

At nos ſuprà lib. 1. c. 12. (p. 268. &c.) commentum hoc ſucceſsivæ Inventionis punctorum & accentuum, à noſtro Revelatore primò omnium excogitatum, multis rationibus evertimus & ſubruimus, ut plura hîc non addenda judicemus.

Et dato hoc, Punctationem ſucceſsive, & per aliquot ſæcula conceptam, q. formatam, & natam tandem eſſe, an primi Inventores laude ſuâ privari vel debuerunt, vel potuerunt? *Non debuerunt*; quia majori laude dignus & honore, qui glaciem primus ſcindit, & viam aperit, quam qui perficit. Difficillimum, primò aliquid invenire: Inventis addere facile. *Non potuerunt*: quia cùm tempus & ſæculum ipſorum vix ad mille annos ſe extendat, an quæſo fieri potuiſſet, ut opus & effectum ſubitò in totum quaſi terrarum orbem ſparſum & propagatum ſit, nemine in authorem, vel in locum, vel in tempus, vel in alia inquirente?

Præterea,

Præterea, Elias, qui primus hos Punctatores genuit, illos *Totius* Punctationis authores facit. Aben Eſra, quem Elias & Revelator pro ſe laudant, & cujus ſententiam pro baſi veluti huic ſententiæ ſubſternunt, dicit, Nos *totam Punctationem* a Maſorethis Tiberienſibus accepiſſe, ut alibi vidimus. Itaque mirum, quis huic Prophetæ tot hujus operis novos & incognitos Architectos revelaverit. Diſſenſiones hæ inteſtinæ videntur malum eſſe augurium, Regnum Novatorum horum difficulter admodum ſubſtiturum.

Ex his itaque apparet, nodum hunc nondum eſſe expeditum, neque nervum argumenti hujus præciſum.

Quid ergò ulterius? *Sed*, ait, *porrò, nihil neceſſe eſt nos hac uti exceptione. Liquet enim ex Epiphanio Hæres. 30. adverſus Gibeonitas, in prolixa ſatis narratione, quam inſtituit de quodam Joſepho, Judæo Tiberienſi, Hillelis illius* הנשיא *ſeu Principis diſcipulo; liquet, inquam, ipſius adhuc tempore (ſcripſit autem Epiphanius circa Chriſti annum 374.) res Judæorum fuiſſe florentes tum Tiberiade, tum Diocæſareæ ſive Sepphori, tum in aliis vicinis urbibus, in quibus ſoli ferme Judæi, nulli pæne Chriſtiani habitabant, & quidem Tiberiade fuiſſe & Scholam, & Judæorum Patriarchæ (Aechmalotarcham intelligit eo nomine Epiphanius) ſedem, & Gazophylacia, in quibus Judæorum libri reconderentur. Narrat enim, Hillelis illius filium, Judam nomine, Patri in Patriarchatu ſucceſſiſſe, & ſedem ſuam Tiberiade habuiſſe, cujus interim, dum adoleſcebat (nam Pater moriens eum reliquerat impuberem) Joſephus ille fuerit per annos aliquot veluti Tutor ſeu Præceptor.*

℟. Neque hoc quicquam ad rem facit. Concedimus enim, eo tempore Scholas adhuc floruiſſe, ſicut & Hebræorum Chronica ſcribunt, eo tempore Hillelem Tiberiade floruiſſe, & in ipſo dignitatem Promotionum Doctoralium defiiſſe. Unde fieri poteſt, ut & diſcipulos & filios doctos reliquerit. Sed annon obſervat, quod ab eo tempore, quo & iſte Hillel, & Epiphanius floruerunt, uſque ad tempus Punctatorum Tiberienſium poſt-Talmudicorum, quos ponunt, plus quàm ducentorum annorum ſpatium intercedat, quod annon ſatis longum & juſtum ſatis ſit tempus, quo Schola aliqua collabi atque adeo perſum ire poſsit, & inſigniter res illorum immutari, Lectori dijudicandum relinquo.

Deinde eſto, fuerit ibi adhuc Schola celebris 500. & amplius poſt Chriſtum annis, fuerint illic Sapientes magni, & Linguæ Hebrææ

brææ peritiſsimi (nolumus enim id negare); nondum tamen continuò ſequitur, illos Primos eſſe Punctationis authores; cùm plane nulla hujus rei apud Hebræos extent veſtigia. Quis enim hoc præter Eliam dixit & ſcripſit? Quid quæſo cogit nos, vaniſsimum hoc Eliæ ſomnium adeò pertinaciter tenere,& defendere?

Quod verò Revelator ſcribit, Epiphanium teſtari, 1. *Tiberiade & Diocæſarea, & vicinis urbibus, ſolos fermè Judæos, nullos penè Chriſtianos habitaſſe,* 2. *Tiberiade fuiſſe Judæorum Scholam,* 3. *Gazophylacia,in quibus Judæorum libri reconderentur;* ea ego ex Epiphanio non poſſum colligere; quin potiùs contrarium; *Chriſtianos Tiberiade non paucos fuiſſe,* & Chriſtianos illic Eccleſiam, Scholam, & Bibliothecas habuiſſe. Verba Epiphanii ſunt; *Jam verò etiam aliqui dixerunt, Evangelium ſecundum Johannem de Græca lingua in Hebræam translatam eſſe, & in Judæorum gazophylaciis haberi, his videlicet quæ ſunt in Tiberiade, & repoſitum eſſe inter Apocrypha, velut quidam Judæi ad fidem converſi exactè nobis expoſuerunt. Erat autem ex ipſis quidam Joſephus, non ſcriptor & hiſtoriographus ille vetus, ſed à Tiberiade, qui temporibus Felicis Conſtantini Imperatoris illius ſenioris vixit, & ab ipſo Imperatore Comitum dignitatem aſſecutus, & poteſtatem accepit ædificandi Eccleſiam Chriſto in eadem Tiberiade, & in Diocæſarea, & in Capernaum & in aliis civitatibus. Et multa paſſus eſt à Judæis, antequam Imperatori manifeſtaretur.* Hîc obſervandum, *Gazophylacia* iſta non fuiſſe Bibliothecas Judæorum communes, ſed loca, ſive pecuniis, ſive aliis rebus pretioſioribus ac rarioribus aſſervandis deſtinata & obſignata, ut patet ex iis, quæ Epiphanius ibidem ſcribit in ſequentibus. Multò minus fuerunt Bibliothecæ Judæorum, quibus abominabile fuit Chriſtianorum libros fovere, ſed Theſauri Judæorum ad fidem Chriſtianam converſorum, quorum non paucos Tiberiadi fuiſſe hinc apparet. Cur enim Joſephus hic Eccleſiam ædificaſſet Chriſto Tiberiade, ſi ſoli Judæi, Chriſtiani pænè nulli illic fuiſſent?

Itaque parum hæc ad rem, cùm hæc de Judæis ad fidem Chriſti converſis ſint intelligenda. De Judæis eſt, quod eodem loci porrò ſcribit: *Hic Joſephus inter dignitate praſtantes viros apud ipſos connumeratus erat. Sunt autem hi poſt Patriarcham Apoſtoli nominati, aſſidentq́, Patriarchæ, & cum ipſo ſæpè aſsiduè in nocte ac die degunt conſulendi gratiâ, ut referant ad ipſum ea quæ ſunt in Lege.* Sed hoc nec

neceſſariò de Scholis intelligendum, nec ſolos Judæos, Chriſtianos pænè nullos illic fuiſſe evincit.

Addit Revelator; *Et Hieronymus, qui poſt 400. Chriſti annum obiit, teſtatur, ſe operâ Tiberienſis cujuſdam Judæi uſum, qui toti genti erat admirationi. Ibi certè non vixit Judæus ille tantopere celebris, quin etiam celebrem iſtbic habuerit Scholam. Falſum ergo, poſt Hillelis obitum ceſſaſſe Scholas Judaicas.*

℞. Quod ad locum iſtum Hieronymi attinet, in dubium forſaſsis vocari poſsit, an illic de vivo aliquo Doctore, an verò de muto & mortuo loquatur. Ambigua enim ſunt ejus verba, & variant Codices. Antiquiora exemplaria Hieronymi MSS. ut & Lyranus, & Eraſmus, ita legunt: *Denique cum nuper à me literis flagitaſſetis, ut vobis librum Paralipomenon Latino ſermone transferrem, de Tiberiade quendam Legis* Authorem, *qui apud Hebræos admirationi habebatur, aſſumpſi: & contuli cum eo à vertice, quod ajunt, ad extremum uſque unguem, & ſic confirmatus, auſus ſum facere, quod jubebatis.* Pro *Authorem*, recentiora quædam exemplaria ſubſtituerunt *Doctorem*; quâ verò fide, neſcio. Itaque, ſi prior lectio proba eſt, quæro, annon probabilius ſit, Hieronymum de Codice aliquo, vel Authore, ſeu Commentatore Hebraico loqui, quàm de vivo Doctore. An enim unquam auditum, *Doctorem Legis* vocari *Authorem legis?* Et hanc lectionem confirmare videtur, quod poſtea dicit, *Et contuli cum eo à vertice, quod ajunt, ad extremum uſque unguem.* Nam hæc phraſis hoc loco non videtur quadrare Collationi orali, quæ inſtituitur cum vivo aliquo Doctore; vel ſententia eſt imperfecta & hiulca, atque ſubintelligendum aliquid, *quod contulerit cum eo*; librum nempe Paralipomenon totum. Magis quadraret, ſi levi mutatione pro *eo* liceret ſubſtituere *meo*, & legere; *Et contuli cum meo* (ſc. authore vel codice). Facile enim ex *cum meo*, potuiſſet ſubrepere *cum eo*. Denique, ſi ad ſcopum reſpiciamus, propter quem hoc fecerit D. Hieronymus, iterum videtur confirmatio huic ſententiæ accedere. Fecit nimirum hoc potiſsimùm propter Nomina propria quamplurima, in eo libro occurrentia, quæ ſcriptorum culpâ in Græcis & Latinis codicibus ita vitiata ſint, ut non tam Hebræa, quam Barbara quædam & Sarmatica nomina eſſe, arbitrandum ſit. Itaque Nominum propriorum potiſsimùm emendandorum causâ hanc collationem inſtituit, huncq; Legis Authorem

rem conſuluit. Commodiùs autem videtur hoc potuiſſe diſcere ex probato & emendato aliquo codice, quàm à vivo Magiſtro. Cui hinc etiam robur poteſt accedere, quòd alibi quoque legamus, D. Hieronymum codices à Judæis commodato accepiſſe & deſcripſiſſe, veluti Epiſtolâ ad Damaſum, cujus initio ita ſcribit: *Poſtquam epiſtolam tuæ ſanctitatis accepi, confeſtim accito notario, ut exciperet imperavi, quo ad officium præparato, quod eram voce prompturus, ante mihi cogitatione pingebam. Interim tamen & ego linguam, & ille articulum movebamus, cùm ſubitò Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de Synagoga, quaſi lecturus acceperat. Et ilico; Habes, inquit, quod poſtulaveras, & me dubium, & quid facere neſcientem, ita feſtinus exterruit, ut omnibus prætermiſſis, ad ſcribendum* (i.e. deſcribendum illa volumina) *tranſvolarem, quod quidem uſque ad præſens facio.* Sed in medio hoc relinquimus, nec quidquam hîc ſtatuimus, aut alteri Lectioni præjudicatum volumus.

Poſito enim & conceſſo, tam admirandæ doctrinæ Judæum Hieronymi tempore Tiberiadi fuiſſe, an ſtatim inde ſequitur, celebrem & florentem adhuc illic fuiſſe Scholam? Nos equidem id non inficiamur, ſed qui hoc ſequitur ex ſententia Revelatoris, præcedenti §. 4. ſcribentis? *Quaſi vero hoc non ſæpiùs contingat, ut magni & apprimè docti atque eruditi viri diu lateant, & extra Academias, atque alia ejuſmodi loca publica degant, vitamq; ſuam exigant paucis noti. Eſto itaque, nulla fuerit tum temporis Tiberiade celebris Schola, an propterea ibi continuò nemo fuerit doctus, qui iſthic quaſi privatus vixerit.* Hoc §. 5. ſcribit; *Ibi certè non vixit Judæus ille tantopere celebris, quin etiam celebrem iſthic habuerit Scholam.* Hæc quomodo cohæreant & concordent, non video.

Sed miſſo etiam hoc, nihil planè iſtud ad rem, vel contra argumentum à Parente meo allatum, facit. Quantum enim interſtitium inter Hillelem, in quo dicuntur Promotiones Doctorales Tiberiade deſiiſſe, & inter Tempus illud, quo Hieronymus iſta ſcripſit? Vix 40. aut quinquaginta fortaſsis annorum. Hillel adhuc floruit Ann. Chriſti 340. D. Hieronymus in Interpretatione ſua Latina occupatus fuit circa annum Chriſti 400. Quid ergo novi, ſi tam paucis annis adhuc reliquiæ aliquæ ſuperſtites fuerint? Inde verò ad primos Maſorethas Tibérienſes poſt-Talmudicos (ſic enim vocantur à Revelatore) adhuc centum & plures anni in-

terceſſerunt. Nam Talmud abſolutum fuit Anno Chriſti 500. & poſt abſolutum Talmud fuerint neceſſe eſt, quia vocantur *Poſt-Talmudici*.

Nec uſpiam ſcripſit Pater meus in ſua Tiberiade, Scholas omnes, vel Doctos ac literatos, Literarumque ſtudia prorſus cum iſto Hillele extincta eſſe Tiberiade & ſepulta, ſed dicit, *Cum in iſto Hillele Promotiones Scholaſticæ* (Magiſtrales ſolennes) *ceſſarint, veriſimile eſſe, ſimul etiam Profeſſiones & publica docendi exercitia deſiiſſe, cum dignitates iſtæ ſint virtutis literariæ præmia, &c.* quod eſt aliud. Poſſunt enim & Studia literarum, & Viri literati florere, etiam in iis locis, ubi vel Scholæ nullæ, vel particulares, & tales, ubi Promotiones ſolennes, aut Profeſſiones publicæ atque Academicæ nullæ ſunt. Itaque nimis præcipitanter ex hoc loco contra Parentem meum concludit; *Falſum eſſe, poſt Hillelis obitum Tiberiade ceſſaſſe Scholas Judaicas.* Unus enim aliquis, admirandæ etiam, imo ſtupendæ doctrinæ vir, non ſtatim condit Academiam.

Et qui negaremus, Tiberiade longo tempore viros doctos extitiſſe, cùm ſciamus, Aben Eſram, ſuo adhuc ſæculo, ipſorum circa Sacram Scripturam ſtudia commendaſſe & laudaſſe, ut & alios?

Quod ſi denique etiam conceſſerimus, Scholam Tiberienſem duraſſe uſque ad annum Chriſti non ſolùm 500. aut 600. ſed 1000. quâ verò conſequentiâ inde eruentur Primi Punctationis Biblicæ authores, cùm ne unicus quidem author ante Eliam hujus rei meminerit?

Sic itaque diſploſa eſt & hæc exceptiuncula.

Aliam ergo adhuc adhibet machinam, quâ fundamentum hoc convellere annititur, ſed irrito iterum conatu. *In dubium nempe vocat, & ſuſpectam reddere conatur tam exactam Scholarum Babylonicarum Rectorum, ut & Aechmalotarcharum, enumerationem atque Catalogum, qualem in hiſtoria ſua contexunt Judæi; 1. quòd illi Hiſtorici Judaici ſint valdè nuperi & recentes, 2. fabuloſi, ut qui ſua pleraque non ex antiquis monumentis, ſed per Traditionem oralem acceperint.*

Hæc ille equidem pluribus verbis amplificat & exaggerat, ſed quia tota hæc Inſtantia, noſtro judicio, nihil planè ad rem facit, ſuperſedebimus, brevitatis ſtudio, verbis ejus recenſendis.

Repeto enim, quod jam aliquoties dictum & inculcatum, Vim argumenti

argumenti præcipuam non tam eſſe poſitam in enumeratione illâ & Catalogo Rectorum Scholarum ſeu Babylonicarum ſeu Palæſtinarum; quàm in ſilentio & prætermiſſione adeò celebrium virorum, tamq; nobilis & illuſtris operis. Sint itaq; in illa recenſione nonnulla frivola & futilia, fabellis illis Romanis & Amadiſiacis ſimilia, ſint authores in quibuſdam ſubleſtæ fidei & fabuloſi, quid hoc ad rem? Non enim omnia talia ſunt, neque nos nitimur illis, quæ ſine teſte, ſine fundamento ſcripſerunt, ſed illis quæ reticuerunt, in quibus nihil poteſt eſſe vel fictum, vel fabuloſi: niſi fortè, quòd vel ignorantiâ, vel negligentiâ, vel certâ aliqua de causâ & ἐκ προαιρέσεως ſilentio rem adeò nobilem & inſignem involvere & abſcondere voluerint? Et ſi omnia rejicienda ſunt hic, quæ non vel ex antiquis monumentis, vel ex probatis authoribus, addo, nec ex traditione aliquâ orali, non dico, fideli & probatâ, ſed vel anili habentur, quo loco habenda erit Hiſtorica illa enumeratio & enarratio de authoribus variis, & ſucceſſiva per aliquot ſæculorum ſeriem inventione & excogitatione Punctorum & Accentuum, quam lib. 1. Arcani ſui cap. 17. proponit; cujus ne minimum quidem indicium vel ex antiquis aut novis monumentis, vel ex ullo etiam ſubleſtæ fidei, nedum probato authore, vel ex ulla traditione accepit, imò de qua ne febriculoſiſſimus quiſquam Judæus unquam ſomniavit? Quæcunque ſcilicet Videntes & Revelatores ſcribunt, ſunt mera oracula: quæ Judæi ſcribunt, ſunt meræ nugæ, gerræ, fabulæ, niſi pro Revelatore faciant. Hoc caſu unus recentiſſimus Judæus univerſæ antiquitati opponi poteſt!

Id animadvertens & ſubolfaciens, huc ultimum ſuum arietem contra hoc argumentum deſtinavit & direxit. *Sed*, inquit, *aliud eſt in eodem argumento expendendum, nimirum, quod mirum planè illi viro docto videtur, Tam novum, tam admirandum, tanti momenti, Punctationis inventum, ſine ullo teſte, ſine omni Hiſtoria, ſine ulla librorum memoria, univerſæ genti Judaicæ, imò toti mundo commendatum, & quaſi divinum oraculum acceptatum eſſe ab omnibus.*

Quid ergo ad hæc Revelator? *Idem*, inquit, *objici poteſt Punctorum Patronis. Nam ne ipſi quidem diffitentur, circa id tempus fuiſſe Tiberienſes Punctatores: & quamvis non dicant, eos fuiſſe primos punctorum inventores, concedunt tamen fuiſſe Punctorum inſtauratores,* מתקני, *qui nempe collatis variis codicibus punctationem reſtituerint, emendârint,*

& eâ integritate, atque forma, quâ jam hodie extant, quæq; inde hucuſque inter Judæos & Chriſtianos ubique terrarum obtinuit atque etiamnum obtinet, conſtituerint. Eſto, hoc duntaxat ex mente Advocatorum antiquitatis punctorum præſtiterint Majorethæ illi Tiberienſes, annon nobile, illuſtre, egregium & memorandum facinus illud fuit? Quæro jam à Punctorum Advocatis, qui factum id fuerit ſine ullo teſte, ſine omni Hiſtoria, ſine ulla librorum memoria? Si huic quæſtioni reſponderint, ipſi eâdem operâ ſibi reſponderint. Tam eos quam nos urget hoc argumentum, ſi quid habet virium. Itaque tam eorum, quam noſtra intereſt ad id reſpondere.

1. Reſponderi poteſt, ſine ſufficienti cauſa reponi hanc quæſtionem nobis: Etſi enim non diffiteamur, circa illa tempora Tiberienſes laboraſſe in conferendis, deſcribendis, & emendandis codicibus Biblicis, magna tamen eſt inter utrumque laborem differentia, ut non ſtatim quod de uno quæri aut deſiderari poteſt, ſtatim etiam deſiderandum ſit in altero. *Inventio punctorum, prima eorum ad codices Biblicos adſcriptio*, atque eorundem à tota gente Judaica *acceptatio* & *approbatio*, res eſt plane nova & ſingularis. At *collatio, deſcriptio, & emendatio* exemplarium Biblicorum jam antea Punctatorum, res tum temporis nec prorſus fuit nova, nec ſingularis. *Non nova*; quia ab Eſdræ tempore ſemper id fuit factum, licet rariùs & à paucioribus: *Non ſingularis*; quia occupatio hæc Tiberienſibus cum aliis aliarum terrarum regionumque Judæis fuit communis: neque etiam pro tota gente Judaica per univerſum orbem diſperſis illa deſcribebant, uti Punctatio fuit univerſalis. Hinc legimus de exemplaribus Biblicis Babylonicis, Hieroſolymitanis, & aliis. Itaque longè major cauſa quærendi de Teſte aliquo *Inventionis, adſcriptionis, & approbationis* punctorum, quàm de teſte & memoria *Deſcriptorum, & correctorum* Particularium.

2. Sed negamus, factum hoc Tiberienſium Inſtauratorum Punctorum *carere omni teſte, omni Hiſtoria, & omni librorum memoriâ.*

Teſtatur de hoc illorum facto Exemplar Biblicum Hillelianum, ſeu ab Hillele, Principe (ut Hebræi) ſeu Patriarcha (ut Epiphanius eum vocat) Tiberienſi deſcriptum, cujus paſſim apud Hebræos celebris eſt memoria, de quo nos ſuprà cap.7.

Teſtatur de hoc ipſorum facto, quod de Ben Aſcheris indem Tibe-

Tiberienſis Judæi & Ἀρχισυναγώγοι, exemplari emendato Biblico Hieroſolymis quaſi pro πρωτοτύπῳ aſſervato, Hebræorum ſcriptores teſtantur, de quo nos ſup. lib. 1 cap. 15. Liber itidem ipſius, quem de ratione Accentuum Biblicorum conſcripſit.

Teſtatur de hoc ipſorum facto Aben Eſra in loco illo Exo. 25. v. 31. ubi ſcribit, *ſe vidiſſe libros, quos ſcrutati ſint* חכמי טבריא *Sapientes Tiberiadis, de quibus ipſi jurarint quindecim ex ſenioribus ipſorum, quod ter quaterve conſiderarint quamque vocem, quodque punctum, omnemq́; dictionem plenam & defectivam, &c.* Et in lib. Tzachut, ubi teſtatur, *Ex Sapientibus Tiberiadis fuiſſe quoque Maſorethas, & nos ab eis accepiſſe punctationem totam*, h. e. eam rationem punctandi, quam nos in noſtris exemplaribus ſequimur, ubi ſc. inter libros erat diſcrepantia; non Punctationem primam, ut alibi explicuimus, & oſtendimus.

Teſtatur de hoc ipſorum facto R. D. Kimchius, & alii Grammatici, qui ſcribunt, nos Ben Aſcheri Tiberienſis lectionem ſequi debere.

Teſtatur alicubi Maſora ipſa. Et plures procul dubio teſtes producere poſſemus, ſi antiquos libros Maſorethicos & Criticos, ut & primos Hebræorum Grammaticos, habere & evolvere poſſemus.

An itaque iſtud Tiberienſium factum, quod Antiquitatis Punctorum Patroni eis adſcribunt, ita prorſus ſine omni eſt teſte, & librorum memoria?

Proferant Novitatis Punctorum Patroni, ſi poſſunt, vel unicum ſimile teſtimonium, pro Prima Punctorum Inventione, Maſorethis Tiberienſibus poſt-Talmudicis adſcriptâ, & rem magnam eos præſtitiſſe dicemus.

Addit Revelator; *Novum nempe non eſt, neque mirandum, ut nobilis atque adeò admirandi alicujus inventi primum initium, primusq́; author ſit obſcurus & vero planè ignotus. Et hoc variis exemplis, pluribus verbis amplificat & exaggerat*; Acus magneticæ & nauticarum pyxidum, Nolarum, Tormentorum bellicorum, Pulveris pyrii, Artisque Typographicæ: *quorum omnium hiſtoria & prima initia, ignorentur: Neminem item eſſe, qui ſciat, aut hodiè definire poſſit*, quis ille fuerit, qui primus excogitarit, & libris Græcis addiderit notulas ſeu ſigna Accentuum & Spirituum, adeoque etiam diſtinctionis

diſtinctionis ſententiæ in ſua membra, periodos nempe, cola & commata: quo item in loco, aut quo ſeculo hoc ſit factum, &c. *Item*: A quibus, & quando primum factum fuerit, ut antiqui & primi tum Græci & Latini Characteres exoleverint, in eorumq; locum novi iſti recentiores, qui hodiè obtinent, ſucceſſerint, &c. *Denique, plerarumque rerum nobilium & maxime illuſtrium primos inventores hodie eſſe ignotos. Unde concludit, cauſam nullam eſſe, cur incredibile, aut valde mirandum putemus, punctorum Hebræorum primum initium, authores, Patriam, annum, & reliquas circumſtantias altis jam oblivionis tenebris obrutas eſſe.* Et ſic putat ſatis ſe reſpondiſſe ad primum argumentum.

R. I. Omnino non eſt novum, vel mirandum, nobilis atque admirandi alicujus inventi authorem primum, primumq; initium eſſe obſcurum & ignotum. Neque hoc eſt, quod mirum videbatur Parenti meo in hac ratione: Hoc vero eſt, quod ipſi in hac cauſa mirum fuit, quod Elias dixit, *Puncta vocalia, & quidem omnia, ſimul ac ſemel, eſſe demum inventa poſt abſolutum & obſignatum Talmud, a viris Tiberienſibus Moſaicæ, Sapientibus maximis, & in Scriptura exercitatiſſimis, omniumq; Judæorum, qui illis temporibus vixerunt, diſertiſſimis*; Hoc, inquam, mirum, & jure quidem, videtur; cum Elias Tempus (licet non præciſe Annum) inventionis punctorum deſignet, Locum, Authores; qui credibile ſit, ita factum & geſtum eſſe ſine ullo in hiſtoria Hebraica veſtigio? Eliæ, Authores, Locum, Tempus deſcribenti, incumbebat hanc ſuam particularem aſſertionem & affirmationem teſtimoniis & authoritatibus antiquitatis probare. Et annon mirum eſt, Eliam tam ſpeciales circumſtantias hujus inventi proferre, & ne de unico quidem authore alio ipſo antiquiore conſtare, qui hoc idem ſcripſerit vel aſſeruerit. Oportet certe ut hoc Elias vel ex revelatione habuerit, vel ab aliis didicerit. Non autem prius. Si poſterius, Cur illi autores non producuntur? Neque nos illi ſumus, qui vel præciſe ab Antagoniſtis poſtulamus Annum, Nomen, Locum primi hujus rei authoris, vel ipſis hæc [illegible] & obtrudimus, ut qui adhuc in incerto relinquimus, an Puncta primam ſuam Originem Eliæ, an vero Scriptoribus ſacris, debeant? Unde ſi Novatores dicerent de Authoribus & Tempore inventionis punctorum nil certi conſtare, nos non prorſus repugnantes haberent. Itaq; hac exceptione

cauſa

cula admirandi non tollitur, ſed firma manet contra Eliæ exceptionem, adverſus quem ſolum Parens meus ſcripſit. Nam de noviſsima hac noſtri Prophetæ revelatione nihil dum ei conſtitit, cùm illa ſcriberet.

II. Quia verò Revelator prætendet, ſe hîc non cum Elia facere, ſed longè ab illo diverſum eſſe, ut qui non exiſtimet, Punctationem totam ſimul & ſemel, in uno eodemque loco, & ab iiſdem, eſſe confectam, *ſed ſucceſſivè, aliis temporibus, ab aliis authoribus, in aliis fortè ipſis etiam locis, alia atque alia eſſe inventa & excogitata*; ac proinde, ſi maximè hæc ratio aliquid contra Eliam faciat, ſuam tamen ſententiam non lædi; ei quoque eſt ſatisfaciendum.

Reſpondeo ergo 1. Vanitatem & abſurditatem hujus ſententiæ à me jam eſſe ſuprà lib.1. cap.15. abundè oſtenſam & demonſtratam, ut eâ cadente, neceſſariò ſimul concidat hoc effugium. 2. dico, non minùs, ſed fortiùs urgeri hac ratione Revelatoris ſententiam. Quod ſi enim per tot annos, per quatuor circiter ſæcula, per tot gradus & partes, à tam multis denique, in hoc opere fuit ſudatum, ut ille ſtatuit; annon mirum eſt, nec de laboris hujus initio, medio, aut fine, nec de authoribus primis, mediis vel ultimis; nec de temporis ullo articulo, quicquam à quoquam unquam ante Eliam eſſe proditum. Imò annon iſtud magis mirum eſt, quàm alterum illud, quod ex Eliæ ſententia ſequitur? Illic enim unus potuit eſſe author, vel ſaltem plures, unum tamen corpus conſtituentes, ac proinde faciliùs potuerunt oblivione ſepeliri, quàm tot & tam diverſi.

III. Ex his omnibus jam quoq; liquet, fruſtrà produci exempla illa rerum quarundam nobilium & illuſtrium, quarum authores & prima initia hodiè dicit eſſe incognita. Non enim exigitur hîc rigidè Nomen primi authoris, Patria, Annus quo vixit, & ſimiles circumſtantiæ: hoc non eſt, de quo hîc diſceptatur: Non culpatur in Novitatis punctorum Patronis, quòd iſta non edant aut edere poſsint: Imò hoc maximè in hac diſputatione cum ipſis in quæſtione verſatur, *Qui non fuerint?* quàm, *Qui præcisè fuerint?* Dum enim contra illorum ſententiam diſputatur, hoc potiſsimùm agitur, ut oſtendatur; Tales, quales ipſi pro inventoribus punctorum hactenus vendicarunt, nullâ veri cum ſpecie, nullâ ratione hîc obtrudi.

Et quod exempla producta attinet, ſapiens & prudens Lector facilè animadverteret, ea talia eſſe, ut & inter illa ipſa ſit magna differentia, neque omnium & ſingulorum eadem ratio; univerſa autem immane quantum ab ea, de qua nos nunc diſceptamus, re diſcrepent, quemadmodum facillimè demonſtrare poſſemus, ſi nos illis premi & urgeri videremus.

Quia verò prolixitatem & digreſsiones extravagantes [illegible] cautio nobis eſt, diligentiæ illi ſuperſedebimus, & hanc [illegible] ab illis exemplis petitam, & noſtro argumento accommodatam quæſtionem, Lectori penſitandam proponimus; [illegible] (uti fortaſsis non deſunt) *authores, & quidem patrii, [illegible] ventioni illarum rerum prima ſatu propinqui vixiſſent, [illegible] rum initiis & authoribus ſcripſiſſent, varias, [illegible] atque hodie aliquis recentioribus prodiret, qui, [illegible] jectis, plane novos, & omnibus authoribus ignotos, [illegible] ret, novum & antea inauditum omnibus ſcriptoribus Tempus, [illegible] Locum eis aſſignaret, hujusq; ſuæ ſententiæ nullum ex antiquitate & authoribus ullis teſtimonium proferret, [illegible] jure merito [illegible] videretur, unde hic ſuam ſententiam accepiſſet? annon [illegible] exigerentur? annon hæc ejus ſententia, ſi nullus [illegible] poſſet, cordatis omnibus jure ſuſpecta, & explodenda videretur? [illegible] mirandum foret, tam inſignes, tam peritos, rei tam celebris [illegible] res, omni memoria, omni librorum hiſtoria caruiſſe; maxime, ſi conſtaret, quod boni & eruditi Authores, illorum Virorum, & cæteræ [illegible] induſtriæ, mentionem facerent, hac de re vero ne verbum quidem [illegible] rent? Annon denique priores ſententiæ authorum [illegible] rum ſuffragiis approbatæ; probabiliores & [illegible] videntur?*

Ad hanc quæſtionem reſpondendum [illegible] Revelatori, hic ſcrupulus, hæc mirandi cauſa eximenda [illegible] ad rem dicere [illegible]. Ita enim ſe res habet in [illegible] de Punctorum Origine controverſia;

Hebræi qui ante Eliam [illegible] omnes (quantum quidem ex libris illorum ha[illegible]re potuit) in hac fuerunt ſententia, Punct[illegible]um vel à Moſe eſſe profectum, & [illegible] tempore jam [illegible], [illegible] ſaltem ab Eſdra & viris Synagogæ magnæ excogitatum. *Prodiit ante centum annos Elias*, qui omnium primum

priorum ſententiis rejectis, primos & ſolus novos hujus artis architectos fabricavit Maſorethas Tiberienſes. Viros in lingua Hebræa politiſſimos, diſertiſſimos, & peritiſſimos, idque ſine ullo teſte, ſine ullo authore. Obſervatum a nobis, Hebræos, & quidem antiquos, a ſexcentis & amplius abhinc annis, Tiberienſium ſapientum meminiſſe, ſtudium & diligentiam circa Scripturæ Sacræ lectionem & ſcriptionem, ſummamq; illorum in Lingua Hebræa peritiam, politamque elegantiam & accurationem, paſſim commendare, hanc vero laudem præterire omnes, quod Punctorum fuerint inventores; cùm tamen conſtet, illorum etiam nonnullos, ut Aben Eſra & Coſri, in indaganda Punctorum origine laboraſſe, ut de recentioribus, & iis qui poſt Eliam vixerunt, nihil dicam, e quibus nullus hactenus repertus, qui calculum ſuum ei appoſuerit. Annon itaque jure ſcripſit Pater meus, mirum eſſe, Virorum tam potentium, tam in legenda Scriptura exercitatorum, tam novum, tam admirandum, tanti momenti circa Sacrarum literarum ſobriiſsimam & arduam tractationem inventum, ſine ullo teſte, ſine omni hiſtoria, ſine ulla librorum memoria extare, & univerſæ Judaicæ nationi communicatum, & ab ea ſimul, ceu oraculum divinum, continuo & ſine exceptione acceptatum eſſe? *Poſt Eliam ante 22. annos prodit Revelator*, qui, poſt & contra priores omnes, aſſerit & defendit, Maſorethas quoſdam Tiberienſes (aut fortaſſis alios) circa annum Chriſti 500. primos fuiſſe inventores, qui quinque Vocalium naturalium figuras excogitarint: quibus poſtea ſucceſſerint, qui his aliquid addiderint: ſecundis his ſuperveniſſe tertios; tertiis quartos, &c. ſicque continue uſque ad annum Chriſti milleſimum, quando Ben Aſcher Tiberienſis itidem Judæus caput extulit, & Punctationis hanc machinam per 500. annos fabricatam, variis additionibus, mutationibus, emendationibus, perfecit, ſicque ab illo perfectam, ſtatim (quod præcedentium nulli obtinere potuerunt) ab univerſa gente Judaica (niſi in quibus Ben Naphtali homo Babylonius diverſum ab eo petiit) tanquam oraculum Divinum, immutabiliter inpoſterum habendam, omniumque calculo acceptatam & approbatam eſſe. Annon mirari convenit, unde hæc habeat? Annon mirum jure videtur rem hanc omni in Hebræorum ſcriptis carere memoriâ, teſtimonio & hiſtoria? Annon jure univerſale hoc ſilentium fidem

novis his ſententiis detrahit? Annon optimo jure tituloque, ſi nec Elias, nec Revelator, antiquitatis teſtimonia pro ſuis ſententiis protulerint, veterum opinioni ſubſcribo, Puncta vel inde à Moſis temporibus eſſe, vel ſaltem Eſdram authorem agnoſcere?

Satis *de Primo Argumento Hiſtorico.*

Secundum Argumentum, à Silentio Hiſtoriæ Hebraicæ de Punctatoribus Tiberienſibus, à Parente meo prolatum, hoc eſt;

Cùm utriuſque Talmud, Hieroſolymitani & Babylonici elaboratio, conſcriptio, Authores, & quicquid ad illorum librorum Hiſtoriam pertinet, magno ſtudio ab Hebræis obſervatum & annotatum ſit, quomodo retinere potuerunt id, quod circa Sacræ Scripturæ genuinam, authenticam, & æternam Lectionem verſabatur?

Argumentum hoc eſt à minore ad majus: Si diligentiam ſuam probarunt in eo quod minus eſt, non probabile eſt, paſſuros ſuiſſe eam claudicare in majori.

Excipit Revelator, *Sed & huic argumento eadem quæ ſuperiori quadrat & aptari poteſt reſponſio. Nempe, nec ita certam eſſe confecti Talmud hiſtoriam, quando, a quibus, & ubi ſit illud confectum, quin & hæc craſſis ferè tenebris involuta. Elias Levita dicit, abſolutum eſſe Talmud anno mundi (ſecundum Judæorum æram) 3989. At R. Abraham in ſua Cabala dicit, non eſſe abſolutum illud opus, niſi anno mundi 4266. Itaque differunt hi duo Judæi in tempore [illegible] annis fermè 300. [illegible] ſi Talmudis hiſtoria ſit [illegible], quam ſit illa inventorum punctorum à Maſorethis, [illegible] eſſe dic[illegible], quod Juris Judaici ſtudium tum ferveret, [illegible] cognitio multo [illegible] fieret inter Judæos, quam ſtudium Maſorethicum, ideoq; illius [illegible] quam iſtius Hiſtoriæ memoriam eſſe conſervatam.*

℞. Quemadmodum ille dicit in genere, eandem quadrare huic argumento reſponſionem, [illegible] priori: ita nos quoque putamus à nobis pariter [illegible] reſponſionibus eſſe ſati[illegible].

Quod verò [illegible] ait, Talmudis quoque hiſtoriam non eſſe ita certam & evidentem, cùm inter ipſos Hebræos, Eliam nempe & R. Abrahamum ben Dior, hac de re [illegible]

dum hic diſſenſio, trecentorum ferme annorum, aliquid de hac differentia addendum.

Sciendum ergo, Omnes Hebræos in hoc conſentire, Talmud Babylonicum abſolutum & obſignatum eſſe Anno mundi 4260. & 65. vel. 66. hoc eſt, 430. vel 436. circiter, poſt vaſtatum Templum ſecundum, 500. poſt Chriſtum natum annis. Mirum itaque, quî tam enormiter ab eis hîc recedat Elias?

Conſideranti autem mihi hanc diſcrepantiam, deprehendi hîc manifeſtum σφάλμα μνημονικὸν in Elia, dum ſcripſit, *Talmud, Babylonicum ſi. abſolutum & obſignatum eſſe Anno 3989.* Hic enim eſt annus, quo abſolutum fuit *Talmud Hieroſolymitanum*, non Babylonicum, ut videre eſt in Tzemach David fol. 44. col. 2. ad annum תתקץ 3990. qui eſt annus Chriſti 230. Errorem talem, ex inadvertantia profectum, hunc eſſe, apparet ex eo quod dicit, *Annum illum mundi 3989. eſſe* שנת ת'ל'ו אחר חרבן בית שני *annum 436. a vaſtatione Templi ſecundi*; quà ratione à cæteris Hebræis non diſſentiret. Sed manifeſte hic ſibiipſi contradicit. Annus enim ille 3989. non attingit annum 200. excidii Templi ſecundi, nedum annum 436. Nam ſcribunt, Templum vaſtatum eſſe anno mundi 3828. Chriſti 68. Quid igitur? Cum poſterior hæc deſcriptio Talmudis abſoluti, Anno ſc. 436. everſi templi, cum Hebræorum cæterorum chronologia conveniat, vel cæcus palpet, Eliam hic dormitaſſe in conſignatione æræ à condito mundo, & annum abſoluti Talmudis Hieroſolymitani, pro anno abſoluti Talmudis Babylonici, ſingulari oſcitantiæ exemplo ſubſtituiſſe. Itaq; nulla hîc inter Eliam & cæteros Hebræos eſt differentia, cum & Elias, & illi, aſſerant, Talmud Babylonicum abſolutum eſſe 430. vel 436. poſt vaſtatum Templum ſecundum annis. Et mirum, Revelatorem noſtrum, qui gloriatur, ſe *rationes, quæ utrinque adducuntur, non oſcitanter excuſſiſſe, ſed accuratiſſimè examinaviſſe, & penitiſſimè introſpexiſſe*, hunc errorem non animadvertiſſe. Sed Scaliger D. Cappello hic lapis fuit offenſionis, qui & ipſe ad hunc ſcopulum obhæſit, neque ex eo ſe extricare potuit, De Emendatione Tempor. pag. 614. editionis ſecundæ.

Quod verò addit, *I[illegible]de etiam fieri potuiſſe, ut Talmudis potius, quàm Punctationis Biblicæ hiſtoria ſit conſignata, & memoria conſervata; quòd Talmudis ſtudium tum multò plus fieret inter Judæos, quàm ſtudium Maſorethicum*,

Ad id nos breviter dicimus, licet id concedamus, quia tamen constat, & hoc studium circa illud tempus & paulò post, suos cultores habuisse; certe si non accurata historia, aliquid saltem vel per indicia hac de re reperiretur. Atqui ne gry quidem, ne apocula, imo ne jota quidem vel apex, de Tiberiensibus Masorethis Punctationis authoribus, in omnibus Hebræorum scriptis, quæ quidem mihi sub manus & oculos hactenus venerunt, & qui ante Eliam scripserunt, reperitur. Magna itaque vis, magnumque pondus huic Argumento manet.

Caput XII.

In quo duo alia Argumenta Historica, Tertium videlicet & Quartum, proponuntur, atque ab Exceptionibus Revelatoris vindicantur.

T*Ertia Ratio*, quam Pater meus in Tiberiade sua sub finem cap. 7. adducit, deducta est a majore & diuturniore Scholarum Babylonicarum celebritate ac flore, ambitione item & æmulatione, qua Babylonii erga Palæstinos ferebantur, his verbis;

Cum gloriosissimi & fastuosissimi Babylonii Judæi, in florentissimo regno habitantes, Palæstinæ vastatæ, & magna magnaque ruinosa rudera occupantes Judæos, ipsorumque Scholas, suæ doctrinæ authoritate & celebritate cito obscurârint, & penitus tandem deleverint: quomodo post tot secula, in tanto studiorum in Babylonia vigore, fervore, & flore, ipsius Criticæ circa Sacram Scripturam studii æternam laudem & gloriam soli Tiberiensibus reliquissent?

Hoc nempe vult illud argumentum; Cum Babylonii Judæi ne-

que

que Doctores natur[illegible] fuerant [illegible] glorioſiſſimi & ſaltuo[illegible]ſimi, æmulatione etiam quadam & livore erga Palæſtinos ducti; cum item Scholarum ſuarum, atque ſtudiorum florem, vigorem, laudemque longe diutius, quam Palæſtini conſervarint, imo Palæſtinas Scholas ſuâ gloriâ plane delêverint & extinxerint, omnem dignitatem & ſplendorem, pleroſque etiam Doctores celebres, & Studioſorum frequentiam ad ſe pertraxerint, uti fieri ſolet in Academiæ alicujus ingruente [illegible], non eſt veriſimile, Babylonios, quorum ſcholæ tum adhuc in ſummo ſplendore erant, hic otioſos ſpectatores futuros fuiſſe, & Critici hujus circa Sacram Scripturam ſtudii æternam laudem & gloriam, ſine contradictione, ſolis Tiberienſibus, aut etiam, uti Revelator vult, uni vel [illegible] Tiberienſi umbratico & privatam vitam agenti Doctori [illegible], leges legendi ab illis accepturos, & faſces illis ſubmiſſuros fuiſſe?

Quid ad hæc Revelator? Quid hîc excipit? *Ad præcedentes,* inquit, (cap. 16. §. 2. & 3.) *reſponſiones hoc addo. Aliud eſt Criticum circa ſacram Scripturam ſtudium, aliud vero inveniſſe Vocalium & Accentuum notas, ſeu figuras eorum excogitaſſe. Antequam notulæ iſtæ excogitarentur, ſciebant Judæorum docti [illegible], quomodo legendus eſſet Sacer Textus, hoc eſt, quibus Vocalibus & Accentibus ſinguli voces eſſent efferendæ. & variæ obſervationes Maſorethicæ circa ſacrum Textum longe ante illum punctulorum inventionem extabant. Hoc Criticum ſtudium Judæis erat magna in commendatione, quidni & Babylonii fuerit in pretio? Ultro id largior. Sed num inde ſequitur, Babylonios potius, quam alios Judæos debuiſſe excogitare notulas Vocalium & Accentuum, quibus Judæi omnes ſacrum Textum nondum notulis iſtis ſignatum, legebant? Minime vero. An non enim potuit Tiberienſi alicui hoc venire in mentem, operæ pretium fore, ſi Vocales illæ, & Accentus, quibus ſacer Textus [illegible]bat ab iis legi, notulis quibuſdam ſignarentur, & commode Conſonantibus aptarentur, ut hac ratione labore illo & moleſtia (quæ [illegible] tum docentibus, tum diſcentibus incumbebat, in docenda & addiſcenda [illegible] ita Sacri Textus lectione) liberarentur illi qui deinceps lectioni ſa[illegible] vacare vellent, [illegible] notularum ſubſidio, nullo negotio, lectionem ſacram ſibi compararent; Potuit [illegible], hæc cogitatio in mentem tam Tiberienſi alicui, quam Babylonii venire. Atque ubi ejus animum ſubiiſſet [illegible] cogitatio, & de ejus rei uſu & fine [illegible] longe uberrimo ſerio cogitaſſet, animum deinde illi potuit applicaſſe ad*

excogi-

excogitandas & animo effingendas notulas ejuſmodi, quæ aptè & commode Conſonantibus adderentur, quas ubi excogitavit, communicato forte hac de re cum aliis nonnullis Conſilio, de communi ſententia huic operi cum ſociis incubuit, atque ipſo facto conſilium ſuum probaverunt, ſignatis in codice & appoſitis ad Conſonantes Vocalium & Accentuum notulis a ſe excogitatis, &c.

Nos ad præcedentes reſponſiones noſtras, ſequentia nunc addemus;

1. Committi hîc iterum ab Antagoniſta Ignorationem elenchi. Fruſtra diſtinguit inter Criticum circa Sacram Scripturam ſtudium, & Inventionem Punctorum & Accentuum. Manifeſtum enim ſatis eſt, nullâ ambiguitate in argumento allato ludi, ſed de illo ipſo etiam agi, de quo hîc controvertitur, *de Inventione ſol. notarum Vocalium & Accentuum.* Illud ſtudium cur non etiam rectè poſsit *Criticum* appellari, ego non video: Latus enim valde eſt iſtius ſtudii campus. Imo, ſi λογομαχίας inſtituere placitum nobis eſſet, facilè nobis foret illam Revelatoris ſententiam ventilare & vellicare, quâ *Studium Criticum* definit per *ſcientiam legendi Textum ſacrum ſecundum Vocales & Accentus.* Sed tranſeat: & ponamus, illud excludendum eſſe ab arte Critica, tamen placuit id ita appellare Parenti meo; inprimis, quia contra Eliam duntaxat ibi loci pugnavit, qui Maſorethas Tiberienſes Authores fecit & Punctorum, & illius Maſoræ partis, quæ de Punctis agit. Hinc non dicit indefinitè, *Studii Critici circa Sacram Scripturam*; ſed *Iſtius ſtudii*; de quo nempe illic egit: Egit autem de Tiberienſibus Maſorethis, quos & Punctatoriæ & Maſorethicæ artis fabros fecit illas.

2. Nemo noſtrûm negat, illam ſtudii Critici partem, quâ ratione legendus eſſet Sacer Textus, quibuſque Vocalibus & Accentibus ſingulæ voces eſſent efferendæ, omnibus Judæis in Babylonia & Palæſtina fuiſſe communem; extare etiam utrorumque ſtudii ſpecimina; imò plus etiam, quam Revelator, hîc dicimus, Tiberienſes ſcilicet Hebræos ..., hac in parte & ſtudioſiſſimos, & exercitatiſſimos fuiſſe etiam poſt extinctum florem publicarum Scholarum & Academiarum; unde in diverſis lectionibus Orientalium & Occidentalium Judæi ſemper ſequuntur lectionem Occidentalium; ac proinde

3. Neque hoc negamus, non æquè potuiſſe Tiberienſi alicui,

atque

atque Babylonio, hoc in mentem venire, operæ pretium fore, ſi poteſtates Vocalium & Accentuum, ad faciliorem reddendam lectionem ſacram, eamque in ſua integritate conſervandam, notæ quædam excogitarentur; vel,non æquè potuiſſe Tiberienſem aliquem,ac Babylonium, animum huic ſtudio applicare.

4. Quid itaque controvertitur? Huc reſpicit vis argumenti allati: Si Tiberienſes hoc feciſſent, Babylonios hujus inventi laudem non ſolis Tiberienſibus relicturos, ſed, ſi non totius operis gloriam ad ſe pertrahere potuiſſent, ſuam ſaltem ſymbolam collaturos, & partem aliquam ſibi vindicaturos fuiſſe. Cauſa; quia naturâ fuerunt faſtuoſiſsimi glorioſiſsimique, & quia inſita quædam inter utriuſque gentis Sapientes erat æmulatio,& Babyloniorum cum Palæſtinis concertatio, uti non ſolum patet ex Diſputationibus Talmudicis; ſed præcipuè ex Diſſenſionibus utrorumq; circa Sacræ Scripturæ Lectionem: Hinc חלופים *Diverſitates ſeu Diverſæ lectiones multorum locorum ſcripturæ* circa Vocales quaſdam, בין בני ארץ ישראל ובין בני בבל *inter filios terræ Iſraelis, & filios terræ Babel*, ſeu, quod idem, בין מערבאי למדנחאי *inter Occidentales & Orientales*, quæ annotatæ ſunt in fine Bibliorum magnorū, quæq; jam ante abſolutum Talmud fuerunt, ut cujus exempla in Talmud citantur. Hinc etiam *Diſſenſiones & diverſæ lectiones Ben Aſcheris, Tiberienſis, & Ben Naphtali, Babylonii*; Quia, inquam, perpetua quædam etiam inter ipſos erat æmulatio & concertatio, non veroſimile videbatur Parenti meo, hoc à Tiberienſibus fieri potuiſſe, ſine alicujus æmulationis Babyloniorum indicio, aut ſine aliqua contradictione,&c. multo minùs id mihi videtur veroſimile, ſi Punctorum & Accentuum iſta ſupellex atque ſarcina per quingentorum ferè annorum ſpatium fuit collecta & congeſta. An illi per tot ſæcula otioſi ſpectatores fuiſſent, nec ſe in partem gloriæ hujus ingerere voluiſſent?

5. Fruſtrà ergo ſunt, quæ ulterius ſeqq. quoque aliquot paragraphis in hanc ſententiam prolixè diſſerit. Unicum tamen,quod ſub finem §. 5. ſcribit, non prætereundum; *Dicamus*, inquit, *ergo, Maſorethas punctorum inventores ideò forte dictos* Tiberienſes, *quòd Tiberienſis fuerit, non vero Babylonius, ille, cui inventum ſignandi Vocales & Accentus notulis quibuſdam, primùm venit in mentem, quodq́; Tiberiade primus Codex notulis illis ſignatus fuerit.* Subtilis ratio, cur

Punctorum Inventores dicti fuerint *Tiberienſes*, quam neſcio an cuiquam facile ſit perſuaſurus, qui illam cum tota ipſius de Inventione Punctorum ſententia contulerit. Et quamvis illa, ut quod res eſt dicam, mihi admodum videatur improbabilis & incredibilis; ſpondeo tamen, me id mihi perſuaderi paſſurum, ſi unicum, ante Eliam, authorem produxerit Revelator, a quo *Authores punctorum* dicti fuerint *Tiberienſes*. Tiberienſes iſti authores punctorum in Hebræorum libris ſunt omninò Utopienſes. Falſa eſt hæc Hypotheſis, cui innititur Revelator; *Authores punctorum dictos eſſe Tiberienſes:* Falſæ itaque rationes prolatæ, cur ita dicti. Elias, qui illos ita vocat, nullo poteſt haberi loco, ut jam ſæpè alibi diſputavimus.

6. Quemadmodum ea, quæ hactenus prolata ſunt, non directe frontem argumenti ferierunt: ita non magis id faciunt ſequentia, quamvis videri velit nunc *apertè & directe* reſpondere. *Etenim*, inquit, *ut redeam ad tertium illud argumentum, quo ſententia noſtra de Punctorum Novitate premi putatur;* Reſpondeo *jam ex his aperte & directe; Nullam cauſam fuiſſe, cur* Faſtuoſiſsimi & glorioſiſsimi Babyloniæ Judæi, *Tiberienſibus inventi illius gloriam ereptum irent: Nam gloriam iſtam illis concedendo, non propterea fatebantur, ſe illis eſſe in peritia ſtudii Critici inferiores, quando, uti dixi, peritia ſtudii Critici illius non poſita eſt in excogitandis notulis, ſed in cognitione, quam tum & a multis retrò ſeculis habebant docti & eruditi Judæi, quibus Vocalibus & Accentibus legendus eſſet Sacer Textus, quam cognitionem Maſorethæ Tiberienſes non unà cum notulis excogitarunt, & de proprio cerebro pro arbitrio confinxerunt, ſed quam pridem ex orali traditione & Scholaſtica inſtitutione habebant perſpectam, quamq; inter legendum jam ante notularum inventionem obſervabant accurate, eam notulis à ſe excogitatis expreſſerunt. Non ceſſarunt ergo Babylonii Tiberienſibus peritia ſtudii Critici, nihil hoc aliorum cauſam, aut noſtram lædit, qui non affirmamus, à Tiberienſibus ſtudium Criticum eſſe excogitatum, aut a ſolis Tiberienſibus excultum, ſed ſolas dicimus eſſe ab ipſis excogitatas Vocalium & Accentuum figuras. Impudentiſsimi autem fuiſſent, & plane vecordes Babylonii, ſi, poſtquam a Tiberienſibus primum excogitatæ fuerunt illæ notulæ, & Tiberiade primus codex notulis ſignatus eſt, voluiſſent inventi illius laudem illis eripere, atque ad ſe rapere, aut ſi exiſtimaſſent, adeoq; ſperaſſent, potuiſſe ſe hoc ab hominibus impetrare, ut crederent à*

ſe Ba-

ſe Babylone, non a Tiberienſibus Tiberiade, profectum eſſe illud inventum.

℞. 1. Non dicit Pater meus, Babylonios faſtuoſiſsimos & glorioſiſsimos, Tiberienſibus laudem & gloriam inventionis Punctorum, ſiquidem illa ab ipſis inventa eſſent, erepturos, atque ad ſe prorsùs rapturos fuiſſe; ſed hoc dicit, *quomodo poſt tot ſecula, in tanto ſtudiorum in Babylonia vigore, fervore, & flore, iſtius Critici circa Sacram Scripturam ſtudii, æternam laudem & gloriam* ſolis *Tiberienſibus reliquiſſent?* Longè eſt aliud, *Alicujus rei laudem & gloriam alteri* ſoli *non relinquere*; &; *In totum eripere, & ad ſe trahere.* Si nempe Tiberienſes, uti vult Revelator, fundamenta feciſſent, Babylonii, ſi non aliud atque diverſum fundamentum ponere voluiſſent; ſaltem tentaſſent, illi fundamento conveniens ædificium ſuperſtruere, vel apicem & faſtigium ei imponere, atque ita in partem gloriæ venire, aut ſuo labore priorum gloriam obſcurare. Sed nec unius nec alterius veſtigia extant in Hebræorum hiſtoria.

2. Excogitatio, inventio, & adſcriptio Punctorum Vocalium & Accentuum, minimè excludenda eſt à Criſi, ſed magnam & nobiliſsimam ejus conſtituit partem, ut quæ non tantùm poſita eſt in cognitione veræ & accuratæ *Lectionis*, ſed & *Scriptionis* Sacri contextus. Neque eſt quæſtio, Utri alteros vicerint in peritia Critici ſtudii in genere? Non etiam hoc dicitur, Babylonios, pro innata ſua φιλοτιμίᾳ & arrogantia, inventi illius, ſi quod à Tiberienſibus profectum eſſet, gloriam ad ſe rapturos, & ſibi impudenter transſcripturos fuiſſe; ſed hoc agitur; Utrum probabile ſit, Babylonios, in quorum Scholis tum adhuc Literæ, Literati, Literatæque virtutis & doctrinæ præmia vigebant ac in flore erant, quique naturâ erant faſtuoſi & glorioſi, erga Palæſtinos invidi & æmuli, hujus criſeos partis, quæ conſiſtit in Adſcriptione notarum punctorum Vocalium & Accentuum, gloriam Tiberienſibus, & quidem privatis aliquibus Doctoribus, ſolis relicturos, nec aliquam ejus partem ad ſe tracturos fuiſſe? Ad hanc quæſtionem nihil prorſus faciunt reſponſiones allatæ.

3. Cum iterum hîc repetat, *Peritiam ſtudii Critici ante Inventionem Punctorum conſtitiſſe in cognitione, quam docti & eruditi Judæi habebant, quibus Vocalibus & Accentibus legendus eſſet ſacer contextus; & hîc a Tiberienſibus per Vocalium & Accentuum inventum non eſſe in-*

troductam novam Lectionem , ſed expreſſam duntaxat eam , quam ex orali traditione , & Scholaſtica inſtitutione habebant perſpectam; non immeritò videtur hîc iſta quæſtio *primo* moveri poſſe; An ergo cognitio & ratio legendi Scripturam Sacram duntaxat penes doctos & eruditos fuerit ante Maſorethærum Tiberienſium tempora? aut, An omnes illi Critici fuerint, qui veram & genuinam legendæ Legis & Prophetarum rationem noverunt? &, Quæ, quamque accurata fuerit priſca illa Critica? 2. Quomodo item iſta cum ſuperioribus ejus dictis conveniant? Dicit hic, *Criticos veteres ante-Tiberienſes noviſſe, quibus Vocalibus & Accentibus legendus eſſet Sacer contextus:* Atqui ſupra dixit; *Majorem partem iſtius ſupellectilis atque ſarcinæ Punctatoriæ & Accentuatoriæ eſſe inutilem atque ſupervacaneam, a Maſorethis moroſiſſimis, ſuperſtitioſiſſimis, ſcrupuloſiſſimis, ſine ulla neceſſitate excogitatam, ad cultum elegantiamve lectionis linguæ Hebrææ nihil quicquam facere, eſſe frivolas minutias, & argutulas apinas, vel tricas potius Grammaticas, Grammaticorum otio abundantium vel abutentium potius, &c. rationem legendi, quam horum apiculorum inventores obſervabant ipſi, & ab aliis* (Punctorum & Accentuum additione) *obſervari volebant, eſſe ſcrupuloſiſſimam & ſuperſtitioſiſſimam, Gravitate & majeſtate Sp. S. indignam*, & alia ſpecialia quamplurima hujuſmodi. Quomodo jam in hac Critici ſtudii ponit peritiam? Quomodo nunc doctrinæ & eruditionis laude commendat? Quomodo jam ſcribit, illos eam legendi rationem, quæ antea fuerat obſervata, accuratè notulis à ſe excogitatis expreſſiſſe? Imò quomodo hæc omnia Tiberienſibus adſcribit, qui Tiberiade tantùm prima hujus artis fundamenta vult jacta fuiſſe, nonniſi quinque ſæculis, poſt prima hæc initia ac fundamenta, ubi & à quibus incertum, excultæ & abſolutæ? &c. Si nulla fuit vocalium longarum, brevium, & breviſſimarum (quæ ſcil. nunc ſic vocantur) in pronunciationis qualitate differentia, & quinque naturalium Vocalium duntaxat ſono, tribusque aut quatuor ad ſummum accentibus diſtinguentibus fuit opus: Si veram legendi rationem per ſe & faciliſſimè quiſque ſciebat, utpote cùm Lingua Hebræa ipſis eſſet, ſcilicet, adhuc vernacula, an tantæ fuit artis ſcire rationem legendi Sacrum Contextum, ut totum ſtudium Criticum in ea ſit ponendum? Quid quæſo fuit, quo docti ab indoctis differebant? Quid ex orali Traditione & Scholaſtica

inſtitutione

inſtitutione diſcebant? &c. Qui hæc omnia inter ſe accuratè eſt collaturus & penſiculaturus, nil niſi ſcopas diſſolutas ubique in hac ſententia reperiet, nullibi colligatas ac cohærentes; præterquam quòd ſcopum non attingant. Pergamus itaque.

Quarta Ratio; *Cum Judæi Babylonii Talmud Hieroſolymitanum ſuo Talmude Babylonico oppreſſerint, obſcurarint, & penè in nihilum redegerint, ſuoq; Talmudico operi eam authoritatem conciliarint, ut eo univerſa natio Judaica, quæ ſub toto cælo eſt, æternùm regatur, ut etiamnum hodiè regitur, quomodo non etiam iſtius ſtudii Maſorethici authoritatem, fidem, laudem, & gloriam ad ſe pertraxiſſent?*

Ratio hæc convenit cum ſuperiori, & quod prior generaliter arguit, hæc idem facit ſpecialiter, exemplo producto à Talmude, quod duplex habetur inter Judæos, Hieroſolymitanum, quod prodiit Hieroſolymis circa annum Chriſti 230. & Babylonicum, quod abſolutum circa annum Chriſti 500. Hoc Talmude publicato, prioris Hieroſolymitani gloria & authoritas omninò fuit abolita, ita ut hoc tantùm nunc à Judæis pro regula & norma in rebus tam fidei, quàm vitæ & morum, habeatur. Ita nempe magna, ita potens erat Babyloniorum eo tempore authoritas, ut Palæſtinis ubique palmam præriperent. Hanc gloriam cùm circa Legem Oralem quæſiverint & obtinuerint, quî non etiam circa Legem ſcriptam aliquid moliti eſſent, ſi tale quid publico nomine à Palæſtinis tentatum fuiſſet? quî credibile, illos hîc tam deſides, ignavos, & ſocordes futuros.

Quid hîc Excipit Revelator? Cùm, inquit, *nihil in hoc argumento novi adferatur, quod jam non ſit in præcedentibus, non etiam novâ opus eſt ad illud reſponſione. Imò verò, quomodo Babylonici Talmudis authores, Hieroſolymitani Talmudis confectionem ſibi non vendicârunt, neq; prorſus aboleverunt (extat enim adhuc Talmud iſtud Hieroſolymitanum): ita nihil neceſſe eſt affirmare, Babylonicos illos Magiſtros ad ſe rapturos fuiſſe gloriam inventorum Punctorum.*

℞. 1. Cum nihil novi contra hoc argumentum proferatur, & præcedentibus à me exiſtimem eſſe ſatisfactum, argumento huic quoque ſuam vim manere arbitramur.

2. Quemadmodum Babyloniæ Judæi, Talmud Hieroſolymitanum ſuo Talmude oppreſſerunt; non Hieroſolymitanorum gloriam ſibi vendicando, aut Talmud illud ſupprimendo & è medio tollendo: Nam Miſchnajoth, a R. Jehuda ſancto collectas, qui Hieroſolymitanus fuit, prorſus immutatas retinuerunt, & authori ſuo reliquerunt; ſed novum, illuſtrius, abſolutius & perfectius Corpus & ſyſtema conficiendo, eoque confecto, ob ſuum ſplendorem, potentiam, & gloriam, obtinendo, ut hoc ſuum Talmud ab univerſa gente Judaica pro canone & norma omnium actionum, litium & controverſiarum habeatur, non verò Talmud Hieroſolymitanum: ita veriſimiliter admodum poteſt ſtatui, ſi quid adeò novum ab Hieroſolymitanis Judæis circa Sacræ Scripturæ Lectionem fuiſſet tentatum, illos itidem laboraturos fuiſſe, ut aliquam huius gloriæ partem ad ſe traherent, illorumque laborem obfuſcarent; maximè ſi, ut Revelator vult, nonniſi tenuia & levia fundamenta ejus rei Tiberienſes jeciſſent. Quis vero unquam dixit aut ſomniavit, Babylonios ſibi vendicaſſe confectionem Talmudis Hieroſolymitani, aut illud aboleviſſe? Novimus utique hoc à Babyloniis nec tentatum, nec factum eſſe. Non eſſentiam vel exiſtentiam, ſed Gloriam, vim, valorem, atque authoritatem ipſi ademerunt, ut non ampliùs eo loco ſit, quo fuit antea, uti noverunt ii, qui rerum Judaicarum habent peritiam. Conſulat quemcunque Rabbinum Revelator, & dicet ipſi, quâ ratione Talmud Hieroſolymitanum oppreſſum, & in nihilum quaſi redactum fuerit à Babylonico. Itaque nihil hîc iterum ad rem dictum, & meris ſophiſmatis agit Antagoniſta.

Caput XIII.

Quinta & ſexta Ratio, ab Hiſtoria petita; earumq; ab Exceptionibus Revelatoris Vindicatio.

Quintum Argumentum, quod ex Hiſtoria pro Punctatoriæ & Maſorethicæ artis antiquitate

quitate contra etiam proponit Pater meus, hoc eſt;

Si Judæi Tiberienſes, poſt Talmud Babylonicum, ſtudiis per mille annos in Babylonia vigentibus & florentibus, Maſoram & Puncta lectionis ſacræ confecerunt; quomodo id ſine ſcitu Babyloniorum, penes quos ſolos omnis doctrinæ Judaicæ culmen erat, immo & conſenſu atque communi approbatione, facere potuerunt? merebatur certè iſta lectio, quæ ad externas vocalium figuras adſtricta, & Notis Maſorethicis confirmata erat, totius Eccleſiæ Judaicæ teſtimonium & approbationem communem; eſſe ſcilicet eam in omnibus & ſingulis literis & vocalibus, ad minimum uſque apicem, antiquæ Moſaicæ & Propheticæ authenticæ penitùs conformem & congruentem. Atqui de hujus vel conſilii communicatione, vel operæ approbatione, ne gry quidem in tota Hiſtoria Judaica. Certè, ſi primi poſt Talmud Babylonicum Scriptores id maximè reticuiſſent, Kabbala tamen oralis ſic illud nunquam ſuppreſſiſſet, ut non tandem ab aliquo proditum fuiſſet

EXCIPIT Revelator; Primò;

Facilè eſt ex præcedentibus reſpondere ad hoc argumentum. Nam primò idem objici ipſis poteſt. Nam quando fatentur, à Maſorethis poſt-Talmudicis ſaltem inſtauratam, adeoq; caſtigatam, atque emendatam fuiſſe punctationem, totumq; adeò Sacrum Veteris Teſtamenti textum, tam quoad literas, quam quoad Vocales ſive Puncta, ea forma qua jam hodie extat, ex variorum (ut ipſis quidem placet) Codicum collatione conſtitutum eſſe; Quæro, Annon merebatur (*ut eorum verba ipſis reponam*) iſta *ſic ab illis Maſorethis conſtituta* Lectio totius Eccleſiæ Judaicæ teſtimonium atque approbationem communem, eſſe ſcilicet eam in omnibus & ſingulis Literis & Vocalibus, ad minimum uſque apicem, antiquæ Moſaicæ & Propheticæ authenticæ penitus conformem & congruentem. Atqui de hujus vel conſilii communicatione, vel operæ approbatione, ne gry quidem in tota Hiſtoria Judaica. *Reſpondeant huic quæſtioni, & ipſi eadem operâ ſibi ſatisfecerint, in eo argumento quod adverſum nos producunt. Ita in eos retorquetur hoc ipſorum telum.*

Viciſſim

Viciſsim regero ego, Facillimum eſſe ad hanc Retorſionem reſpondere: Et ſupra jam cap. 9. ſimili objectioni reſpondimus.

Primo falſam & ambiguam ſumit hypotheſin, dum inquit, *Nos fateri, a Maſorethis poſt-Talmudicis ſaltem inſtauratam, adeoq; caſtigatam, atque emendatam fuiſſe punctationem; totumq; adeò Sacrum Veteris Teſtamenti textum, tàm quoad Literas, quam quoad Vocales ſive Puncta, eâ formâ quâ jam hodiè extat, ex Variorum codicum collatione conſtitutum eſſe.* Non memini me hæc in Parentis mei ſcriptis uſpiam legiſſe. Non etiam memini, mihi ſimile quid in Hebræorum ſcriptis occurriſſe. Cùm verò contra Patrem meum diſputet, ipſius, non alienis hypotheſibus & principiis, cum ipſo eſt agendum. Si alius quis hoc ſcripſerit, ille defendat. Nullibi, quod ſciam, ita liberaliter Pater meus de Tiberienſium poſt-Talmudicorum labore judicavit & ſcripſit, qui nullibi eos invenire potuit. Itaq; cum hæc Reſponſio non feriat Parentem meum, jure a nobis nulla & inefficax habetur.

Secundò committit Fallaciam falſorum Parium, dum vult, Parem eſſe rationem, Punctorum, quæ antea nuſpiam in rerum naturâ extiterunt, *Inventionis* eorumque ad Sacrum codicem (qui inde à prima ſua origine, per tot ſæcula, generationes & ætates, illis caruiſſe dicitur) *Adſcriptionis*, & per notas Maſorethicas adjectas *Confirmationis* (hæc enim Elias, contra quem Pater meus diſputat, conjungit & iiſdem authoribus adſcribit): & Punctatorum jam codicum, eorundemque temporum injuria ac ſcriptorum incuriâ alicubi depravatorum & variantium, *Correctionis & Collationis.* Quis etenim inter hæc non maximam deprehendit diſparitatem? Illud eſt res prorſus nova, & novi exempli. Hoc, eſt rei veteris cuſtodia & conſervatio. Illud non eſt privatorum hominum, neque privati facti: quia non eſt privatæ perſonæ, rem aliquam novam, ſine publica authoritate, textui Scripturæ Sacræ inſerere: Hoc cujuſvis eſſe poteſt, maximè ſi id fiat nullo cum aliorum præjudicio, & ſine ulla dictatura. Hinc mentio fit apud Hebræos Librorum Hieroſolymitanorum, Tiberienſium, Babylonionorum, Sorianorum, Nahardenſium, Hiſpanienſium Punctatorum item Hieroſoll. Babyll. Hiſpanorum, Gallorum & aliorum, ut fortaſſe alibi adhuc magis ſpecialiter videbimus. Ben Aſcheris & Occidentalium lectionem noſtri libri plerumque ſequuntur;

quuntur; alicubi tamen etiam Ben Naphtali & Occidentalium lectio expreſſa, Orientales ſequuntur lectionem Babyloniorum. Adde quòd res longè majoris ponderis & momenti ſit, Textum Sacrum & univerſum de novo Punctis & Accentibus animare; quàm, eundem his notulis & ſignis jam animatum, in locis particularibus, levibus, & ſenſus ratione plerunque nullius, aut non magni momenti, corrigere & emendare. Hoc enim duntaxat, nec quicquam amplius, indulgeri & concedi poteſt de Maſorethis poſt-Talmudicis Tiberienſibus. Cùm itaque tam diſpar ſit facti hujus utriuſque ratio, malè concluditur, Unum mereri quod meretur alterum; aut, Collationem hanc, ſeu deſcriptionem exemplarium, ſine ullius præjudicio factam, totius Eccleſiæ Judaicæ approbationem, conſenſum, & ſcitum requiſiviſſe. Sed inſuper in eodem Argumento,

Tertio peccatur etiam Fallaciâ Compoſitionis & Diviſionis: vel Inſufficienti enumeratione partium. Non enim duntaxat concludit Pater meus, *Judæos Tiberienſes, ſi tale quid feciſſent, id non potuiſſe nec debuiſſe facere ſine publico, Babyloniorum præſertim, conſenſu & communi approbatione,* ſed etiam, quod non *ſine ipſorum ſcitu* id facere debuiſſent; quod hîc omittit Revelator. Quòd verò nec Babylonii, nec alii Judæi quicquam de hujuſmodi reſciverint, multò minus tale quid cum ipſorum ſcitu & approbatione, ſeu à Tiberienſibus, ſeu ab aliis, factitatum ſit, iterum ut ſuprà inde probat, quòd nihil hac de re inter Judæos conſtet, neque ex libris ullis, neque etiam ex orali aliqua atque πατροπαραδότῳ traditione. Eſto itaque, factum hoc ſit ſine ipſorum approbatione & conſenſu; non tamen potuit fieri ſine ipſorum ſcitu: Si cum illorum ſcitu, aliquid ſaltem hac de re vel per Hiſtoriam, vel per Traditionem aut Famam ad poſteritatem deveniſſet.

Quartò denique dico, ex Hiſtoria Hebraica, & authoribus Hebræis, conſtare aliquâ ratione de Tiberienſium poſt-Talmudicorum facto & labore; non quidem eo, quem gratis nobis & noſtræ confeſsioni affingit, ſed quem revera ſubierunt, uti ſuprà quoque dictum cap.9. A' minori ergò ad majus, dico; Cùm hujus ipſorum laboris longè minoris memoria ſuperſtes manſerit, & Scriptorum diligentiâ ab oblivione ſit vindicata, quî credibile eſt, rem tam arduam, tam latè-patentem & ſe extendentem, adeoque uni-

verſalem, ex omnium hominum memoria tam immaniter excidiſſe, omnique famâ deſtitutam eſſe?

EXCIPIT SECUNDÒ; *Aliud eſt Maſoram conficere: aliud verò Puncta invenire & excogitare; non ſunt hæc duo ſimul confundenda.*

℟. Hæc equidem nemo ignorat, nemo etiam noſtrum, quod ſciam, hæc confundit, quoad rem ipſam, & artem unamquamque; ſed hypotheticè, & ex Antagoniſtarum mente conjungit ea Parens meus; quia Elias, Patriarcha Novatorum, unos eoſdemq; authores artis utriuſque facit; Punctatoriæ quidem totius; Maſorethicæ, ſi non in totum, ſaltem ex parte, quoad punctationem, ejusque ſi non in ſolidum, certè quoad initium & prima ac præcipua ejus fundamenta. Cantico primo libri Maſoreth ſcribit: רוב כת אנשי זה המעשה אז בטבריא מתגוררת ידם היתה בראשונה בחכמה זו המפוארת גם המציאו דת הנקוד מהם היא לנו נמסרת hoc eſt, *Major pars virorum hujus operis* (Maſorethici) *commorabatur tunc Tiberiadis: Manus ipſorum fuit omnium prima, In arte hac laudatiſſima: Iidem etiam invenerunt rationem punctationis: Ab illis ea nobis eſt tradita.*

Pergit; *Ante Puncta inventa magna Maſoræ pars jam erat confecta, non a Tiberienſibus ſolis poſt Talmud Babylonicum, ſed jam diu ante ipſum Chriſtum: & fere ab ipſius Eſdræ tempore, aut paulò poſt eum cæpit componi, primaq; ejus veluti fundamenta jacta ſunt, atque per multorum ſæculorum lapſum molis illius ſtructura eſt continuata, donec in eam tandem evaſit vaſtam amplitudinem, quâ hodiè ea conſpicitur.*

℟. His nos non repugnamus; quinimò non *ferè*, ſed cum Hebræis *revera* ab ipſius Eſræ tempore, aut ab ipſo Eſra, hujus artis principia poſita, & fundamenta jacta eſſe, admittimus, quemadmodum præter alios teſtatur Ephodeus in Præfatione eximiâ libro ſuo præfixâ. Poſteaquam enim illic ſtudium Eſræ & collegarum ejus circa conſervationem Scripturæ Sacræ commendaſſet, veluti, *quòd numerarint omnes voces plenas, defectivas, regulares, irregulares,* & זולת זה מהדקדוקים *alias ejuſmodi ſubtilitates & minutias, indeq;* סופר hoc eſt, Numerator *dictus fuerit, &c.* ſubdit: וחברו אז ספרי המסרה אשר הם כלם בדקדוק הספר הזה המקדש ונתינת הכללים בידיעת כל מה שאפשר שתודע בו אמתתו וענינים רבים נאים מאד שורה על תכלית שלמותם בידיעת הכתוב והקפדתם על השמירה שלא

שלא תפול בו טעות ושגיאה hoc eſt, *Et tunc compoſuerunt libros Maſorethicos, qui omnes agunt de Grammaticalibus Libri hujus Sancti, & Regulis, quibus traditur ſcientia omnium eorum, quæ de iis ſciri poſſunt; de multis item aliis rebus elegantibus; quæ omnia teſtantur de ſumma illorum* (Virorum ſc. Synagogæ magnæ) *perfectione circa cognitionem Scripturæ, ut & de ſollicita ipſorum cura pro illius conſervatione, ne error aut corruptio aliqua in eam irreperet.* Sic cap. 7. *Piiſſimus ille qui* ראש לסופרים *Scribarum caput fuit, Eſra Sacerdos & Scriba, excuſſit gremium ſuum, &c.* Et tandem: וישו בזה חבורים והם ספרי המסרה *Et fecerunt de his libros, qui ſunt libri Maſoræ.*

Sic ergo primi libri Maſorethici conſcripti ſunto ab ipſo Eſdra, & temporibus ipſius; ita tamen ut ſucceſsivis temporibus ſubinde fuerint continuati & adaucti. Quid inde præjudicii Punctorum Antiquitati? *Hoc cùm ita ſit, non tamen legimus,* inquit Revelator, *ullo communi totius gentis Judaicæ conſilio opus illud Maſoræ, ut eſt hodie conſpicuum, fuiſſe ullo noto loco aut tempore, latis ſuffragiis, atque numeratis ſententiis comprobatum: ſed tacito duntaxat conſenſu ubique terrarum inter Judæos receptum, & ab iis comprobatum fuit, quod ſc. opus illud ſuâ ſe utilitate & præſtantia ſatis commendaret, nempe (ut eſt in Proverbio)* Vino generoſo atque vendibili nihil opus eſt hederâ: *Ita etiam ſe res habuit in Punctis, ut notulæ illæ excogitarentur, utq; ſemel excogitatæ uni atque alteri Codici adderentur, nihil opus fuit aut ſcitu ſive conſcientiâ, aut conſilio Babyloniorum, aut etiam communi conſenſu atque approbatione univerſæ gentis Judaicæ. Potuit id ab uno aut altero Tiberienſi fieri (eo modo quo ſuprà explicuimus): atque ubi factum eſt, res ipſa omnibus ſe probavit & commendavit propria utilitate, dignitate, atque excellentia;* nempe quo modo *Notæ Spirituum & accentuum apud Græcos, ubi ſemel ab aliquo perito Grammatico excogitatæ ſunt, tacito omnium conſenſu & approbatione receptæ ſunt, & ubique omnibus codicibus additæ, utpote quæ propriâ utilitate ſe omnibus commendarent, &c.*

Ego vero reſpondeo, *Primò* non valere argumentationem à Maſorethico opere, ad Punctationis opus: quia longè diverſa eſt utriuſque ratio, quemadmodum etiam ſuprà docuimus, maximam eſſe differentiam inter Sapientium Tiberienſium laborem, quem circa Sacrum contextum præſtiterunt, & inter ipſum Punctationis opus. Maſora ſive Critica iſta Sacra verſatur circa Pun-

ſtationem, eamque veluti fundamentum immotum & immutabile ponit atque conſervat, ne labefactari queat aut convelli. Hujuſmodi labor poteſt à quovis privatim in ſuum uſum ſuſcipi, quemadmodum multi & infiniti feruntur Maſoræ authores. Aliud eſt fundamentum ponere: aliud fundamento illi aliquid ſuperædificare.

Secundò; nego, nulla Teſtimonia Hebræorum haberi, quibus Maſora approbatur, & approbanda eſſe docetur, etiam contra Talmud. Quod ſi proferenda eſſent, & numeranda, non dubito, quin honeſtum eorum numerum eſſem collecturus. Quid ſibi vult illud vulgatum, quando dicunt, מְסוֹרָה סְיָג לַתּוֹרָה *Maſoram eſſe ſepem Legis?* Quid illud, quod Raſchi ſæpiùs מַקְשֶׁה מִן הַמָּסוֹרֶת לְתַלְמוּדָא *Objectiones moves & diſputat ex lectione Maſoræ, contra Lectionem Talmudu, & erroris inde eam arguit?* Annon ex his & aliis arguunt Hebræi דְעָבְדִי עִקָּר מֵהַמָּסוֹרֶת לְאַקְשׁוּיֵי מִנָּהּ לְתַלְמוּדָא מִשְׁמַע דַאֲלִיבָא דְמָסֹרָה קָעָבְדִינָן ותו דכולהו ספרי ותקון ספרי תורה כולהו אליבא דמָס' *quòd fundamentum conſtituendum ſit ex Maſora, & ex ea objici poſſit etiam contra Talmud, lectioq; ea ſequenda, quæ eſt juxta mentem Maſoræ:* Item, *quòd omnes libri, omnium item librorum Legis correctiones, ſint inſtituendæ ad mentem Maſoræ, &c.* ut ſcribitur in Præf. libri מנחת כהן *Minchas cóhen.* Sic R. Juda Mentz in ſuis Quæſtionibus & Reſponſionibus, Num. 8. concludit, אַלְמָא תוֹפְסִין בַּעֲלֵי הַמָּסוֹרֶת עִקָּר וכותבין כְּקַבָּלָתָן וּמַנִּיחִין תַּלְמוּד שֶׁלָּנוּ וְתַלְמוּד יְרוּשַׁלְמִי *Debemus apprehendere fundamentum Maſoretharum, & ſcribere ſecundum traditionem ipſorum, atque relinquere Talmud noſtrum* (Babylonicum) *& Hieroſolymitanum, &c.* Alia omitto. Proferat pro ſuis Tiberienſibus Punctationis authoribus vel verbulum unicum Revelator, ſi poteſt.

Tertiò; Utut hæc omnia mittamus, non directe feritur Argumentum. Quod ut manifeſtius liqueat, non abs re erit illius mentem & ſcopum paulo dilucidius proponere. Senſus itaque propoſiti argumenti hic eſt;

Si Tiberienſes, Palæſtini Judæi poſt-Talmudici, authores eſſent Punctorum & Accentuum Scripturæ Sacræ; non potuiſſent hoc facere ſine ſcitu, imo etiam conſenſu & communi approbatione Babyloniorum.

Atqui nihil hujus rei factum eſt cum Babyloniorum ſcitu, conſenſu vel approbatione.

Ergo

Ergo Tiberienſes tales poſt-Talmudici non ſunt authores.

Majoris conſequentia probatur dupliciter;

1. quia penes Babylonios tum temporis omnis doctrinæ Judaicæ culmen erat: ipſorum Doctores, ipſorum Scholæ, tum, & longo adhuc tempore pòſt, erant in flore: ſi quid novi alicubi prodibat, ipſorum procul dubio, uti ſolet fieri, oculos, acumen & judicium ſtatim ſubibat. Itaque non probabile eſt, Palæſtinos hoc potuiſſe facere, & ſimul applauſum mereri & obtinere, ſine

2. quia ſine ipſorum [illegible] conſenſu & approbatione diffundi & approbari, niſi velimus dicere, [illegible] publicari, inventum deliuiſſe: aut, ſi illi id non approbaſſent, illud rejecturi, contempturi, ſeſeque ei oppoſituri fuiſſent.

Minor itidem probatur dupliciter:

1. quia primi Scriptores poſt Talmud Babylonicum id non reticuiſſent, ſed aliquid alicubi ſaltem de eo prodidiſſent.

2. quia, ſi hi maximè illud reticuiſſent, Cabalâ tamen oralis, aut ſaltem anilis aliqua fabella ea de re ſuperſtes manſiſſet, neque permiſiſſet, ut adeò nobilis res in univerſum ſupprimeretur, & poſteritati ſubtraheretur: Aliquis ſaltem ea de re aliquid ſciviſſet, audiviſſet, alteri narraſſet, & ſic tandem aliquâ etiam ratione angulum in Scriptoris alicujus monumento nacta hæc hiſtoria eſſet.

Itaque non eſt probabile, Babylonios hac de re aliquid ſciviſſe. Etenim poſito, etiam eo tempore, ab uno aut altero Tiberienſi punctatum eſſe unum atque alterum codicem: atque ubi id factum, rem ipſam propriâ dignitate, utilitate & excellentiâ ſe commendaſſe, & ſic tacito tantum conſenſu, non latis ſuffragiis aut numeratis ſententiis, comprobatam eſſe; qui non in aliquo vel Hiſtorico, vel Medraſch, Cabaliſtâ, aut Commentatore aliquod hac de re veſtigium extaret? An tam ſtupidos & plumbeos putamus fuiſſe futuros Babylonios, ut rem adeò novam reciperent, ſine ulla in authores inquiſitione? Non conveniebat ſane hoc ipſorum indoli ac naturæ.

Imò, ſi res ſe habet ſecundum Catenam illam Punctationis Genealogicam, quam inſtituit Revelator, & primi Codices Punctati Tiberiade prodierunt ab uno & altero Doctore privato; atque:

initia tantùm quædam Punctationis hodiernæ complexi ſunt illi codices, quæ aliquot demùm poſt ſæculis, quibus conſtanter Doctores & Scholæ Babylonicæ in flore permanſerunt, ad ſuam perfectionem venerunt; nunquid quærendum jam videtur, An omnes & ſinguli punctorum aliquorum authores tacitum ejuſmodi conſenſum Babyloniorum meruerint, an tota natio Judaica cuivis obſcuro & ignoto Doctori cæcam talem obedientiam præſtiterit, ut paſſa fuerit ſubinde aliquid novi Sacro contextui inſerere, nonnunquam etiam à poſterioribus mutandum, hac demùm coercenda, renuente conſtanti aliqua lectione publicâ authoritate ſanciendâ, & approbandâ, quiſquam, præſertim in Babylonia, cogitaſſet; vel ſaltem aliquid hac de re in libros retuliſſet? Liceat mihi ergo iterum quærere, Annon merebatur diuturna & ſucceſsiva hæc per plures authores & ætates, per multas mutationes, correctiones, emendationes, facta Punctatio, & ad Textum Sacrum adſcripta, quam Revelator nobis finxit & revelavit, ut, cum per illa ſæcula nihil perfecti, nihil abſoluti, nihil conſtantis, circa eam fuerit, vel ſaltem cùm à Ben Aſchere, ut idem vult, ſuam perfectionem eſt adepta, ut, inquam, ſeu Babyloniorum, ſeu Palæſtinorum conſenſus & approbatio accederet? Utique, ſi res ita haberet, abſque dubio id quoque factum eſſet. Sed mera hæc ſunt ſomnia & figmenta; unde nihil quoque tale fuit inſequutum.

Excipit porrò; *Ideò etiam non opus fuiſſe teſtimonio, conſenſu & approbatione aliquâ; quia Magiſtri illi Tiberienſes nihil aliud præſtiterunt, quam ut Lectionem communem, quam edocti erant, & à Majoribus ſuis traditione πατροπαραδότῳ acceperant, quamq; omnes Judæi eandem eſſe cum antiqua Moſaica & Prophetica authentica exiſtimabant, Vocalium & Accentuum figuris a ſe excogitatis exprimerent, quam poterant accuratiſsimè: Hanc itaque ad lectionem comprobandam non opus fuiſſe univerſali, & veluti Oecumenico, Judæorum omnium concilio, atque ſuffragiis; cùm nihil novi de ſuo proferrent Tiberienſes, niſi Vocalium & Accentuum notulas, Lectionem ipſam antiquam, omnibusq; probatam atque acceptam, retinerent.*

Resp. 1. Incurrit communem Ignorationem Elenchi. Non enim hoc primo diſputat & urget Pater meus; *Opus fuiſſe teſtimonio, conſenſu, & approbatione publica*; ſed hoc, quod *non potuiſſent illud facere*

cere ſine ſcitu Babyloniorum, ut paulo antè vidimus: & addit; *Imò & conſenſu, & communi approbatione*: & hoc adeò vult dicere; Merebatur res adeò nova, adeo mira & momentoſa, ut ea confirmaretur non ſolum Babyloniorum, ſed totius gentis Judaicæ communi conſenſu & approbatione: Tantum verò abeſt, ut hujuſmodi conſenſus & approbatio Judæorum huic acceſſerit, ut potiùs hoc ex iis colligatur, Babylonios nihil quicquam de hujuſmodi inventoribus vel invento ſciviſſe, cùm ne gry quidem vel primi poſt-Talmudici ſcriptores, vel ulli alii authores, hac de re prodiderint. Quod ſi enim tale quid circa illorum tempora contigiſſet, nec ignorare potuiſſent, nec etiam ſilentio præteriiſſent.

2. Non etiam urget Pater meus, *Opus omninò fuiſſe univerſali & Oecumenico Judæorum omnium concilio*: id enim eâ tempeſtate, quâ Judæi jam per univerſum mundum diſperſi fuerunt, & omni poteſtate caruerunt, nec cogi & congregari potuiſſet; ſed urget hoc, quod, cùm res tanta univerſalem conſenſum meruiſſet, tamen ne gry quidem nec ex Babyloniis, apud quos ſumma literarum dignitas & majeſtas vigebat, nec ex aliis ſcriptoribus habeatur, quòd vel tantillum quidem hac de re cognoverint, aut quod quiſquam unquam tale quid oretenus à ſuis Majoribus inaudiverit, nullaq; planè Cabala, hoc eſt, vel anilis etiam fabula, nedum hiſtoria, hac de re inter Judæos circumferatur.

3. Si iſta lectio, quam Maſorethæ ſuis punctis expreſsiſſe dicuntur, eſt ea, *quã Judæi inde à majoribus ſuis Traditione* παραδόσει παραδότῳ *acceperunt, quamq; eandem eſſe cum antiqua Moſaica & Prophetica crediderunt*; quam ob cauſam alibi ſæpiùs eam vocat *Maſorethicam*? Ut nempe hac appellatione, & apud imperitos exoſo nomine, licentiam eam corrigendi, & novam ſuam Criticam extollendi & introducendi, ſpecioſum prætextum habeat. Si talis eſt, quam ob cauſam eam pro arbitrio noſtro corrigere, & novam lectionem invehere tam facilè licebit? Sanè ſi hoc licebit, dicendum erit, eam lectionem quam Maſorethæ iſti, homines doctiſsimi, & in Scripturæ lectione exercitatiſsimi, à Majoribus ſuis traditione παραδόσει παραδότῳ acceperunt, orali hac traditione ſucceſſu temporum vitiatam & depravatam eſſe. Si id factum, quis dicet, *quando, ubi, à quibus, & in quibus locis* id ſit factum? &c.

4. Si hæc lectio, quam Maſorethæ expreſſerunt, jam inde à Majori-

Majoribus, avis, proavis, atavis, & tritavis omnibus fuit recepta & approbata, reſpondeat Revelator; Unde variantes iſtæ tranſlationes in Paraphraſtis Chaldæis, quæ aliam lectionem ac punctationem ſapiunt, & ex quibus Novatores arguunt, Puncta Paraphraſtarum tempore nondum fuiſſe? Nos quidem ſupra lib. 1. cap. 10. aliquid hac de re diximus. Sed velim, Revelatorem ex ſua ſententia reſpondere. Annon hanc diſcrepantiarum illarum cauſam reddunt; quod abſentibus Punctis aliter legerint Paraphraſtæ Chaldæi? Si hoc ita eſt, ſi ſummi illi viri ſuo tempore aliter legerunt, quomodo dici poteſt, quòd hæc lectio ſit antiqua, inde a majoribus accepta, & ab omnibus probata? Aut an Paraphraſtas illos jam excludent à Majoribus illis, per quos vera lectio ad poſteros fuit propagata?

5. Quod ſi jam ex his diſcrepantiis Paraphraſtarum poſſit argui, alios ante Maſorethas olim aliter legiſſe & legendum cenſuiſſe in multis locis, quam Maſorethæ expoſuerunt, ut quidem Revelator & Novatores volunt; annon intererat, ut Maſorethæ ſuæ lectionis rationes redderent, vel ut ipſorum Punctatio publico aliquo teſtimonio approbaretur & confirmaretur? quòd videlicet hæc lectio, quam Maſorethæ ſuis punctis expreſſerunt, ſit genuina & authentica, non ea, quam Paraphraſtæ Chaldæi vel alii expreſſerunt.

Satis etiam de hoc Argumento.

Sextum & ultimum ſequitur Argumentum Hiſtoricum, quod Pater meus loco citato profert, quodq; diluendum ſibi Revelator ſumpſit;

Sexto, inquit; *Si, ipſomet Elia fatente, Maſoræ authores per diverſas generationes millenii fuerint & myriades, i.e. plures, & quaſi innumeri, principium quoque & finis ipſorum incertus, quomodo ſoli Tiberienſes ejus authores dici poſſunt? quomodo principium ejus adſcribitur tempori Talmude poſteriori?*

Reſpondet Revelator: *Hoc argumentum neq; noſtram, neque Eliæ attingit ſententiam; neque enim quæritur jam, Quando, & A quo primum cœpta & inchoata fuerit Maſora; ſed Quando primum excogi-*

tata

iata ſint Vocalium & Accentuum figuræ? quando illæ primùm uſurpatæ fuerint, & Conſonantibus in Sacro Textu additæ? Hæc duo immane quantum diſcrepant, ac proinde non ſunt confundenda. In illo tamen argumento non ſine gravi hallucinatione confunduntur, quaſi unum idemq; eſſent, &c.

℟. 1. Non imprudenter confundit hîc Pater meus, Opus Maſoræ & Opus Punctationis; ſed prudenter, & quidem contra Eliam, ex principiis ipſiuſmet contra ipſum diſputans. Elias enim, quamvis alicubi dicat, *Maſorethas fuiſſe quamplurimos, neque cognitum eſſe tempus principii vel finis ipſorum*, alibi tamen certum & definitum tempus ipſis aſsignavit, uti demonſtravit Pater meus in Tiberiade cap. 3. imò expreſsè affirmat, ante Tiberienſes iſtos Maſoram ſcripto comprehenſam non fuiſſe, his verbis, וכן ענין המסורת הזאת לפי שנמסרה לחכמים איש מפי איש עד עזרא וסיעתו ומהם לחכמי טבריא אשר כתבוה וקראו לה מסרה h. e. *Et ſic vocatur Maſora hæc, propterea quòd tradita eſt Sapientibus oretenus uſque ad Eſram & concilium ejus, & ab eis deinceps ad Sapientes Tiberiadis, qui Scripto conſignarunt eam, & vocarunt* MASORAM. Hinc ſub finem dicti cap. 3. his tribus comprehendi dicit ſententiam Elianam de Maſoræ & Punctorum Vocalium origine; 1. *Maſoræ authores fuiſſe innumeros diverſis ſæculis*: 2. *Tempus principii & finis ipſorum eſſe incertum*: 3. *Tiberienſes Hebræos primùm conſcripſiſſe Maſoram, & inveniſſe puncta vocalium & accentuum, poſt abſolutum Talmud, id eſt, longè poſt 500. a Chriſto Salvatore noſtro annos.* Ex hoc principio ſub initium cap. 5. ſcribit iterum Pater meus; *Si Tiberias omnium Judæorum in lingua Hebræa peritiſsimos artifices, artis tantopere laborioſæ & ingenioſæ, Maſorethicæ & Punctatoriæ produxit, &c.* Itaque non imprudenter, ſed conſilio & ratione, conjungit hîc quoque Maſoræ ſcriptores & Punctorum authores, & rectè quærit; Cur Maſorethæ communiter duntaxat *Tiberienſes* vocentur, cùm ex Eliæ ſententia fuerint plurimi, adeoq; pænè infiniti?

2. Quod dicit, hoc Argumentum ſuam non ferire ſententiam, non fuit quod mirum ipſi hoc videretur. Nam cùm tunc temporis ipſius liber nondum extaret, & ſententia hæc tum adhuc ſeu in cerebro ipſius volitaret, ſeu in ſcriniis ipſius lateret, quî potuit contra ipſum diſputare Pater meus? Citiùs Arcana hujus ſententiæ fuiſſent revelanda.

Ut ergo numerus ſenarius Argumentorum hiſtoricorum hic completus habeatur, nos ad argumenti hujus, contra Eliam directi, imitationem, ſimile ex principiis Revelatoris formabimus, & ei opponemus: Id tale eſto;

Si, ipſomet Revelatore fatente, Punctorum Authores, per diverſas generationes, multi fuerunt, aliis alia invenientibus, & quandoque etiam poſterioribus priorum inventa mutantibus, abolentibus, corrigentibus, ipſorumq́; principium & finis non adeò certus; quomodo paſſim ſoli Tiberienſes ejus authores ab ipſo dicuntur? cur ipſis ſolis inventum hoc adſcribitur? an magis aperta ſunt Hebræorum teſtimonia pro Tiberienſibus, quam prò aliis ſimilibus? Quo fundamento concludit primum ſuum librum his verbis; Sic igitur putamus nos abundè probaſſe, hodiernos Vocalium & Accentuum apiculos recens eſſe Maſoretharum Tiberienſium poſt-Talmudicorum inventum; ab iis poſt 500. Chriſtianæ æræ annum excogitatum; *qui alibi ſcripſit, Tiberiade tantum principia hujus artis jacta eſſe, circa annum Chriſti 500. quæ deinde exculta & perfecta demum fuerit circa annum Chriſti* 1100. Oſtendat Revelator *primo*, ubi in ullo authore Hebræo iſti Tiberienſes punctorum inventores ſuum habeant fundamentum? *ſecundò*, cur iis ſolis hoc opus adſcribat, quod illis, per quinque integra ſæcula, cum innumeris potuit eſſe commune?

Caput XIV.

In quo expenduntur Argumenta Theologica pro Antiquitate Punctorum & Accentuum.

Pater meus b. m. in Tiberiade ſuâ, ſub finem cap 9. Argumentum contexuit per Deductionem ad abſurda, contra Novitatem Punctorum, ſed obiter duntaxat & in tranſcurſu. Id cum Revelatori quoq; retexere & examinare placuerit, age hic quoque ad ulteriorem explicationem illud revocemus.

Sic

Sic itaque ſcripſit Pater meus; *Et omninò, ſi Puncta Vocalia & Accentus diſtinguentes à Tiberienſibus illis, aut ſimilibus è communi hominum genere viris, Sacræ Scripturæ ſunt addita & adſcripta,* tunc *iſte ſenſus, quem Punctorum Vocalium & Accentuum diſtinguentium lectio exhibet, authoritatem habet humanam, adeoq; incertam, non autem Divinam & Propheticam, adeoq; authenticam, qualis Sacræ Scripturæ ſit, neceſſe eſt:* tunc *iſta Puncta à quovis alio docto & perito, in locis dubiis, ambiguis & difficilibus mutari, & alia pro ipſis ſubſtitui poſſunt:* tunc *quilibet alius alio erit doctior, & in corrigendo peritior:* tunc *incertitudo ubique erit maxima, unâ voce, propter unum etiam punctum mutatum, in alium ſenſum tranſeunte:* tunc *textus nudis literis conſtans, erit inſtar ceræ in diverſas formas mutabilis:* tunc *in tantis litibus Judex ſuperior erit nullus, ac proinde Sacræ Scripturæ V. Teſtamenti Canon quoque nullus, qui controverſiarum interpretationum ſit menſura & terminus. Nec ſatis eſt, Textum in literis incorruptum & immutatum ſemper permanſiſſe, & etiamnum hodie eſſe, eumq; poſſe eſſe Judicem. Vocales ſunt animæ dictionum & vocum, quæ eas vivificant. Vita vocum eſt earum per pronuntiationem motus, quem vividus & genuinus ſenſus comitatur. Unde vox nudis conſonis ſcripta, ſine vocalibus legi & intelligi nequit: Vocales autem, maximè in obſcuris & difficilioribus locis, alius addet has, alius alias, prout quiſque ſenſum elicere tentabit. Verſio Græca, quæ LXX. ſeniorum titulum & authoritatem circumfert, à Textu Hebræo differt non tantùm in lectione Vocalium, ſed & Literarum: unde nec iſta Judex eſſe poterit. Ubi alium Judicem quæres? an ſervus ſuper dominum, an pediſſequa ſuper heram auguſtam jus dicet? an fons vivus & limpidiſſimus ſe rivuli, variis perturbationibus obnoxii, ſapori & colori ſubjiciet?*

Argumento hoc aliquot proponit abſurda Pater meus, quæ ex ſententia iſta de Punctorum Novitate ſequi videntur.

Ad illa *Excipit & reſpondet Revelator*, primò *Generaliter & communiter*, lib.2. cap.22. deinde *Specialiùs, & magis preſſè*, cap.23.

In Genere reſpondet diſtinguendo; *quòd Voces Hebraicæ pleraque, ſolis Conſonarum figuris ſcriptæ, varias equidem poſſint admittere lectiones, ac proinde multiplicem ſignificationem; cùm ſc. per ſe ſolæ extra orationis ſeriem conſiderantur: At in ſerie orationis collocatæ nequaquam; quòd, ſi aliter punctarentur, quam revera punctandæ ſunt, vel nullum planè, vel ridiculum & inſulſum, vel deniq; abſurdum & apertè falſum gignerent ſenſum. Quod ſi nonnulla Scripturæ loca ſint, in quibus varia punctatio varium equidem gignat ſenſum, ſed utrumque verum, commodum, aptum, antecedentibus & conſequentibus non malè cohærentem, analogiæ fidei non repugnantem; nihil fore periculi, ſi hic hanc punctationem, & cum punctatione ſenſum, alius aliam punctationem, & alium cum punctatione ſenſum amplectatur: nihil etiam periculi futurum, ſi utramque amplectatur punctationem, & utrumque qui ex ea exurgit ſenſum; modò abſit contendendi & altercandi libido, & adſit contrà Chriſtiana manſuetudo & charitas.*

℞. 1. Negando, *voces pleraſq; in Orationis Scripturæ ſerie collocatas, non alium apud nos homines admittere ſenſum, ac proinde non aliam punctationem, quam Orationis ſeries & ſcopus, atque antecedentium & conſequentium ratio poſtulat.* Multis, atque adeò innumeris exemplis contrarium oſtendi poſſet, ſi tam latè nos hîc diffundere cuperemus. Si res ita habet, qui fit, quòd tot Veteres Interpretes Græci, Latini, Chaldæi, Germani, Galli, & alii, ex Vocibus Hebræis non punctatis alium elicuerunt ſenſum, quem ne Revelator quidem ipſe ubique amplexurus & probaturus eſſet? qui fit, quòd ejuſdem Vocis, ex diverſorum punctorum appoſitione, diverſam expreſſerint lectionem, non ſolùm ab Hebræo, ſed & a ſe invicem? Fidem hujus rei puto facturam aliquando Criticam ipſius ſacram. Qui huic probationi non credet, is ipſemet præ ſe ſumat Pſalterium, vel alium aliquem librum non punctatum, Interpretes ſeponat, vel, ſi placet, etiam conſulat; & periculum faciat, an ſeries Orationis, antecedentium & conſequentium ratio,

ratio, ipſi ſit ſtatim veram lectionem dictatura? imo annon frequentiſsimè ſit vel hæſitaturus, vel, ſi optio ipſi relinquatur, talia ſæpè puncta appoſiturus, talemque lectionem expreſſurus & electurus, quæ cum nemine reliquorum conſentiat? Num antecedentium & conſequentium ratio, num totius ſententiæ & orationis mens & ſenſus, ſemper ita in manifeſto ſunt poſita, ut ex illis ſingularum vocum ſenſum certo & indubitatò dijudicare poſsimus? Imò annon horum quoque ratio ex ſingularum vocum ſenſu eſt eruenda? *Fruſtra de jure diſputas, ſi verba Legis non intelligas*, ait J C. Sic fruſtra de ſenſu Scripturæ ſæpe diſputabimus, ſi verba ſingula non intellexerimus. Quoties accidit, ut ab unius & alterius vocis genuina lectione totus ſententiæ alicujus ſcopus dependeat? quid ſi jam hæc vox ſit ambigua, ſi variam lectionem, & ex varia lectione varium ſenſum admittat? An in dijudicando etiam omnes conſentient? Unaquæq; propoſitio duas habet partes, Subjectum & Prædicatum, ſine quarum intellectu de propoſitionis totius ſenſu judicare non poſſumus. Quid ſi alterutra ſit obſcura, dubia, ambigua? Imo quid ſi utraque talis? Et an omnes, quibus Scripturæ lectio mandata & injuncta, eo judicio ſunt præditi, & ea dona habent, quæ ad hanc diſcretionem requiruntur? An Judæi in V. T. omnes fuerunt Prophetæ? an omnes doctores? an omnes donum interpretandi & legendi habuerunt? aut an ſemper ad manum & ad latus Interpretem aut Lectorem peritum habuerunt? Conceſſo etiam, in V. T. ante capt. Babylonicam illos tantam peritiam habuiſſe, tam exercitatos fuiſſe, quid factum poſt captivitatem Babylonicam, uſque ad ſæculum Masorethurum?

II. Alterum quod attinet, quo dicitur, *Si quædam Scripturæ loca ſint, quæ variam punctationem admittant, & cum hac ſenſum etiam varium, ſed utrumque commodum, aptum, cum contextu toto cohærentem, analogiæ fidei non repugnantem, nihil periculi eſſe, ſi hic ſenſum iſtum, alius ſenſum alium amplectatur & ſequatur, vel etiam utrumque; modò contendendi & altercandi libido abſit, & contra Chriſtiana charitas & manſuetudo adſit*; id equidem quam accurate & appoſitè dicatur, viderit Revelator.

Primo enim petitur principium, & fundamenti loco hoc ſupponitur, *ac ſi liceret pro lubitu conſonantibus Hebraicis Sacræ Scripturæ*

variam apponere punctationem; modo ea aptum, commodum, cohærentem, & orthodoxum pariat ſenſum.

Deinde & hoc minùs accuratum ponitur principium; *ac ſi perinde eſſet, quomodocunque legatur, explicetur, & intelligatur S. S. modo id fiat ſine periculo, ut nullus ſenſus incommodus, ineptus, male cohærens, & analogiæ fidei repugnans ei inſeratur & applicetur:* (Nam Punctatio non malè refertur inter modos explicandi & interpretandi Scripturam). Quaſi non unice & ſolùm ad ſcopum & mentem authoris ipſam eſſent ſingulæ ſententiæ legendæ & efferendæ; quaſi quilibet verborum Sp. S. poſſet eſſe interpres, modo nihil abſurdi & inepri ei affingat; aut quaſi Scriptura nullum certum in ſingulis vocibus haberet פשט *ſimplicem ſenſum literalem*, aut משמע *quem ipſæ literæ unicè & ſolùm intendunt.* Annon hoc eſt ſecuritatem hominum fovere, & pulvinar ſomnolentiæ ipſorum ſupponere, dum docetur, ſecure & ſine periculo licere, in occurrentibus ambiguis locis Scripturæ, eam ſequi interpretationem, quæ cuivis videtur apta, commoda, cohærens, & recta, modò nihil ea contineat abſurdi & falſi. Nam ſi in primo hoc Scripturæ interpretationis genere id licet, licebit idem in aliis. Annon hoc eſt magnam periculoſæ licentiæ feneſtram aperire, dum permittitur, ut ſepoſitis punctis, h. e. certâ regulâ & normâ legendi Scripturam Sacram, quivis ipſe examinet, quâ ratione omnium commodiſsimè & aptiſsimè Hebræus S. S. Textus legi poſsit? Judæi, quamvis 70. dicant eſſe modos explicandi Scripturam ſacram, tamen concedunt, unum ſolum, eumque certum, punctorumque certorum carceribus adſtrictum & circumſcriptum, eſſe ſenſum literalem, quem פשט משמע, & מקרא vocant: reliqui eis ſunt מדרשים *Allegoriæ, variæ applicationes*, ſive ad res cœleſtes & ſublimiores hac ratione docendas, ſive ad doctrinas morales, aut alias, hac ratione hominibus inculcandas. Unde & R. Salomon ſcribit Præf. in Cantic. Canticor. מקרא אחד יוצא לכמה טעמים וסוף דבר אין לך מקרא יוצא מידי פשוטו ומשמעו *Una eademq; Scriptura in multos diduci poteſt ſenſus: Summa tamen hæc eſt tenenda, quemq; locum ſuum certum habere ſenſum ſimplicem & literalem.* Ut uni voci duplex applicetur punctatio, & utraque pro bona, commoda, & recta, ad ſenſum ſc. literalem exprimendum, admittatur, non puto unquam inter Hebræos auditum eſſe: Hoc verò nihil abſurdi vel

vel inconvenientis videtur Revelatori noſtro: quaſi Spiritui S. perinde eſſet, quomodo Scripta ipſius legantur, modo in rebus fidei nil falſi Illi affingamus aut abſurdi. Id legendum, non quod ſine abſurditate, inconvenientiâ, aut falſitate manifeſta legi poteſt; ſed quod legi voluit author, quodque ex ipſius eſt mente. Eadem eſt Scripturæ, quæ Sermonis ratio. Verba loquentis non ſunt aliter interpretanda, quàm ex mente authoris: Pariter etiam verba ſcripta. Nos homines ita comparati ſumus, ut cùm Scriptorum noſtrorum Interpretem aliquem nanciſcimur, qui ea in alias linguas transferat, ei ſuccenſere, & quidem, ut exiſtimamus, non immeritò ſoleamus, ſi non fideliter & accurate ubique mentem noſtram exprimat & aſſequatur; licet ipſius interpretatio iis in locis nihil incommodi, nihil inepti, falſi aut abſurdi contineat; volumus tamen, ut ubique mens noſtra genuinè exprimatur. Exempla iſtiuſmodi cenſurarum poſſem & ex Hebræis, & ex Chriſtianis, plura adducere. Et exiſtimabimus, vel æquo animo, vel cum beneplacito ferre poſſe Sp. S. ut Ipſius verba in alium ſenſum à nobis homunculis torqueantur, & pro lubitu noſtro diſcerpantur? Amat equidem Simplicitatem Deus, ſed quod iſtiuſmodi Barbariem amet, id equidem ego non exiſtimo. Barbaries autem eſt aliquid præter Authoris vel Loquentis mentem intelligere & interpretari. Sumamus exemplum à Revelatore ipſo, qui caput 8. Majemonidis Tractatûs חמץ ומצה transferens, ab initio ſtatim hæc verba, סדור עשיית מצות אלו ita reddidit, *Ordo conficiendi* Azyma *iſta*; מצית nempe legens מַצות, cùm legendum ſit מִצות *Præcepta*, ut in Vindiciis noſtris oſtendimus. Senſus, quem inde elicuit Revelator, nec videbatur incommodus, nec abſurdus, nec malè cohærens, nec falſus. Quod ſi tamen Majemonides vixiſſet, & hanc interpretationem legiſſet, non ſine cenſura illum dimiſiſſet, & quidem juſta ac gravi. Quare? 1. quia hanc vocem non ita voluit legi, & proinde non fuit ad ejus mentem expreſſa: 2. quia licet nullum pariat ſenſum incommodum, &c. parit tamen, ſi ita legatur, phraſin & rationem loquendi inuſitatam, impertinentem, & alienam, Authori tali minimè convenientem. Et examinet ſeipſum Revelator, an talia ipſemet de ſuis ſcriptis toleraturus & laudaturus eſſet? Sic, ſi ex Scriptura vellemus exempla eruere, idem ex ea demonſtrari poſſet quamplurimis. Unum duntaxat proferamus.

Pſal. 110.

Pſal. 110. v. 3. ſic legimus in Hebræo: עַמְּךָ נְדָבוֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ, quæ verba de verbo ad verbum ita ſonant, *Populus tuus ſpontaneitatum in die fortitudinis tuæ, in decoribus ſanctitatis, ab utero auroræ tibi ros nativitatis tuæ.* LXX. reddiderunt, Μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ *Tecum principatus*, &c. legentes ſc. עִמְּךָ נְדִבוֹת: Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐξεγέννησά σε *Ex utero ante auroram genui te*; legentes; מֵרֶחֶם מִשְׁחָר יְלִדְתִּיךָ. Verba Hebræa hanc punctationem, hunc ſenſum admittunt: ſenſus per ſe nec eſt incommodus, nec alienus, nec abſurdus, nec falſus. Si nulla hic certa lectio, accedemus'ne Hebraicis codicibus, qui per totum mundum ſunt conformes, an 70. vel, an perinde eſt utram lectionem amplectamur, vel etiam ſi utramque? Ego puto, alterutrum tantùm voluiſſe dicere Sp. S. Si hoc; puto alterutrum etiam tantum legendum: ſi alterutrum legendum, alterutrum tantum eſſe rectum; ſi hoc, alteram lectionem eſſe erroneam; ſi erronea, abjiciendam. Ac talia vel in unico Pſalmorum libro quamplurima occurrunt, ubi iiſdem conſonis relictis, ſi alia puncta ſubſtituantur, alia lectio provenit, quæ judicio ac ſenſui noſtro vel æque vel magis commoda videbitur, ac ea, quam nos habemus. Qui periculum hujus rei vult facere, conferat tantum vel LXX. Græcos, vel Vulgatum. Quæritur ergo jam, quænam in his ſit lectio ſequenda? Judicet quivis, annon ſatius ſit textum Hebræum, Veritatem Hebraicam audire & adire cum Patribus, quàm rivos? Conatur equidem Revelator omnes periculoſas conſequentias hîc amoliri & averruncare: ſed fruſtra eſt. Hæc vero principia, ut alibi jam diximus, ponenda ſunt, ut fundamentum eſſe[illegible] Criticæ quam exercuit; quia *alteri ſic altera poſcit opem res.* His duobus operibus conſtituit ille famam eruditionis ſuæ Hebraicæ ad poſteros propagare, nominisq; immortalitatem ſibi comparare: Itaque alterum alteri manum porrigere, illudq; ſuſtentare debet. Ita ſolent ambitione tumentia ingenia, quævis famæ propagandæ media quærere & captare, fumosq; rerum minus peritis vendere.

Non impudenter autem addit, *Multò abſit contendendi & altercandi libido, & adſit contra Chriſtiana manſuetudo & charitas.*

Hæc nempe ipſi eſt *Contendendi & altercandi libido*, quando quis libertati huic Critizandi, qua textus Hebræus vel ex Veterum Interpretum mente, vel ex proprii judicii εὐστοχίᾳ, a Revelatore caſtigatur,

gatur & corrigitur, ſe opponit: hæc è contrario *Chriſtiana manſuetudo & charitas*, quando iſta omnia, citra contradictionem, cæcâ obedientiâ, cum admiratione & ſtupore, recipiuntur & approbantur. Ego verò exiſtimo ſatius eſſe, ut omnis contendendi & altercandi occaſio à radice præcidatur & in herba ſuffocetur: Ad hoc verò longe præſentius, & certius remedium eſſe puto, ſi firma regula certaque lectio ſtatuatur & habeatur, ad quam Interpretes omnes ſint adſtricti, & ad quam Interpretationes ipſorum ſint examinandæ; quàm ſi talis conſtituatur, quæ in omnes partes ſit verſatilis, ac 70. hoc eſt, infinitas pæne interpretationes admittat. Nam, ut alibi quoque dictum, ſi Interpretes hinc in diverſas partes abeant, ſi diverſa judicia habeant uti fit, quis alteri cedet? Per tot jam ſæcula Interpretationum varietati Scriptura Sacra fuit obnoxia; Utinam, utinam hæc Critica Sacra modum oſtenderet, altercationes, contentiones, diſſenſiones iſtas tandem tollendi & conciliandi! At vereor, vereor, abſit tamen omen! ne ea potiùs fomitem & oleum huic igni ſit additura. Nam fundamento lubrico, fluxo & inſtabili poſito, fieri non poteſt, ut ædificium ſuperſtructum ſit firmum, certum & ſtabile. Sed pro inſtituto præſenti ſatis de his. Alibi fortaſsis, Deo faciente, ulterior dabitur ea examinandi occaſio.

Videamus nunc etiam ſuccinctè, quomodo ſpeciatim & preſſiùs ad iſtius argumenti partes reſpondeat. Quia ad finem properamus, diſputationem hanc quantum fieri poteſt contrahemus, & fundamenta ejus duntaxat breviter expendemus.

Hic quibuſdam nititur hypotheſibus, quibus ſuas reſponſiones, tum ad has, quas Parens meus poſuit, abſurdas conſequentias, tum etiam aliorum quorundam, ſuperſtruit; ſed quæ nondum ſatis ab ipſo probatæ, neque à nobis approbatæ & receptæ:

I. Ex vocum punctis nudarum ſerie & ſtructurâ certò dignoſcitur, quomodo ſingulæ voces ſint punctandæ, quid re ſignificent, atque ubi cola, commata, periodi, ſint adhibenda: quia ſi aliter, quam oportet, adhibeantur, exurget inde nullus, aut inſulſus & abſonus, falſusq; ſenſus.

R. Ego dico, hanc regulam eſſe falſam & incertam, plurimisq; exemplis poſſe contrarium demonſtrari. Si res ita habet, ut hac ratione *certo* dignoſci poſsit ubiq; verus ſenſus, qui quæſo factum, quòd doctiſsimi Interpretes Græci & Latini, qui, ex Revelatoris

confeſsione ipſa, ex codicibus *Biblicis*, punctis carentibus, ſuas Interpretationes confecerunt, toties (quod nec ipſum puto negabit) & à veris punctis, & à legitimis diſtinctionibus ſententiarum, aberrârunt? An illi adeò væcordes, & communi pænè ſenſu deſtituti fuerunt, ut non animadverterint, ex lectione ſua ſæpè aut nullum, aut inſulſum & abſonum, falſumq; emanare ſenſum? Quî etiam fit, ſi res tam eſt evidens, liquida, & certa, quòd de his Interpretum antiquorum diverſitatibus, & ab Hebraici contextus lectione aberrationibus, uſque in hodiernum diem, tot ſint Virorum doctiſsimorum diſſenſiones & variæ ſententiæ, dum hîc lectionem Textus Hebraici hodierni, alius lectionem LXX. Græcorum: alius Theodotionis, Aquilæ, Symmachi; alius Latini; alius Samaritani codicis; alius aliam: non nemo etiam ſuam propriam lectionem, amplectitur & defendit? Cur non oculos tandem aperiunt, & in re certâ, adeò neceſſariâ, atque indiſputabili, conciliationem inſtituunt? Quæ cauſa, quòd de re tam evidenti, tam multiplices, diuturnæ & graves ſint controverſiæ? *Contendendi*, inquiet Revelator, *& altercandi libido, & defectus Chriſtianæ manſuetudinis & charitatis.* Sed hîc jam porrò quæritur; Penes quem vel quos in hac multitudine & varietate ſit peſsimum hoc vitium, & hæc culpa? Procul dubio in tanta varietate non penes unum, ſed modò in hoc, modò in illo, dicendum erit? Sed quis in hac quoque diſcrepantia ſanum à morbido & vitioſo diſcernet? quod etiam morbo huic contagioſo & inveterato adhibendum remedium? Hactenus nemo tantam authoritatem obtinere, nemo huic malo mederi potuit. Quid igitur? Critica Revelatoris hæc omnia præſtabit: hæc Judex ſupremus erit: Huic qui parebit & ſe ſubjiciet, is lectionem certam ſequetur, is nullibi à vero ſenſu aberrabit, is Chriſtianæ manſuetudinis & charitatis ſpiritum habebit: ſecus omnia, qui ſecus eſt facturus.

Hujus commatis eſt quoque Hypotheſis

II. Quâ negat, in multis locis aliter pro arbitrio lectoris legi poſſe, quàm orationis ſeries, & intentio ſcribentis requirit; quòd varia & multiplici ſingularum vocum lectioni repugnet earum in Orationis ſerie & complexu connexio, ſeries, & mutuus reſpectus, quem inter ſe habent.

Hoc Axioma eodem ariete concutitur & ſubvertitur quo præcedens. Sæpe accidit, & frequentiſsimè, ut Orationis ſeries, connexio,

nexio, & mutuus reſpectus, ex punctatione ſint quærenda, non vice verſâ. Non autem dicimus; ſingulas voces in Oratione integra & continuatá poſitas aliter legi poſſe, ſed multas, imò plurimas, & multis quoque in locis. Neque tum demùm ſubvertitur aut immutatur Orationis alicujus mens & ſenſus, quùm omnes voces aliter leguntur, quàm legendæ ſunt; ſed unicæ vocis lectio prava, integræ ſententiæ vel orationis ſenſum depravare poteſt; maximè in libris Sacris, ubi Orationes ac ſententiæ non ita plenæ ac perfectæ ſunt, ſed conciſæ. Poſſem hîc exempla non pauca afferre cæſpitationum hujuſmodi in viris doctiſsimis, & in rebus non ita difficilibus, niſi res in tam manifeſta luce eſſet poſita. Ac ne alios quæramus, vel huc præter meritum trahamus, ipſius Revelatoris exemplum abundè docet, quàm incerta & lubrica ſint hæc Axiomata, qui aliquot ejus luculenta ſpecimina nobis reliquit in breviſſimis illis Animadverſionibus, quas ſcripſit in Exercitationem noſtram de Cœna Domini, ut ex Vindiciis noſtris apparet. Et, ſi eodem rigore examinanda, & ad originalem Textum exigenda eſſet Verſio illa Loci Zoharis, quam Diatribæ ſuæ de Literis ſubjunxit, longè plures & graviores ejuſmodi lapſiones deprehenderentur. Nulla eſt pagella, quæ non exempla ſubminiſtret. Quod ne ex affectu magis, quàm rei veritate ſcribere videar, paucis de quibuſdam Lectorem obiter ſaltem monere operæ pretium erit.

Statim ab initio illius loci ſcribitur: ובגין דא ארעא הוה תוהא ובוהא איך ברא ק״בה עלמין לחרבא לון) D. Cappellus vertit; *Ac propterea erat* tohu vabohu, *deſolata & vacua. Quomodo Deus creavit mundos, & deſtruxit eos.* Ego vertendum puto; *Ac propterea terra mirabatur & obſtupeſcebat, quomodo Deus creet mundos ad vaſtandum eos.* Hic Participia תוהא ובוהא ſumpſit pro Nominibus ſubſtantivis, malè diſtinxit, nec in ipſam authoris mentem penetravit.

Mox; ד״קבה לא יִשני עובדי ידוי ולא עוד אלא אילין שמיא איתמר בהו] D. Cappellus; *Deus enim benedictus non deſtruit opera manuum ſuarum, ut non ſint amplius: ſed iſti cæli ſunt illi, de quibus dictum eſt, &c.* Ego verò: *Quùm Deus non mutet opera manuum ſuarum; Atqui non hoc tantum; ſed de cælis etiam dictum eſt, &c.* Nec phraſeos illius ולא עוד, nec contextus totius rationem aſſecutus eſt.

Item; אילין דלא נטרי פקודי אוריתא לא דשני איהו עובדוי] D.

Cappellus; *Illi ſunt, qui non ſervarunt præcepta Sinaj, nec ſunt opera ejus.* Reddendum: *Iſti ſunt, qui non ſervarunt præcepta Legis; non quòd ipſe (Deus) mutet opera ſua.* Neſcio unde hic vocem *Sinaj* inſeruerit: an fortè impegit in voce דשני *Quòd mutet*, quam non expreſsit.

Item: דעתיד איהו ברזא דגלגולא לאתערבא ביניהו בגלותא בין ערב רב דאינון נשמתייהו מסט׳ דאיתמר וכו׳] D. Capellus; *Quia futurum eſt in arcano* Galgulæ *vel Rotæ, ut miſceantur inter eos in captivitate, inter Veſperam magnam, quorum animæ ſunt, &c.* Reddo ego de verbo ad verbum: *Quia futurus erat ipſe per ſecretum Revolutionis* (ſc. *mortuorum*, de qua vide Lexicon Talmudicum in Radice גלל, in voce גלגול) *commiſceri inter eos, vel, cum eis, in captivitate, inter mixtionem ſeu turbam vel frequentiam illam maximam, quorum animæ ſunt ex illis, de quibus dictum eſt.* Hic primò non aſſecutus eſt, quid ſibi velit גִּלְגּוּלָא: deinde peſsimè expoſuit ערב רב *Veſperam magnam*, pro, *Turbam*, vel *Frequentiam maximam*: עֵרֶב רַב in hoc ſenſu occurrit Exo. 12. 38. Et in hac phraſi ter impegit in hac verſione. Unde colligat lector, quid judicandum ſit de iis, quæ ſuper *Veſperá* iſta *magna* philoſophatur in Exercitatione ſua.

Item: ואשתלים אומאה] D. Cappellus: *Et perfecta eſt gens.* Reddendum; *Et impletum fuit juramentum,* Legit nempe אֻמָּה *Gens, Populus*; cùm ſit Chaldæum אוֹמָאָה *Juramentum.* Intelligitur autem illic juramentum de excindendis Amalekitis, Exo. 16. 16. Et in hac quoque voce bis cæſpitavit.

Item, דאפילו גרמייהו לזנות] D. Cappellus, *Qui etiam cauſa fuerunt ipſi ſcortandi*, ac ſi legendum eſſet, דאפילו גרמייהו לזנות; cùm vertendum eſſet, *Qui projecerunt ſeipſos in ſcortationem*; & punctandum, דאפִּילו גַרמייהו לזנות.

Ibid. מתרפאין] D. Capellus: *Segneſcunt* legens מִתְרַפִּין. Vertendum; *Sanantur.*

Item: רפאים בל יקומו בזמנא דייתי פקידה לישראל] D. Cappellus, *Rephaim non reſurgent* (Eſa. 36. 9.) *in tempore futuro. Præceptum Iſraëli de illis datum eſt.* Reddendum erat: *Rephaim non reſurgent* (Eſa. 36. 9.) *in tempore ſc. quo veniet viſitatio Iſraëlis: & dictum eſt de illis, &c.* Hic quoque erravit in punctatione & ſignificatione vocis פקידה, ut & in ſententiæ diſtinctione.

Item: אינון רישין בקיומא סניא] D. Cappellus: *Præcipui in fædere*

dere Sinaj. Reddendum; *Iſti* (quorum ſc. mentio facta) *ſunt principes cum duratione magna, qui remanſerunt Iſraëlitis in arma violentia, &c.* pro סַגִּיא Saggi, *Multus, Magnus,* legit & ſubſtituit סִינַי *Sinaj*, & pro קִיוּמָא legit קִיּמָא; nec vocum & phraſium vim, nec connexionis rationem aſſequens.

Item: ביומא דיתמחון אלין כאלו ההוא יומא דעביד קב״ה שמיא וארעא] D. Cappellus, *In die quo deleti ſunt illi ſicut illi, eo die quo Deus fecit cælum & terram.* Reddendum: *In die quo delebuntur illi, erit perinde ac ſi eſſet ille dies, quo Deus fecit cælum & terram.* כאלו legit כאלו *ſicut illi*, cùm ſit כְּאִילוּ *Perinde, ac ſi*; & inde vim ſententiæ non eſt aſſecutus.

Item: ומיד דאיהו יתי מיד ואד יעלה מן הארץ א״ד מן אדני סליק ליה ו׳ ואתעביד בה אדון כל הארץ] D. Cappellus: *Sed ſtatim atque venerit, ſtatim* ואדם *ſecundus Adam adſcendet de terra,* אדם מן אדני סליק ליה ו׳ *Adam de Adonaj, deeſt ibi Vau. Eo factus eſt Dominus totius terræ.* Ego puto reddendum: *Sed ſtatim atque venit* (Moſes) *Et vapor aſcendebat de terra,* Gen 2. 6. Ed (*vapor*) *factum eſt ex* Edonaj, *ablato Vau ab initio* (in וְאֵד) *innuens; quòd factus ſit Dominus totius terræ.* Hic ex ואד fecit וְאָדָם: Ex *Vapore* ſc. genuit *Adamum ſecundum*, atque inde mirificè detorſit ſenſum.

Alia prætereo. Hæc enim nondum omnia ſunt, in quibus in brevis illius loci verſione impegit. Neque id præſentis eſt loci ac inſtituti.

Si ex *vocum ſerie atque ſtructura* tam accuratè *dignoſci poteſt, quomodo ſingulæ voces ſint punctandæ, ubi commata, cola, periodi, &c. ſint adhibenda; ſi non poteſt aliter legi, quàm orationis ſeries, & intentio ſcribentis requirit, &c.* qui factum, quod adeò turpiter hîc hallucinatus ſit ipſe Punctandi Magiſter? Si tam enormiter erravit in hoc loco, in quo diligentiæ & peritiæ ſuæ Hebraicæ ſpecimen edere voluit, quemque ideò non ſolùm verſione, ſed & commentario illuſtravit, quid fieret, ſi non tanta accuratione in libri alicujus lectione verſaretur, vel, ſi ex tempore ipſi aliquid reddendum eſſet? Si ipſimet hujus artis Criticæ principi & Ariſtarcho hoc evenit, quid ſperandum de aliis? Si cedros corripuit hic erroris ignis, quid fiet hyſſopo pro muri de pariete? Si Levjathan hoc hamo captus eſt, quid fiet piſcibus minoribus? Et ſi verum eſt, quod ſcribit; *ſi voces in Orationis ſerie collocatæ aliter punctarentur, quam legendæ*

ſunt, vel nullum planè, vel ridiculum & inſulſum, vel denique abſurdum & apertè falſum gignerent ſenſum; cogitet Lector, quid non ſolùm de illa Loci Zoharis verſione, ſed & de ejus Elucidatione (ſic enim appellat illam Exercitationem ſuam) ſit ſentiendum. Verbis ſuis propriis ſi judicetur, dicendum; *Senſum, quem ex hac verſione elicuit Lucidarius, eſſe vel nullum, vel ridiculum, & inſulſum, vel abſurdum & apertè falſum.* Quod ſi in his, quæ humanam ſapientiam continent, tam infeliciter ei cedit hæc criſis, quis ei fidet, ubi ad ſapientiæ divinæ libros dijudicandos hanc ſuam artem applicuerit? Habet certe, quod majorem inpoſterum deferat Punctis honorem, majoremque illorum agnoſcat neceſſitatem, quam hactenus, & *non nimium ſuæ intelligentiæ confidat*, juxta Salomonis monitum. Sed pergamus.

III. *Ad nullam certam punctationem* (quam ſc. Codices Hebraici habent) *nos eſſe adſtrictos: ſed, ſi in locis nonnullis proferri poſſit alia punctatio, quæ Analogiæ Grammaticæ, atque naturæ hujus linguæ non repugnet, quæq; ſenſum æque commodum, aut etiam commodiorem, veriorem, magis cohærentem & conſonum pariat, nullo jure nos Maſorethicâ punctatione potius teneri, quam iſtâ. Quod ſi verò nullam aliam Maſorethicâ commodiorem proferre poſſimus, tum demum teneri nos Maſorethicâ; non quia eſt a Maſorethis, ſed quia vocum in Orationis complexu ſeries & ſtructura nullam aliam ferre poteſt: & ſic nos, non humanâ, ſed divinâ authoritate, niti.*

℟. De hoc Axiomate, & de hac Quæſtione jam egimus ſuprà l. 1. cap. ultimo, ut non neceſſe ſit hîc plura addere. Cogitet Lector quæſo, annon hic ſemper principium petatur, & ad ſtatum controverſiæ redeatur? Axioma enim hoc nititur præcedentium duorum principio, quod nos rejicimus, & quod perpetua experientia in hunc uſque diem falſum eſſe comprobavit.

IV. Quod in Argumento allato dicitur, Ex hac de Novitate punctorum ſententiâ ſequi, quòd iſte ſenſus, quem Punctorum Vocalium & Accentuum diſtinguentium lectio exhibet, authoritatem habeat humanam adeoque incertam, &c. quòd iſta puncta à quovis alio docto & perito, in locis dubiis, ambiguis & difficilibus, mutari, & alia pro ipſis ſubſtitui poſſint: quòd quilibet alius alio futurus ſit doctior, & in corrigendo peritior;

Ad id, inquam, itidem ex præcedenti principio reſpondet; *Se*

non

non dicere, à Maſorethis pro arbitrio excogitatam eſſe hanc punctationem; ſed, eam neceſſariò exurgere ex vocum orationis ſerie atque ſtructura, quæ aliam punctationem non poteſt ferre: Itaque cùm eam ſequimur, nos non ædificari ſuper fundamentum Maſoretharum, ſed ſuper fundamentum Prophetarum & ſcriptorum Θεοπνεύστων, *qui inter ſcribendum ſingulas voces eo ordine diſpoſuerunt, ut non poſſis aliam proferre punctationem, quæ non ſtatim prodat ſe alienam ex ſenſu abſono, inſulſo, aut nullo, quem gignet: Itaque lectionem hodiernam ideò eſſe authenticam, non humanam duntaxat, quia Vocum ſeries non poteſt aliam præter Maſorethicam iſtam ferre punctationem.*

R/. Jam rejectum, & experientiâ ipsâ confutatum eſt, *quòd Vocum ſeries & ſtructura per contextum Biblicum, non poſſint aliam punctationem ferre, quin ſenſus inde exſurgat abſonus, inſulſus, aut nullus.* Hoc Axioma priùs firmioribus argumentis eſt probandum: inter variantes ex punctatione varia interpretationes oſtendendum, quænam illa ſit, quæ cum orationis ſerie & ſtructura conveniat: hoc oſtenſo, aſſenſus quoque publicus obtinendus, ut ſicut Judæi omnes unanimi conſenſu Maſorethicam punctationem pro vera, genuina, neceſſariâ & authentica habent; ſic nova hæc Interpretatio, nova hæc Critica, itidem ab omnibus Chriſtianis ſine contradictione recipiatur; imò ab omnibus, quibus ſenſus aliquis ſanus ſupereſt. Ubi hæc præſtiterit, aliquo modo declinatum hoc abſurdum dicemus. Quamdiu verò hoc non præſtabit, manere ſemper nodum hunc dicimus: nam incertitudine & varietate manente, in hac incertitudine, nullo abſurdo, abſono, inſulſo ſenſu ex variantibus interpretationibus exſurgente, quis nos de genuina authoris & ſcriptoris mente certiores reddet? An Maſorethārum authoritas? Non certè ex Revelatoris mente, quos paſſim tanquam *homines moroſos, ſuperſtitioſos, ſcrupuloſos* depingit, quibus reliquorum Interpretum varias lectiones adjungendas, & æqua cum iis lance trutinandas; imò quos etiam ex proprio noſtro judicio & facultate στοχαστικῇ corrigi poſſe dicit. Et quis noſtrûm Maſorethis, quingentis aut ſexcentis poſt Chriſtum annis, florentibus, omni hiſtoriâ, omni memoriâ, omni celebritate carentibus, h. e. hominibus obſcuris & ignotis, eam authoritatem tribueret? Quod ſi etiam maximè famoſi & celebres eſſent, quis ſenſum, rationem ſuam illis ſubjiceret? Nam Judæi fuerunt, fuerunt recentes, & eo

ſæculo

variam apponere punctationem; modò ea aptum, commodum, cohærentem, & orthodoxum pariat ſenſum.

Deinde & hoc minùs accuratum ponitur principium; *ac ſi perinde eſſet, quomodocunque legatur, explicetur, & intelligatur S. S. modò id fiat ſine periculo, ut nullus ſenſus incommodus, ineptus, malè cohærens, & analogiæ fidei repugnans ei inferatur & applicetur:* (Nam Punctatio non malè refertur inter modos explicandi & interpretandi Scripturam). Quaſi non unicè & ſolùm ad ſcopum & mentem authoris ipſam eſſent ſingulæ ſententiæ legendæ & efferendæ; quaſi quilibet verborum Sp. S. poſſet eſſe interpres, modò nihil abſurdi & inepti ei affingat; aut quaſi Scriptura nullum certum in ſingulis vocibus haberet פשט *ſimplicem ſenſum literalem*, aut משמע *quem ipſæ literæ unicè & ſolum intendunt.* Annon hoc eſt ſecuritatem hominum fovere, & pulvinar ſomnolentiæ ipſorum ſupponere, dum docetur, ſecurè & ſine periculo licere, in occurrentibus ambiguis locis Scripturæ, eam ſequi interpretationem, quæ cuivis videtur apta, commoda, cohærens, & recta, modò nihil ea contineat abſurdi & falſi. Nam ſi in primo hoc Scripturæ interpretationis genere id licet, licebit idem in aliis. Annon hoc eſt magnam periculoſæ licentiæ feneſtram aperire, dum permittitur, ut repoſitis punctis, h. e. certâ regulâ & normâ legendi Scripturam Sacram, quivis ipſe examinet, quâ ratione omnium commodiſsimè & aptiſsimè Hebræus S. S. Textus legi poſsit? Judæi, quamvis 70. dicant eſſe modos explicandi Scripturam ſacram, tamen concedunt, unum ſolum, eumque certum, punctorumque certorum carceribus adſtrictum & circumſcriptum, eſſe ſenſum literalem, quem פשט משמע, & מקרא vocant: reliqui eis ſunt מדרשים *Allegoriæ, variæ applicationes*, ſive ad res cæleſtes & ſublimiores hac ratione docendas, ſive ad doctrinas morales, aut alias, hac ratione hominibus inculcandas. Unde & R. Salomon ſcribit Præf. in Cantic. Canticor. מקרא אחד יוצא לכמה טעמים וסוף דבר אין לך מקרא יוצא מידי פשוטו ומשמעו *Una eademq; Scriptura in multos diduci poteſt ſenſus: Summa tamen hæc eſt tenenda, quemq; locum ſuum certum habere ſenſum ſimplicem & literalem.* Ut uni voci duplex applicetur punctatio, & utraque pro bona, commoda, & recta, ad ſenſum ſc. literalem exprimendum, admittatur, non puto unquam inter Hebræos auditum eſſe: Hoc vero nihil abſurdi vel

vel inconvenientis videtur Revelatori noſtro: quaſi Spiritui S. perinde eſſet, quomodo Scripta ipſius legantur, modò in rebus fidei nil falſi Illi affingamus aut abſurdi. Id legendum, non quod ſine abſurditate, inconvenientiâ, aut falſitate manifeſta legi poteſt; ſed quod legi voluit author, quodque ex ipſius eſt mente. Eadem eſt Scripturæ, quæ Sermonis ratio. Verba loquentis non ſunt aliter interpretanda, quàm ex mente authoris. Pariter etiam verba ſcripta. Nos homines ita comparati ſumus, ut cùm Scriptorum noſtrorum Interpretem aliquem nanciſcimur, qui ea in alias linguas transferat, ei ſuccenſere, & quidem, ut exiſtimamus, non immeritò ſoleamus, ſi non fideliter & accurate ubique mentem noſtram exprimat & aſſequatur; licet ipſius interpretatio iis in locis nihil incommodi, nihil inepti, falſi aut abſurdi contineat: volumus tamen, ut ubique mens noſtra genuinè exprimatur. Exempla iſtiuſmodi cenſurarum poſſem & ex Hebræis, & ex Chriſtianis, plura adducere. Et exiſtimabimus, vel æquo animo, vel cum beneplacito ferre poſſe Sp. S. ut Ipſius verba in alium ſenſum à nobis homunculis torqueantur, & pro lubitu noſtro diſcerpantur? Amat equidem Simplicitatem Deus, ſed quòd iſtiuſmodi Barbariem amet, id equidem ego non exiſtimo. Barbaries autem eſt aliquid præter Authoris vel Loquentis mentem intelligere & interpretari. Sumamus exemplum à Revelatore ipſo, qui caput 8. Majemonidis Tractatûs חמץ ומצה transferens, ab initio ſtatim hæc verba, סדור עֲשִׂיַּת מצות אלו ita reddidit, *Ordo conficiendi* Azyma *iſta*; מצות nempe legens מַצּוֹת, cùm legendum ſit מִצְוֹת *Præcepta*, ut in Vindiciis noſtris oſtendimus. Senſus, quem inde elicuit Revelator, nec videbatur incommodus, nec abſurdus, nec malè cohærens, nec falſus. Quod ſi tamen Majemonides vixiſſet, & hanc interpretationem legiſſet, non ſine cenſura illum dimiſiſſet, & quidem juſta ac gravi. Quare? 1. quia hanc vocem non ita voluit legi, & proinde non fuit ad ejus mentem expreſſa: 2. quia licet nullum pariat ſenſum incommodum, &c. parit tamen, ſi ita legatur, phraſin & rationem loquendi inuſitatam, impertinentem, & alienam, Authori tali minimè convenientem. Et examinet ſeipſum Revelator, an talia ipſemet de ſuis ſcriptis toleraturus & laudaturus eſſet? Sic, ſi ex Scriptura vellemus exempla eruere, idem ex ea demonſtrari poſſet quamplurimis. Unum duntaxat proferamus.

Pſal. 110.

Pſal.110. v.3. ſic legimus in Hebræo : עַמְּךָ נְדָבֹות בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ, quæ verba de verbo ad verbum ita ſonant; *Populus tuus ſpontaneitatum in die fortitudinis tuæ, in decoribus ſanctitatis, ab utero auroræ tibi ros nativitatis tuæ.* LXX. reddiderunt, Μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ *Tecum principatus*; &c. legentes ſc. עִמְּךָ נְדָבוֹת : Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐξεγέννησά σε *Ex utero ante auroram genui te*; legentes; מֵרֶחֶם מִשְׁחָר יְלִדְתִּיךָ. Verba Hebræa hanc punctationem, hunc ſenſum admittunt: ſenſus per ſe nec eſt incommodus, nec alienus, nec abſurdus, nec falſus. Si nulla hic certa lectio, accedemus'ne Hebraicis codicibus, qui per totum mundum ſunt conformes, an 70. vel, an perinde eſt utram lectionem amplectamur, vel etiam ſi utramque? Ego puto, alterutrum tantùm voluiſſe dicere Sp.S. Si hoc; puto alterutrum etiam tantum legendum: ſi alterutrum legendum, alterutrum tantùm eſſe rectum; ſi hoc, alteram lectionem eſſe erroneam; ſi erronea, abjiciendam. Ac talia vel in unico Pſalmorum libro quamplurima occurrunt, ubi iiſdem conſonis relictis, ſi alia puncta ſubſtituantur, alia lectio provenit, quæ judicio ac ſenſui noſtro vel æque vel magis commoda videbitur, ac ea, quam nos habemus. Qui periculum hujus rei vult facere, conferat tantum vel LXX. Græcos, vel Vulgatum. Quæritur ergo jam, quænam in his ſit lectio ſequenda? Judicet quivis, annon ſatius ſit textum Hebræum, Veritatem Hebraicam audire & adire cum Patribus, quàm rivos? Conatur equidem Revelator omnes periculoſas conſequentias hic amoliri & averruncare: ſed fruſtra eſt. Hæc vero principia, ut alibi jam diximus, ponenda ſunt, ut fundamentum conſiſtat Criticæ quam exercuit; quia *alterius ſic altera poſcit opem res.* His duobus operibus conſtituit ille famam eruditionis ſuæ Hebraicæ ad poſteros propagare, nominisq; immortalitatem ſibi comparare. Itaque alterum alteri manum porrigere, illudq; ſuſtentare debet. Ita ſolent ambitione ſui generis ingenia, quævis famæ propagandæ media quærere & captare, fumosq; rerum minus peritis vendere.

Non imprudenter autem addit, *Nimio ibi contendendi & altercandi libido & abeſt contra Chriſtiana manſuetudo & charitas.*

Hæc nempe ipſi eſt *Contendendi & altercandi libido*, quando quis libertati huic Critizandi, quâ textus Hebræus vel ex Veterum Interpretum mente, vel ex proprii judicii εὐστοχίᾳ, a Revelatore caſtigatur,

gatur & corrigitur, ſe opponit: hæc è contrario *Chriſtiana manſuetudo & charitas*, quando iſta omnia, citra contradictionem, cæcâ obedientiâ, cum admiratione & ſtupore, recipiuntur & approbantur. Ego verò exiſtimo latius eſſe, ut omnis contendendi & altercandi occaſio à radice præcidatur & in herba ſuffocetur: Ad hoc verò longe præſentius, & certius remedium eſſe puto, ſi firma regula certaque lectio ſtatuatur & habeatur, ad quam Interpretes omnes ſint adſtricti, & ad quam Interpretationes ipſorum ſint examinandæ; quàm ſi talis conſtituatur, quæ in omnes partes ſit verſatilis, ac 70. hoc eſt, infinitas pæne interpretationes admittat. Nam, ut alibi quoque dictum, ſi Interpretes hinc in diverſas partes abeant, ſi diverſa judicia habeant, uti fit, quis alteri cedet? Per tot jam ſæcula Interpretationum varietati Scriptura Sacra fuit obnoxia; Utinam, utinam hæc Critica Sacra modum oſtenderet, altercationes, contentiones, diſſenſiones iſtas tandem tollendi & conciliandi! At vereor, vereor, abſit tamen omen! ne ea potiùs fomitem & oleum huic igni ſit additura. Nam fundamento lubrico, fluxo & inſtabili poſito, fieri non poteſt, ut ædificium ſuperſtructum ſit firmum, certum & ſtabile. Sed pro inſtituto præſenti ſatis de his. Alibi fortaſsis, Deo faciente, ulterior dabitur ei examinandi occaſio.

Videamus nunc etiam ſuccinctè, quomodo ſpeciatim & preſſiùs ad iſtius argumenti partes reſpondeat. Quia ad finem properamus, diſputationem hanc quantum fieri poteſt contrahemus, & fundamenta ejus duntaxat breviter expendemus.

Hîc quibuſdam nititur hypotheſibus, quibus ſuas reſponſiones, tum ad has, quas Parens meus poſuit, abſurdas conſequentias, tum etiam aliorum quorundam, ſuperſtruit; ſed quæ nondum ſatis ab ipſo probatæ, neque à nobis approbatæ & receptæ:

I. Ex vocum punctis nudarum ſerie & ſtructurâ certò dignoſcitur, quomodo ſingulæ voces ſint punctandæ, quid re ſignificent, atque ubi cola, commata, periodi, ſint adhibenda: quia ſi aliter, quam oportet, adhibeantur, exurget inde nullus, aut inſulſus & abſonus, falſusq; ſenſus.

R. Ego dico, hanc regulam eſſe falſam & incertam, plurimisq; exemplis poſſe contrarium demonſtrari. Si res ita habet, ut hac ratione *certò* dignoſci poſsit ubiq; verus ſenſus, quî quæſo factum, quòd doctiſsimi Interpretes Græci & Latini, qui, ex Revelatoris

confeſsione ipſa, ex codicibus *Biblicis*, punctis carentibus, ſuas Interpretationes confecerunt, toties (quod nec ipſum puto negabit) & à veris punctis, & à legitimis diſtinctionibus ſententiarum, aberrârunt? An illi adeò væcordes, & communi pænè ſenſu deſtituti fuerunt, ut non animadverterint, ex lectione ſua ſæpè aut nullum, aut inſulſum & abſonum, falſumq; emanare ſenſum? Quî etiam fit, ſi res tam eſt evidens, liquida, & certa, quod de his Interpretum antiquorum diverſitatibus, & ab Hebraici contextus lectione aberrationibus, uſque in hodiernum diem, tot ſint Virorum doctiſsimorum diſſenſiones & variæ ſententiæ, dum hîc lectionem Textus Hebraici hodierni, alius lectionem LXX. Græcorum: alius Theodotionis, Aquilæ, Symmachi; alius Latini; alius Samaritani codicis; alius aliam: non nemo etiam ſuam propriam lectionem, amplectitur & defendit? Cur non oculos tandem aperiunt, & in re certâ, adeò neceſſariâ, atque indiſputabili, conciliationem inſtituunt? Quæ cauſa, quòd de re tam evidenti, tam multiplices, diuturnæ & graves ſint controverſiæ? *Contendendi*, inquiet Revelator, *& altercandi libido, & defectus Chriſtianæ manſuetudinis & charitatis.* Sed hîc jam porrò quæritur; Penes quem vel quos in hac multitudine & varietate ſit peſsimum hoc vitium, & hæc culpa? Procul dubio in tanta varietate non penes unum, ſed modò in hoc, modò in illo, dicendum erit? Sed quis in hac quoque diſcrepantia ſanum à morbido & vitioſo diſcernet? quod etiam morbo huic contagioſo & inveterato adhibendum remedium? Hactenus nemo tantam authoritatem obtinere, nemo huic malo mederi potuit. Quid igitur? Critica Revelatoris hæc omnia præſtabit: hæc Judex ſupremus erit: Huic qui parebit & ſe ſubjiciet, is lectionem certam ſequetur, is nullibi à vero ſenſu aberrabit, is Chriſtianæ manſuetudinis & charitatis ſpiritum habebit: ſecus omnia, qui ſecus eſt facturus.

Hujus commatis eſt quoque Hypotheſis

II. Quâ negat, in multis locis aliter pro arbitrio lectoris legi poſſe, quàm orationis ſeries, & intentio ſcribentis requirit; quòd variæ & multiplici ſingularum vocum lectioni repugnet earum in Orationis ſerie & complexu connexio, ſeries, & mutuus reſpectus, quem inter ſe habent.

Hoc Axioma eodem ariete concutitur & ſubvertitur quo præcedens. Sæpe accidit, & frequentiſsime, ut Orationis ſeries, connexio,

nexio, & mutuus reſpectus, ex punctatione ſint quærenda, non vice verſâ. Non autem dicimus; ſingulas voces in Oratione integra & continuatâ poſitas aliter legi poſſe, ſed multas, imò plurimas, & multis quoque in locis. Neque tum demùm ſubvertitur aut immutatur Orationis alicujus mens & ſenſus, quùm omnes voces aliter leguntur, quàm legendæ ſunt; ſed unicæ vocis lectio prava, integræ ſententiæ vel orationis ſenſum depravare poteſt; maximè in libris Sacris, ubi Orationes ac ſententiæ non ita plenæ ac perfectæ ſunt, ſed conciſæ. Poſſem hîc exempla non pauca afferre cæſpitationum hujuſmodi in viris doctiſsimis, & in rebus non ita difficilibus, niſi res in tam manifeſta luce eſſet poſita. Ac ne alios quæramus, vel huc præter meritum trahamus, ipſius Revelatoris exemplum abundè docet, quàm incerta & lubrica ſint hæc Axiomata, qui aliquot ejus luculenta ſpecimina nobis reliquit in breviſſimis illis Animadverſionibus, quas ſcripſit in Exercitationem noſtram de Cœna Domini, ut ex Vindiciis noſtris apparet. Et, ſi eodem rigore examinanda, & ad originalem Textum exigenda eſſet Verſio illa Loci Zoharis, quam Diatribæ ſuæ de Literis ſubjunxit, longè plures & graviores ejuſmodi lapſiones deprehenderentur. Nulla eſt pagella, quæ non exempla ſubminiſtret. Quod ne ex affectu magis, quàm rei veritate ſcribere videar, paucis de quibuſdam Lectorem obiter ſaltem monere operæpretium erit.

Statim ab initio illius loci ſcribitur: ובגין דא ארעא הוה תוהא ובוהו איך ברא ק״בה עלמין לחרבא לון) D. Cappellus vertit; *Ac propterea erat* tohu vabohu, *deſolata & vacua. Quomodo Deus creavit mundos, & deſtruxit eos.* Ego vertendum puto; *Ac propterea terra mirabatur & obſtupeſcebat, quomodo Deus creet mundos ad vaſtandum eos.* Hic Participia תוהה ובוהא ſumpſit pro Nominibus ſubſtantivis, malè diſtinxit, nec in ipſam authoris mentem penetravit.

Mox; ד״קבה לא ישני עובדי ידוי ולא עוד אלא אילין שמיא איתמר בהו] D. Cappellus; *Deus enim benedictus non deſtruit opera manuum ſuarum, ut non ſint amplius: ſed iſti cæli ſunt illi, de quibus dictum eſt, &c.* Ego verto: *Quùm Deus non mutet opera manuum ſuarum; Atqui non hoc tantùm; ſed de cælis etiam dictum eſt, &c.* Nec phraſeos illius ולא עוד, nec contextus totius rationem aſſecutus eſt.

Item; אילין דלא נטרי פקודי אוריתא לא דשני איהו עובדוי] D.

Cappellus; *Illi ſunt, qui non ſervarunt præcepta Sinaj, nec ſunt opera ejus.* Reddendum: *Iſti ſunt, qui non ſervarunt præcepta Legis; non quod ipſe (Deus) mutet opera ſua.* Neſcio unde hîc vocem *Sinaj* inſeruerit: an fortè impegit in voce דשני *Quòd mutet*, quam non expreſsit.

Item: דעתיד איהו ברזא דגלגולא לאתערבא ביניהו בגלותא בין ערב רב דאינון נשמתיהו מסט דאיתמר וכו׳] D. Capellus; *Quia futurum eſt in arcano* Galgulæ *vel Rotæ, ut miſceantur inter eos in captivitate, inter Veſperam magnam, quorum animæ ſunt, &c.* Reddo ego de verbo ad verbum: *Quia futurus erat ipſe per ſecretum Revolutionis* (ſc. *mortuorum*, de qua vide Lexicon Talmudicum in Radice גלל, in voce גלגול) *commiſceri inter eos, vel, cum eis, in captivitate, inter mixtionem ſeu turbam vel frequentiam illam maximam, quorum animæ ſunt ex illis, de quibus dictum eſt.* Hic primò non aſſecutus eſt, quid ſibi velit גלגולא; deinde peſsimè expoſuit ערב רב *Veſperam magnam*, pro, *Turbam*, vel *Frequentiam maximam*: ערב רב in hoc ſenſu occurrit Exo.12.38. Et in hac phraſi ter impegit in hac verſione. Unde colligat lector, quid judicandum ſit de iis, quæ ſuper *Veſperâ* iſta *magnâ* philoſophatur in Exercitatione ſua.

Item: ואשתלים אומאה] D. Cappellus: *Et perfecta eſt gens.* Reddendum; *Et impletum fuit juramentum*, Legit nempe אוּמָּה *Gens, Populus*; cùm ſit Chaldæum אוֹמָאָה *Juramentum*. Intelligitur autem illic juramentum de excindendis Amalekitis, Exo.16. 16. Et in hac quoque voce bis cæſpitavit.

Item, דאפילו גרמייהו לזנית] D. Cappellus, *Qui etiam cauſa fuerunt ipſi ſcortandi*, ac ſi legendum eſſet, דאפילו גְּרַמְיְהוּ לִזְנוּת; cùm vertendum eſſet; *Qui projecerunt ſeipſos in ſcortationem*; & punctandum דאפִילוּ גַרְמַיְהוּ לִזְנוּת.

Ibid. מתרפאין] D. Capellus: *Segneſcunt*: legens מִתְרַפִּין. Vertendum; *Sanantur.*

Item: רפאים בל יקומו בזמנא דייתי פקידה לישראל] D. Cappellus; *Rephaim non reſurgent* (Eſa.36.9.) *in tempore futuro. Præceptum Iſraëli de illis datum eſt.* Reddendum erat: *Rephaim non reſurgent* (Eſa.36. 9.) *in tempore ſc. quo veniet viſitatio Iſraelis: & dictum eſt de iis, &c* Hic quoque erravit in punctatione & ſignificatione vocis פקידה, ut & in ſententiæ diſtinctione.

Item: אינון רישין בקיומא סגיא] D. Cappellus: *Præcipui in fœdere*

dere Sinaj. Reddendum; *Iſti* (quorum ſc. mentio facta) *ſunt principes cum duratione magna, qui remanſerunt Iſraëlitis in arma violentia, &c.* pro סַגִּיא Saggi, *Multus, Magnus,* legit & ſubſtituit סִינַי *Sinaj*, & pro קְיָמָא legit קִיָּמָא; nec vocum & phraſium vim, nec connexionis rationem aſſequens.

Item: ביומא דיתמחון אלין כאלו ההוא יומא דעביד קׄבׄה שמיא וארעא] D. Cappellus, *In die quo deleti ſunt illi ſicut illi, eo die quo Deus fecit cælum & terram.* Reddendum: *In die quo delebuntur illi, erit perinde ac ſi eſſet ille dies, quo Deus fecit cælum & terram.* כאלו legit כאלו *ſicut illi*, cùm ſit כְּאִילוּ *Perinde, ac ſi*; & inde vim ſententiæ non eſt aſſecutus

Item: ומיד דאיהו יתי מיד ואד יעלה מן הארץ א״ד מן אדני סליק ליה ו׳ ואתעביד בה אדון כל הארץ] D. Cappellus: *Sed ſtatim atque venerit, ſtatim* ואדם *ſecundus Adam adſcendet de terra,* אדם מן אדני סליק ליה ו׳ *Adam de Adonaj, deeſt illi Vau. Eo factus eſt Dominus totius terræ.* Ego puto reddendum: *Sed ſtatim atque venit* (Moſes) *Et vapor aſcendebat de terra,* Gen 2. 6. Ed (*vapor*) *factum eſt ex* Edonaj, *ablato Vau ab initio* (in וְאֵד) *innuens; quòd factus ſit Dominus totius terræ.* Hic ex ואד fecit וְאָדָם: Ex *Vapore* ſc. genuit *Adamum ſecundum*, atque inde mirificè detorſit ſenſum

Alia prætereo. Hæc enim nondum omnia ſunt, in quibus in brevis illius loci verſione impegit. Neque id præſentis eſt loci ac inſtituti.

Si ex *vocum ſerie atque ſtructura* tam accuratè *dignoſci poteſt, quomodo ſingulæ voces ſint punctandæ, ubi commata, cola, periodi, &c. ſint adhibenda: ſi non poteſt aliter legi, quàm orationis ſeries, & intentio ſcribentis requirit, &c.* qui factum, quòd adeò turpiter hîc hallucinatus ſit ipſe Punctandi Magiſter? Si tam enormiter erravit in hoc loco, in quo diligentiæ & peritiæ ſuæ Hebraicæ ſpecimen edere voluit, quemque ideò non ſolùm verſione, ſed & commentario illuſtravit, quid fieret, ſi non tanta accuratione in libri alicujus lectione verſaretur, vel, ſi ex tempore ipſi aliquid reddendum eſſet? Si ipſimet hujus artis Criticæ principi & Ariſtarcho hoc evenit, quid ſperandum de aliis? Si cedros corripuit hic erroris ignis, quid fiet hyſſopo pro deunti de pariete? Si Levijathan hoc hamo captus eſt, quid fiet piſcibus minoribus? Et ſi verum eſt, quod ſcribit; *Si voces in Orationis ſerie collocatæ aliter punctarentur, quam legendæ*

ſunt, vel nullum planè, vel ridiculum & inſulſum, vel denique abſurdum & apertè falſum gignerent ſenſum; cogitet Lector, quid non ſolum de illa Loci Zoharis verſione, ſed & de ejus Elucidatione (ſic enim appellat illam Exercitationem ſuam) ſit ſentiendum. Verbis ſuis propriis ſi judicetur, dicendum; *Senſum, quem ex hac verſione elicuit Lucidarius, eſſe vel nullum, vel ridiculum, & inſulſum, vel abſurdum & apertè falſum.* Quod ſi in his, quæ humanam ſapientiam continent, tam infeliciter ei cedit hæc criſis, quis ei fidet, ubi ad ſapientiæ divinæ libros dijudicandos hanc ſuam artem applicuerit? Habet certe, quod majorem inpoſterum deferat Punctis honorem, majoremque illorum agnoſcat neceſsitatem, quam hactenus, & *non nimiùm ſuæ intelligentiæ confidat*, juxta Salomonis monitum. Sed pergamus.

III. *Ad nullam certam punctationem* (quam ſc. Codices Hebraici habent) *nos eſſe adſtrictos: ſed, ſi in locis nonnullis proferri poſsit alia punctatio, quæ Analogiæ Grammaticæ, atque naturæ hujus linguæ non repugnet, quæq; ſenſum æque commodum, aut etiam commodiorem, veriorem, magis cohærentem & conſonum pariat, nullo jure nos Maſorethicâ punctatione potius teneri, quam iſtâ. Quod ſi verò nullam aliam Maſorethicâ commodiorem proferre poſsimus, tum demum teneri nos Maſorethicâ; non quia eſt a Maſorethis, ſed quia vocum in Orationis complexu ſeries & ſtructura nullam aliam ferre poteſt: & ſic nos, non humana, ſed divinâ authoritate, niti.*

℞. De hoc Axiomate, & de hac Quæſtione jam egimus ſuprà L. 1. cap. ultimo, ut non neceſſe ſit hîc plura addere. Cogitet Lector quæſo, annon hîc ſemper principium petatur, & ad ſtatum controverſiæ redeatur? Axioma enim hoc nititur præcedentium duorum principio, quod nos rejicimus, & quod perpetua experientia in hunc uſque diem falſum eſſe comprobavit.

IV. Quod in Argumento allato dicitur, Ex hac de Novitate punctorum ſententiâ ſequi, quòd iſte ſenſus, quem Punctorum Vocalium & Accentuum diſtinguentium lectio exhibet, authoritatem habeat humanam adeoque incertam, &c. quòd iſta puncta à quovis alio docto & perito, in locis dubiis, ambiguis & difficilibus, mutari, & alia pro ipſis ſubſtitui poſsint: quòd quilibet alius alio futurus ſit doctior & in corrigendo peritior;

Ad id, inquam, itidem ex præcedenti principio reſpondet, *Se non*

non dicere, a Maſorethis pro arbitrio excogitatam eſſe hanc punctationem; ſed, eam neceſſario exurgere ex vocum orationis ſerie atque ſtructura, quæ aliam punctationem non poteſt ferre. Itaque cùm eam ſequimur, nos non ædificari ſuper fundamentum Maſoretharum, ſed ſuper fundamentum Prophetarum & ſcriptorum Θεοπνεύστων, qui inter ſcribendum ſingulas voces eo ordine diſpoſuerunt, ut non poſſis aliam proferre punctationem, quæ non ſtatim prodat ſe alienam ex ſenſu abſono, inſulſo, aut nullo, quem gignet: Itaque lectionem hodiernam ideò eſſe authenticam, non humanam duntaxat, quia Vocum ſeries non poteſt aliam præter Maſorethicam iſtam ferre punctationem.

R/. Jam rejectum, & experientiâ ipsâ confutatum eſt, *quòd Vocum ſeries & ſtructura per contextum Biblicum, non poſſint aliam punctationem ferre, quin ſenſus inde exſurgat abſonus, inſulſus, aut nullus.* Hoc Axioma priùs firmioribus argumentis eſt probandum: inter variantes ex punctatione varia interpretationes oſtendendum, quænam illa ſit, quæ cum orationis ſerie & ſtructura conveniat: hoc oſtenſo, aſſenſus quoque publicus obtinendus, ut ſicut Judæi omnes unanimi conſenſu Maſorethicam punctationem pro vera, genuina, neceſſariâ & authentica habent; ſic nova hæc Interpretatio, nova hæc Critica, itidem ab omnibus Chriſtianis ſine contradictione recipiatur; imò ab omnibus, quibus ſenſus aliquis ſanus ſupereſt. Ubi hæc præſtiterit, aliquo modo declinatum hoc abſurdum dicemus. Quamdiu verò hoc non præſtabit, manere ſemper nodum hunc dicimus: nam incertitudine & varietate manente, in hac incertitudine, nullo abſurdo, abſono, inſulſo ſenſu ex variantibus interpretationibus exſurgente, quis nos de genuina authoris & ſcriptoris mente certiores reddet? An Maſoretharum authoritas? Non certè ex Revelatoris mente, quos paſsim tanquam *homines moroſos, ſuperſtitioſos, ſcrupuloſos* depingit, quibus reliquorum Interpretum varias lectiones adjungendas, & æqua cum iis lance trutinandas; imò quos etiam ex proprio noſtro judicio & facultate τεχνικῇ corrigi poſſe dicit. Et quis noſtrûm Maſorethis, quingentis aut ſexcentis poſt Chriſtum annis, florentibus, omni hiſtoria, omni memoriâ, omni celebritate carentibus, h. e. hominibus obſcuris & ignotis, eam authoritatem tribueret? Quod ſi etiam maximè famoſi & celebres eſſent, quis ſenſum, rationem ſuam illis ſubjiceret? Nam Judæi fuerunt, fuerunt recentes, & eo

ſæculo

ſæculo vixerunt, quo αὐθεντία Traditionum oralium jam deſiit, & catena Cabaliſtica multis modis luxata & diffracta fuit, &c.

Quo verò animo in hac reſponſione dicit de Punctatione Maſoretharum, *quòd ea non ſit pro arbitrio illorum excogitata, quòd neceſſario exurgat ex ſerie orationis, &c. quòd illorum lectionem ſequentes, ſimus ſuperſtructi ſuper fundamentum Prophetarum, &c.* cum ſtatim §. 4. ſubjiciat; *Ad loca autem obſcura, dubia & ambigua quod attinet, quæ variam poſſunt admittere punctationem, quis jure conqueratur aut indignetur, ſi quis aliam proferat punctationem, quæ ſenſum alium tam verum, tam commodum, tam cohærentem & conſonum pariat, aut etiam veriorem & commodiorem, quàm ſit ille, qui oritur ex hodierna Maſorethica.* Sic itaque duntaxat illic Maſorethica punctatio eſt certa, ubi nihil obſcuri, dubii, ambigui; ubi verò loca ſunt obſcura, dubia, & ambigua, ibi incerta eſt illorum punctatio, neminemque obſtringit. Si ita eſt, ergo in locis obſcuris, dubiis, ambiguis, nullam habemus certam lectionem; ergo de illorum lectione cuivis liberum eſt judicium. Quot autem ſunt, & quàm innumera pæne illorum locorum per univerſam Scripturam? Huc enim puto referenda omnia illa, de quorum lectione Interpretes eruditi inter ſe diſſentiunt. Quod ſi vero illa quis colligat, bone Deus quantam ſylvam colliget? Quid certi manebit? Quouſq; authoritas illa Maſorethicæ punctationis, quam antea extulerat, ſe extendet? Annon hoc eſt Punctationem facere Humanam & Maſorethicam, non Divinam & Propheticam? Nam ſi pro hujuſmodi haberetur, non liceret cuiquam ullo prætextu Criſin circa eam exercere. Cùm verò Criſin hanc permittat Revelator, Punctatio certè, quicquid ajat, ab ipſo habetur pro opere humano; licebit ea pro cujuſvis judicio & arbitrio in locis dubiis, ambiguis & difficilioribus mutare, ſi quis vel minimam poſſit ſpeciem obtendere.

V. Quod Canonem illum attinet, ſecundum quem loca ambigua & difficilia dijudicanda dicit; *Ut nempe ex antecedentibus, conſequentibus, ſcopo authoris, & tota ipſius ſcripti contextura atque συνάφειαν judicemus, quis ſenſus, quæ lectio, aut punctatio, ſit verior, aptior, commodior, & cohærentior*; & illum nequaquam rejicimus: ſed cuivis cordato perpendendum damus, utrum hîc adeo poſſit eſſe certus, ut ex eo certam viam ubique deprehendere & ſequi queamus: Cùm enim, Scripturâ nudis conſonantium figuris ſcripta,

ſcriptâ, duo ſint inveſtiganda; Vocum genuina *Lectio*, & ex Lectione *Senſus*; annon, ſi cujuſvis judicio modus legendi ſit obnoxius & ſubjectus, varius etiam ſequetur neceſſariò ſenſus? Ut hominum palatus, ſic judicia quoque variant: Quiſque transferet *id, quod ſibi conſequentius videtur*, uti Hieronymus alicubi ſcribit, & ſic etiam eum eliciet ſenſum, qui *ſibi melior & conſequentior videbitur*. Periculoſum mihi videtur, hoc principium ponere; *Ex ſenſu ſemper eruendam eſſe lectionem vocum*: contra potiùs; *Ex lectione vocum certiùs erui poteſt & debet ſenſus*. Diſtinguenda etiam hîc ſunt ſcripta. In ſcriptis humanis equidem faciliùs id admitti poteſt: quia illæ tractant res nobis notas: In ſcriptis verò Divinis, quæ res tractant divinas & cæleſtes, rationem noſtram ſuperantes, rationi noſtræ ea velle ſubjicere, mihi non videtur conſultum. Sed de his jam actum eſt quoque ſuprà lib. I. cap. ultimo.

Caput XV.

In quo proponitur Unum & Alterum Argumentum, quibus alii nonnulli utuntur pro Antiquitate Punctorum.

UT Lectori cuivis ſatisfaciamus, & nihil omittamus eorum, quæ pro utraque ſententia ſtabiliendâ, vel reipſa faciunt, vel ſaltem facere nonnullis videntur, unum & alterum recenſebimus in hoc capite argumentum, quæ, nobis quidem, per ſe non firma & ſtringentia videntur, ut ſola in cenſum venire poſſent. Quia tamen ex præcedentibus ipſa quoque aliquid roboris fortaſsis poſſunt mutuari, & pii ac eruditi ſanè nonnulli viri iis hactenus ſunt uſi, coronidis loco ſaltem ea proponere, mentionemque illorum facere voluimus.

I. Decem ſunt in Lege, & quinque in reliquis libris Biblicis voces, quæ ſupernè notantur uno vel pluribus punctis, non Vo-

calibus, ſed extraordinariis & peregrinis, de quibus prolixe ſatis Pater meus in Tiberiade cap. 17. Quamvis verò non meminerim, Parentem meum hinc Argumentum ducere pro Punctorum antiquitate; & ipſe quoque fatear, me non exiſtimare, ſolidum valde argumentum hinc formari poſſe; memorat tamen Revelator, ab his punctatis vocibus quoſdam ſic argumentari; *Canon ille Simeonis* (in Bereſchit rabba, de his punctis) *verſatur circa Puncta, non Vocalia quidem illa, ſed qualia ſpectantur Gen. 18. 9. in voce* אליו*, & Geneſ. 33. v. 4. in voce* וישקהו*. At quis prudens crediderit, eſſe vetuſtiora Punctis vocalibus admodum neceſſariis, illa puncta, de quibus R. Simeon, quæ nullo modo neceſſaria ſunt?*

Nolo nunc hujus Argumenti plenum patrocinium in me ſuſcipere, neque ea repetere, quæ Pater meus de his vocibus obſervavit. Unum tantùm & alterum adjiciam, ad pleniorem illuſtrationem.

In Talmud, in Avoth R. Nathan cap. 33. adſcribuntur hæc Puncta Eſræ. Explicantur illic decem voces, quæ in Lege occurrunt, & ad locum Deut. 29. 29. ad לנו ולבננו ſic ſcribitur; נָקוּד על לָנוּ וּלְבָנֵינוּ וְעַל ע׳ שֶׁבְּעַד לָמָּה אֶלָּא כָּךְ אָמַר עֶזְרָא אִם יָבוֹא אֵלִיָּהוּ וְיֹאמַר לִי מִפְּנֵי מָה כָּתַבְתָּ כָּךְ אוֹמֵר אֲנִי לוֹ כְּבָר נָקַדְתִּי עֲלֵיהֶן וְאִם אוֹמֵר לִי יָפֶה כָּתַבְתָּ אַעֲבִיר נְקוּדָה מֵעֲלֵיהֶן h. e. *Punctatum eſt ſuper* לנו ולבנינו, *& ſuper litera* ע*, in voce ſequente* עד. *Quare? Eſras dixit: Si veniat Elias, ac dicat mihi, Quare ſic ſcripſiſti? dicam ei; Jam puncta notavi ſupra eas. Si porrò dicat mihi, Benè ſcripſiſti, removebo iterum puncta ab eis.*

Hinc petita ſunt, ſed cum pleniori nonnihil explicatione, quæ Chaskuni ſcripſit ad Geneſ. 16. v. 5. כל תיבות נקודות שבתורה מסופקות היו בידו של עזרא הסופר. אמר אם יבוא משה רבינו ואומר לי מפני מה כתבת את אלו אומר לו כבר נקדת עליהם ואם אומר לי למה נקדת עליהם אומר לו דרי לא מחקתים ואעביר את הנקודות מעליהם *Omnes dictiones punctatæ, quæ ſunt in Lege, dubiæ fuerunt apud Eſram ſcribam* (noluit tamen eas expungere, ſed punctis notavit duntaxat). *Dixit; Si veniat Moſes Præceptor, & dicat ad me, Quare ſic ſcripſiſti has voces?* (quæ ſc. non ſunt probæ) *dicam ei; Puncta notavi ſupra eas* (in ſignum ſc. quòd ſint ſuperfluæ & diſpungendæ): *Quod ſi vero ulterius dicat, Quare punctis notaſti eas? reſpondebo ei, En non delevi illas: auferam iterum puncta ab eis.*

Eundem

Eundem locum adducit Baal Aruch in voce נקד, & ex eo Philippus Aquinas in ſuo Dictionario, qui inſuper & hæc addidit; מִכָּאן שֶׁעֶזְרָא שָׂם הנקודות והטעמים *Hinc colligimus, Eſram appoſuiſſe Puncta & Accentus.*

II. Adferunt etiam non pauci nec indocti viri quidam, locum ex Evangeliſta Matthæo cap. 5. v. 18. ubi Chriſtus inquit, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται, *Amen dico vobis, uſque dum præterierit cælum & terra, Jota unum aut unus Apex nequaquam præterierit ex Lege, uſque dum omnia facta fuerint.*

In hoc loco exiſtimant, Κεραίας nomine intelligi *Punctorum Vocalium & Accentuum apices*; ac proinde concludunt, illos Tempore Chriſti jam extitiſſe.

Nam Vi proverbialis loquutionis arbitrantur intelligi aliquid minimum, quod tamen ſit de Lege, & quod vim ſeu poteſtatem & ſignificationem aliquam habeat. Nam per Ἰῶτα intellexit Chriſtus *Literam* minimam, quæ eſt *Jod* apud Hebræos: probabile itaque, illum per Κεραίαν intellexiſſe *Puncta* & *Accentus*, figuram minorem habentes; quia præter Literas nihil aliud eſt in Lege Hebræorum, vim ſeu poteſtatem aliquam habens, præter Puncta Vocalia & Accentus. Et diverſum quid a literis exiſtimant ideò denotari, quia Ἰῶτα & Κεραία disjunguntur per particulam disjunctivam ἢ *Aut*, ut quaſi oppoſitionem videatur facere inter *Jota* & *Apicem.*

Excipit; *Poſſe intelligi per* Κεραίας, Cornicula *illa*, *ſeu* Apiculos *literarum Hebraicarum, quos Hebræi* תָּאגִין Coronulas *appellant.*

℞. 1. De hoc quidem ego cum nemine velim contendere, aut negare, poſſe hìc intelligi minimas literarum Hebraicarum partes; ſed tamen etiam exiſtimo, has non neceſſariò excludere Punctorum Vocalium & Accentuum apices. Dictum enim Chriſti cùm proverbialem locutionem contineat, poteſt generaliter exponi de quavis figura minima Legis ſcriptæ: Hæ autem poſſunt æque eſſe Figuræ punctorum & Accentuum, ac Apices illi literarum.

2. Quod verò hanc vocem reſtringere vult duntaxat ad illos Apiculos quos Hebræi תָּגִין *Coronulas* appellant, ut & כְּתָרִים eodem ſignificato, item זַיְנִין *Gladiolos*, vel *Spicula*, id mihi non pro-

babile videtur: Nam hæc ſpicula non ſunt communes omnium, ſed ſeptem duntaxat literarum שעטנז גץ; hic autem videtur intelligi aliquid generale & commune toti Legi: Præterea ſcriptio iſta curioſa non videtur eſſe de eſſentia Legis, vel de neceſsitate, aut integritate ejus, ſed ex ſuperſtitione Judaica & Phariſaica orta eſſe.

3. Quòd etiam Revelator in ſuo Spicilegio ad Matth.5. ſcribit, hac phraſi & voce *alludi ad veterem Judæorum ſententiam, quâ putant, tempore Prophetarum fuiſſe quoſdam, qui non modo omnes Legis literas habebant in numerato, eaſq; excutiebant, ut ſingularum mentem & ſenſum exquirerent, ſed etiam omnium & ſingularum literarum* קוץ וקוץ *ſingulos apices, & hic per* קוץ *intelligi etiam Cornicula illa, quæ in capite elementorum Hebraicorum, quibus Volumen Legis deſcribunt, ſunt conſpicua, eo quod cornicula illa literarum Hebraicarum plane referant figuram aculeorum, quibus horrent ſpinæ*; in hoc inquam nonnihil falli videtur. Nam in hac ſententia Hebræi קוץ aliter interpretantur & exponunt, nempe non de illis corniculis ſeu coronamentis, de quibus modò diximus, ſed de lineolis literarum Hebraicarum lateralibus, aculeatis, & ſpinam referentibus. Hinc in illo ipſo dicto, quod Revelator allegat, קוֹצִין referuntur ad *omnes & ſingulas* literas. Coronulæ autem illæ propriæ ſunt, ut dictum, quarundam duntaxat literarum. Et in libro Talmudico Menachoth cap.3. fol.29. col.1. legitur; קוצו שׁל יוד *Spina literæ Jod.* Atqui litera *Jod* non eſt ex illis literis, quæ תגין vel זיינין admittit. Unde R. Salomon in gloſſa ſua exponit קוצו של יוד *Spina τῦ Jod*, per רגל ימינו של יוד *Pes dexter literæ Jod.* Et ſic quoque in Additionibus Talmudicis.

Intelligantur itaque iſtæ partes literarum, intelligantur Coronulæ illæ ſuperſtitioſæ Judaicæ; ſic tamen non neceſſario excludentur Puncta vocalia & Accentus; quia Chriſtus in genere loquitur de quavis figura Legis minima; neque adhuc dum ſufficienter probatum eſt, Puncta vocalia Chriſti tempore nulla extitiſſe.

Sed manum de tabula. Tantum hac vice Divina conceſſit Gratia de Materia iſta dicendi & ſcribendi, quibus quid præſtiterim, Doctorum & Benignorum Lectorum eſto judicium. Si quid rectè, utiliter, & ad rem; eſt quod Deo agantur gratiæ, cui omnia accepta

accepta referenda: ſi, ut non dubito, quid minùs rectè, minus ſolidè, minùs eruditè, id partim Ingenii mei tenuitati, Iudiciique infirmati; partim librorum neceſſariorum, & ulteriorum ſubſidiorum Hebraicorum, diu, ſed nequicquam à me deſideratorum & quæſitorum, inopiæ; partim materiæ ipſius profunditati & obſcuritati, Hiſtoriæque Hebraicæ defectui, eſt adſcribendum. Quamvis autem nunquam dubitaverim, nec etiamnum dubitem, Laborem hunc meum, ſi quiſquam alius, variis judiciis obnoxium fore, & exceptum iri; Cauſæ tamen bonitate fretus, hoc me à propoſito abſterrere non potuit; ſperans, ſi minùs finem propoſitum conſequutus fuero, affectum ſaltem & conatum apud bonos quoſvis laude non cariturum; qui pro *Veritate Hebraica* pugnando, nil præter unicam *Veritatem* quæſivi. Eam ut ſemper ſequamur, & ab erroribus omnibus liberemur, faxit is qui ipſa eſt Veritas. Cui Sit Laus Honor Et Gloria, in Sempiterna Sæcula,

Amen.

INDEX CAPITUM HUJUS TRACTATUS.

PARS PRIMA ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

CAPUT I. *In quo Status Quæſtionis, Variæ circa illum ſententiæ, & præſentis Diſſertationis Methodus, exponuntur.* pag.1.

CAP. II. *In quo Prima Sententia, De Novitate Punctorum & Accentuum, proponitur, & explicatur.* pag.3.

CAP. III. *De prima, pro Novitate Punctorum, ratione, Ab expreſſis Hebræorum Teſtimoniis atque authoritatibus deducta.* pag.11.

CAP. IV. *De Mutis Teſtimoniis pro Punctorum Novitate, horumq; primo; ex Legis Volumine non punctato, quod a Judæis in omnibus Synagogis aſſervatur.* pag.38.

CAP. V. *De Altero Teſtimonio muto, Silentio nimirum de Punctis, in Allegoricis & Cabaliſticis Judæorum ſcriptis.* pag.52.

CAP. VI. *De Tertio Teſtimonio muto, Silentio ſcilicet in Talmudicis Hebræorum ſcriptis, de Punctorum & Accentuum notis ac figuris.* pag.76.

CAP. VII. *De Argumento pro Punctorum Novitate, ex Antiqua Scriptura Hebraica, quæ hodierna eſt Samaritana, deducto.* pag.110.

CAP. VIII. *De Argumento, quo Novitatem Punctorum demonſtrant ex Marginalibus notis,* קרי וכתב *Keri Ukeſiſ dictis* pag.112.

CAP. IX. *De Argumento Hiſtorico pro Novitate Punctorum, ex Antiquis Sacrorum Bibliorum Translationibus petito, in genere; & in ſpecie, de LXX. Interpretibus Græcis, An ex illorum Translatione Punctorum Novitas evinci poſſit?* pag.116.

CAP. X. *De Paraphraſibus Chaldaicis. An ex iis Punctorum Novitas probari queat?* pag.135.

CAP. XI. *In quo expenditur Argumentum, ex D. Hieronymo, cæteriſq; Patribus, Græcis & Latinis, deductum, pro Punctorum Novitate.* pag.143.

CAP. XII. *De Argumento Grammatico pro Novitate Punctorum, horumq; primo, deducto ex prodigioſa punctatione quamplurimarum vocum.* pag.170.

CAP.

Cap. XIII. *De ſecundo Argumento Grammatico, pro Punctorum Novitate; Ab eorum Appellationibus.* pag.188.
Cap. XIV. *De Tertio Argumento Grammatico, ex Punctorum & Accentuum Numero & Munere.* pag.194.
Cap. XV. *An Ben Aſcher & Ben Naphtali poſſint eſſe Punctorum & Accentuum, ſive ex toto, ſive ex parte, primi Authores & Inventores?* pag.262.
Cap. XVI. *An ad hodiernam Bibliorum Hebraicorum Scriptionem & Punctationem in illorum lectione & interpretatione, ita adſtricti ſimus, ut non liceat nobis ab ea recedere? An vero permiſſum ſit, ſi commodiorem nobis videantur ſuppeditare ſenſum, vel Veteres Interpretes, Græci, Chaldæi, Latini, alii, vel noſtrum proprium judicium; præſenti ſcriptione & Punctatione rejecta, eam immutare & aliam ſequi aut ſubſtituere?* pag.267.

Pars Secunda ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

Caput I. *In quo proponuntur & explicantur ſententiæ, quæ aſſerunt Punctorum & Accentuum Antiquitatem.* pag.304.
Cap. II. *Quomodo in dijudicanda Punctorum Antiquitate progrediendum, & quibus argumentorum Claſſibus probari poſſit?* pag.317.
Cap. III. *De Authoritatibus & Teſtimoniis, quibus Punctorum Antiquitas probatur; Univerſali videlicet Judæorum conſenſu, unico Eliâ excepto.* pag.318.
Cap. IV. *In quo exponitur, Cujus ponderis & momenti ſit hic Judæorum univerſalis circa hanc quæſtionem conſenſus? & An unius Eliæ authoritas illi omnibus præponderare poſſit ac debeat?* p.320.
Cap. V. *In quo probatur Punctationis Biblicæ Antiquitas & αὐθεντία ex Univerſali & ὁμοψήφῳ aut potius παμψήφῳ ejuſdem receptione & approbatione.* pag.334.
Cap. VI. *De Teſtimonio Maſoræ & Maſorethariun.* pag.338.
Cap. VII. *De Teſtimonio Antiquorum Exemplarium Biblicorum, Punctis & Accentibus inſtructorum.* pag.350.
Cap. VIII. *In quo ex Scriptione ipſa Textus Sacri, & præcipue ex tribus literis אוי, quæ Matres Lectionis appellantur, Antiquitas Punctorum probatur.* pag.356.
Cap. IX. *In quo ex Muſica arte, apud Veteres Hebræos laudatiſſimâ & notiſſimâ, Argumentum ducitur pro Accentuum antiquitate.* p.360.

Cap.

Cap. X. *In quo proponitur aliud Argumentum, à Neceſſitate Figurarum Vocalium & Accentuum ad conſervandam veram legendi rationem, poſt exceſſum Prophetarum uſque ad Maſorethas Tiberienſes: vel ab Impoſſibilitate eam genuinam conſervandi, & propagandi, uſq; ad tempus Tiberienſium poſt-Talmudicorum.* pag. 362.

Cap. XI. *In quo Argumenta duo Hiſtorica expenduntur, quæ, Maſorethas Tiberienſes Punctorum Authores non fuiſſe, evincunt.* p. 376.

Cap. XII. *In quo duo alia Argumenta Hiſtorica, Tertium videlicet & quartum proponuntur, & ab exceptionibus Revelatoris vindicantur.* pag. 398.

Cap. XIII. *Quinta & ſexta Ratio, ab Hiſtoria petita; earumq; ab Exceptionibus Revelatoris Vindicatio.* pag. 406.

Cap. XIV. *In quo expenduntur Argumenta quædam Theologica pro Antiquitate Punctorum & Accentuum.* pag. 418.

Cap. XV. *In quo proponitur Unum & Alterum Argumentum, quibus alii nonnulli utuntur pro Punctorum Antiquitate.* pag. 433

Deo Gloria.

Paucula & levia quædam errata, quæ ſe fortè inter relegendum nobis obtulerunt, ſic corriget benevolus Lector:

Pag. 114. lin. 18. leg. *ἀυθεντία.* Pag. 140. lin. 25. *illorum.* Pag. 172. l. 17. leg. *cap.* 8. Pag. 208. l. 17. leg. *amplius.* Pag. 232. lin. 33. leg. *inſertum.* Pag. 256. lin. 31. leg. גָּדוֹל . Pag. 257. lin. 21. leg. *Paſikta.* Pag. 308. lin. 1. leg. נִסְבָּה . Pag. 318. lin. 1. ſic diſtingue: *Pro natura hujus Thematis.* Pag. 323. lin. 28. leg. *Sapientiæ.* Pag. 334. lin. 18. leg. *Chriſtianorum.* Pag. 340. lin. 35. poſt *anomalias*, adde *invexerint.* Pag. 362. lin. 17. lege, ad *conſervandam* veram legendi rationem. Pag. 369. lin. 12. *παρωδηθέντῳ.* Pag. 375. lin. 30. pro *ſub*, lege *ſup.*

INDEX

AUTHORUM ET LIBRORUM,

Qui in hoc Tractatu citantur, & ex parte explicantur & illuſtrantur.

A

ABEN *Eſra* liber Tzachut 11.17.18.23. 24.180.210.298.
Moſnájim ejuſdem 12.23. 217.256.300.355.
Jeſod Mora ejuſdem 16.99.
Commentarii ejuſdem 17.137. 138.139.256.263.301.355.
Abraham ben Dior 228.
R. Abraham Hannaſi ſepher Haibbur 367.
Adónim ben Laſrat 355.
R. Aharon Cabaliſta 227.
Andreas Maſius in Joſuam 10. 119.
Antonius Rodolphus Cevallerius 309.
Archangelus de Burgo novo 65.66.70.
Arúgas habbóſem R. Samuelis Arcuvolti 42.43.46.54.87. 98.114.175.190.233.243.251.
R. Aſaria Meor enájim 29. 44.47.54.59.79.81.100.115. 120.121. & ſeqq. 305.331.367.
R. Aſcher 89.
Aſis rimmónim 56.
D. Auguſtinus 132.154.245. 286.287.337.
Auguſtinus Juſtinianus, Epiſcopus Nebienſis 288.
Auguſtinus Sebaſtianus Nouzenus 233.255.
Auguſtinus Steuchus Eugubinus 130.
Aulus Gellius 125.
Avoth R. Nathan 434.

B

Balmeſius 23.191.204.215. 237.265.
R. Bechaj 45.46.53.202. 212.297.
Ben Aſcher libellus de Accentibus 272.
Beréſchith rabba 140.
Biblia Hebræa

C

Calonymus 250.

R. Chananael 367.
Sepher Chaſidim 244.
Chaskúni 434.
Cicero 245.
Conradus Pellicanus 259.
Cornelius Agrippa 67.
Coſri 26.27.28. &c. 42. 84. 100. 191. 202. 245. 291. 296. 300. 361.

D

Davidis Kimchii Michlol 25. 34.202.203.206.228.351.
Schóraſchim 264.352.
Commentarii 35.36.138.139. 264.351.

E

Eliæ *Levitæ Masóreth* 241. & paſsim
de *Accentibus* 5.240.242.
Meturgeman 136.140.199.
R. *Elieſer Miggarmiſa* 228.
En hakkóre MS. 209.225.
En Jiſraël 46.
Ephodéus MS. 23.35.40.78. 82. 207. 224. 226. 228. 246. 247. 313. 314. 348. 410.
Epiphanius 353.384.
Euſebius 322.

F

Felix Pratenſis 288.
Flavius Joſephus 69.124. 321.322.
Franciſcus Junius 242.

G

Gilberti Genebrardi Chronologia 7.70.
in Pſalterium 4.119.
Ginnas égos 59. & ſeqq.
Guilelmus Poſtellus 133.157. 311.

H

Raf Haj 328.
Sepher Hannikkud 55.
Sepher Hattemúnah 65.
D. Hieronymus 26.143. & inde ſæpè uſque ad p. 167. 119.124. 136. 238. 287. 292. 334. 386.387.
Horijas hakkóre 267.

I

R. Jacob ben Chájim 283.382. 315.
Jaikut 101.
R. Jehúdah ben Bilham 261.
R. Jehudah Chajat 56.
R. Jehúdah ben Chijug 189. 202. 215. 220. 329.
Jehudæ Muſcati Comment. in lib. Coſri 25.55.84.99.258.297.
Jezírah 227.
Iggéres hatteámim 58.
Incerti authoris libellus de Accentibus, Bibliis majoribus adjunctus 6.41.

Joh.

Joh. Buxtorfi Tiberias 98. & ſæpè.
Joh. Druſius 9.122.
Johannis Merceri Commentarii 4.352.277.
Joh. Morini Exercitationes Samariticæ 33.
Johannis Reuchlini libri Cabaliſtici 10.59. Ejuſdem liber de Accentibus 255.
Johannes Seldenus, de Jure Naturæ & Gentium, &c. 69.
R. Jonas Grammaticus 208.329.
Jonathan Paraphraſtes Chaldaus 136.
Joſephi Albo, liber Ikkarim 111. 296.
R. Joſeph del Medico 56.79.179.
Joſephus Scaliger 397.
Iſaac Abarbinel 155.315.
R. Iſaac ben Arámah 258.
R. Iſaac bar Schéſcheth Quæſtiones & Reſponſiones 109.
Liber *Juchaſin* 351.
R. Juda Mentz Quæſtiones & Reſponſiones 412.
Julius Cæſar 124.

K

Kenè binah 24.57.229.
Sepher Kerithuth 103.

L

Levuſch 174.
Liſjas chen 24.65.192.202. 203.209.216.233.
Ludovici Cappelli Arcanum Punctationis. EjuſdemSpicilegium 436. Verſio loci, libri Zoharis.

M

Maaréches haëlahúth 56.
R. Manoach Keſeph Miſchna 40.
Marci Marini Lexicon 51. 310.370.
Margarita Philoſophica 311.
Martini Lutheri Schem hammephóraſch 4.277.
Martini Raymundi Pugio Chriſtianorum MS. 155.264.265.
Maſora 35.189.265.
Maſora Manuſcripta 189.
Matt enoth Kehunnah 140.
Matthias Flacius Illyricus 310.
Medraſch Echa 231.
R. Menáchem Ricanatenſis 46.
Minchath Kóhen 95.357.412.
Moſes Butrillo 227.
R. Moſes Kimchi 204.207.
Moſis Majemonidis Liber Jad 38. 90.270.273.367.
More nevochim ejuſdem 99.
Ejuſdem Commentarius ſuper Miſchnajoth 90.
Moſis Mikkotzi Liber Præceptorum magnus 85.
R. Moſes bar Nachman, ſeu Gerundenſis 55.352.

N

Nicolaus Lyranus 155.258.287.

R. Niſſim 81.9.

O

Onkelos, Paraphraſtes Chaldæus 136.

Origenes 167.

P

Paulus Burgenſis 258.

Paulus Fagius 9.

Petrus Cevallerius 309.

Petrus Galatinus 155.266.

Philippi Aquinatis Lexicon 435.

Philo Judæus 124.

Picus Mirandulanus 10.70.

Plinius 214.

Q

Quintilianus 245.

R

Ritualia Judæorum 174.

S

R. Saadia Gaon Comm. in lib. Jezirah, &c. 57.228.327.

R. Salomon 40.91.105.106.139.257.

Santes Pagninus 281.288.

Schalſchéleth hakkabálah 7.133.

R. Schem tof ben Schem tof ſepher haemúnoth 330.

Schepha tal 58.

R. Schimſchon bar Abraham Quæſtiones & Reſponſiones 100.

Schylchan aruch 40.

Sebaſtianus Munſterus 9.51.

Simeon de Muis 302.

Sixti Senenſis Bibliotheca 154.

T

Talmudu Babylonici varii libri 40.41.80.90.93.94.105.108.141.270.229.436.

Talmud Hieroſolymitanum 80.

Targum Hieroſolymitanum 140.

Theodorus Bibliander 157.

Thomas Erpenius 177.186.187.

Tikkune Zohar 53.

Tóſephos, ſeu Additiones Talmudicæ 79.105.229.

Tzach Sephatájim 36.37.209.

Tzémach David 7.331.353.

V

Valentini Schindleri Lexicon 125.

Vetus Interpres Latinus Bibliorum. 258.

Z

Zohar 43.228.

Zohar chádaſch 74.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM in hoc Tractatu.

A

ABEN Eſra an Punctorum novitati faveat? 11.12. &c. *adſcribit Puncta, Diſtinctiones & Accentus, Viris Synagogæ magnæ* 15.16. &c.

Aben Eſra authorem punctorum & accentuum nuſpiam erroris redarguit: ſed Maſorethas 17. 18.19.

Aben Eſra Punctorum Inventores nunquam vocat Tiberienſes 381.

Accentuum Nomina pleraque ſapiunt Chaldaiſmum 192. *an inde argumentum poſſit deduci pro illorum novitate Eliana* ibid.

De Accentibus 239. *An magna accentuum pars ſit non neceſſaria, ſuperflua & inutilis? & an ſpecie aliqua attribui poſſint ſcriptoribus θεοπνεύστοις; an potius Criticis ſcrupuloſis, moroſis & ſuperſtitioſis* ibid. & ſeqq.

Eliæ ſententia de uſu multitudinis Accentuum 240.241. *poſſunt etiam eſſe cauſæ ignotæ* 242.

De Uſu Muſico Accentuum 243.

Alia cantus ratio in libris metricis, & aliis 244. *quomodo Hebræi hunc uſum Muſicum Accentuum definiant & explicent* 244. *Dicendus potius Rhetoricus, vel Oratorius, aut Mixtus ex Muſico & Rhetorico* ibid.

Cantum in legendo & dicendo obſervarunt etiam Tullius & Fabius 245.

Hebræorum Teſtimonia varia de Uſu Muſico accentuum 245. & ſeqq.

Accentus compenſant in Scriptura id, quod oratio viva habet in pronuntiatione, ibid.

Accentuum varia commendationes 256.

Allegorici Judæorum ſcriptores, cur nihil, aut parum de Punctis ſcripſerunt 52.53.

Anomalia duplex; ab analogia & uſu 347.348.

Antiquitati quantum tribuendum 293.

B

Babylonii Doctores glorioſi & faſtuoſi 399.

Babylonii erant potentiores Palæſtinis 405.
Babylonii quomodo Talmud Hieroſolymitanum, ſuo Talmude oppreſſerint 406.
BEN ASCHER & BEN NAPHTALI *hiſtoria, nomina, officia, patria, ſeculum, actiones & ſtudia* 262.263.
Diſſenſiones Ben Aſcher & Ben Naphtali quales 263.
Ben Aſcheri & Ben Naphtali authoritas 264.
Ben Aſcheri lectionem ſequuti ſunt Palæſtini, & hodie omnes Judæi 256.
A quibus ſtatuantur Authores Punctorum 256.
Galatinus eos facit Chriſto antiquiores 266.
Elias negat inventionem Punctorum poſſe adſcribi Ben Aſchero & Ben Naphtali 266. *Cur non poſſint eſſe Punctationis totius authores* 267.
An poſſint ex parte ſtatui Authores & inventores punctorum 267.
Ben Aſcheri Codex Biblicus celebris 273. *quid in eo codice præſtiterit Ben Aſcher* 274.
Beth raphatum & dageſſatum 229.
Buxtorfius Pater, an libri Zoharis antiquitatem elevârit 71. 72. &c.

C

Cabaliſtarum ſententiæ & teſtimonia varia de Punctis, 54.55.56.
Cabaliſtæ eliciunt myſteria varia ex Punctorum nominibus, ordine, ſitu, figura, &c. 57.58. 59. 60. &c.
Caph raphatũ & dageſſatum 229.
D. *Cappellus perperam laudat quoſdam authores, pro ſua ſententia* 9.10.
D. *Cappelli hiſtoria Inventionis Punctorum Succeſſiva* 268. *unde eam hauſerit* 269. *quibus fundamentis eam defendat* 270. *quid de ea ſentiendum* 270. 271. 272. 273. 393.
Cauſæ multarum rerum nobis ſunt ignotæ 212.
Chaldæi Paraphraſtæ cur à textus Hebraici lectione quandoque diſcedant 136.137. &c.
Ex Chaldæorum paraphraſtarum diſcrepantia Hebræi nunquam concluſerunt, Puncta ideo non extitiſſe 137.
Chaldæi Paraphraſtæ poſteriores ſæpius recedunt a Textus Hebraici lectione 140.
Chaldææ Paraphraſes in quanta authoritate apud Judæos 141.
Chriſtianorum multorũ de Punctorum novitate ſententia 4.5. &c. *in quo ab Elia diſcrepent* 5.
COSRI *ſententia de Punctis* 26. 27. &c.
Liber Coſri *quo tempore, & à quo conſcriptus* 330. *An Ben Aſcheris laborem ignorare potuiſſet* 332.

Criticum

Criticum ſtudium in quo poſitum fuerit ante Inventionem punctorum? 403.404.

D

Dageſch 221. Dageſch lene an neceſſarium fuerit 223. an ſit a ſcriptoribus ſacris 225. an gemina pronunciatio demum introducta per authores iſtius puncti 226.

Daleth raphatum & Dageſſatum 229.

Decem voces punctatæ 433.

Sunt ab Eſra 434.

Diligentia & induſtria humanæ quantum tribuendum 294.

Diſſenſiones Hebræorum de nonnullorum locorum lectione quales 338.

Diſſenſiones & æmulationes Babyloniorum & Palæſtinorum 401.

E

ELIÆ de Punctis ſententia 3. 4. 5. &c.

Elias primus & ſolus Tiberienſes Maſorethas Punctorum inventores excogitavit 3.25. & alibi.

Elias ignoravit teſtimonia de Punctorum antiquitate, ex libris Cabaliſticis, Zohar, Bahir, & Tikkúnim 53.54.

Eliam quid induxerit ad diſſentiendum a cæteris Hebræis 324.

In Eliæ ſententia quid maximè ſit mirandum 392.

Eliæ σφάλμα μνημονικὸν in aſſignanda ara abſoluti Talmudis Babylonici 397.

Eſdras an conſcripſerit libros Paralipeménων 181.

Eſtheræ libellus olim ſine notis diſtinctionum ſcriptus fuit 49.

Examen breve loci Zoharis verſi & explicati a D.Cappello 427.428.

Exemplaria antiqua MSS. Biblica, quatenus dici poſſunt leviter & enormiter inter ſe diſſenſiſſe 275.

Exemplaria Biblica antiqua punctata, arguunt antiquitatem punctorum 350.

G

Gazophylacia Judæorū quid? 385.

Genebrardi de Punctis ſententia 8.

Grammatici primi jam mentionem faciunt exemplariū Biblicorum antiquorum punctatorum 355. ſcripſerunt de Literis & Punctis 327.

Grammaticum ſtudium exortum eſt poſt inventa puncta 16.327.

H

Hebræorum Codicum ſynceritas & ἀναμαρτησία qua & qualis 281.

Hebræi duobus modis exponunt Legem; vel ſecundum conſonas ſolùm: vel ſecundum Conſonas, Vocales, & Accentus 94.

Hebræi, quo ſenſu & reſpectu variis modis Legē explicent 98.99.100.

Hebræi primarium fundamentum ſemper ponunt in ſenſu literali 100.104.

Hebræi

Hebræi nunquam ſtatuerunt, ob diſcrepantias veterum Interpretum, Codicem Hebraicum eſſe corruptum 295.296. *vel illum eſſe juxta aliorum interpretum lectionem corrigendū* 298.

Hebræorum Locutio hæc, הלכה למשה מסיני Traditio Moſis è monte Sinaj, *quomodo ab ipſis intelligatur?* 366.367.

Hebræorum hiſtoria an promiſcuè & prorſus ſint rejiciendæ, & nullo loco habendæ 322.389.

D. *Hieronymi tempore an puncta jam fuerint, & an ea ſciverit, vel viderit, vel habuerit* 143. 144. *& ſeqq. plura ibidem ex* D. *Hieronymo loca explicata.*

D. *Hieronymus ubique ferè ad noſtram punctationem quàm proximè accedit* 146. *etiam in variis Interpretum ſententiis* 154. *quomodo intelligendum, quòd paſſim gloriatur, ſuam verſionem cum Veritate Hebraica concordare & congruere; & quòd tam audacter ſubinde ad Hebræos provocat* 152.153.

D. *Hieronymus exprimit Scheva mutum per E.* 157. *Diſcutiuntur loca, quæ ex Hieronymo contra Punctorum antiquitatem proferuntur* 158. *& ſeqq.*

D. *Hieronymus cur tantum detulerit Verſioni Græcæ, & cur eam etiam explicarit* 160.161.

Hieronymus, Tiberienſi Doctore an Codice uſus ſit 386.387.

Hillelianum exemplar Biblicum, quale, & an vocalium & Accentuum notis inſignitum fuerit 351. *an verè hoc titulo glorietur* 353.

Hilleles duo celebres 352. *alii* 353.

An cum Hillele omnes Scholæ, Literæ, & Literati, extincti fuerint in Tiberiade 388.

Homerus an ipſemet Carmen ſuum conſcripſerit, & libro comprehenderit 69.

I

Jeruſalajim, & Jeruſalem, *cur dicatur & ſcribatur* 185.

Interpretum Veterum verſiones an jure cum Hebraicis codicibus conferri, & ex æquo comparari poſſint? 285.

Interpretes ſaniores nunquam ex diſcrepantiis Interpretum concluſerunt; Textum Hebræum eſſe corruptum 286.

Jonathan ſæpius à punctatione noſtra recedit 137.

Joſuæ capite 21. *an duo verſus omiſſi* 283.

Judæis an licitum mercedem accipere pro labore docendi Legem ſcriptam? 89.90.

K

Karræi Punctationem rejiciunt, tanquam partem Legis oralis 42.300.

Κεραία *quid apud Matthæum* 435.

Keri Uketif 111.112.113. *an indices*

dices ſint dubiæ Lectionis & varietatis exemplarium 115.
Punctatio vocum illarum, quæ Keri Uketif dicuntur an ſit abſona & prodigioſa 170.171.172.175.
Nullus Hebræorum, ex his vocibus argumentatur contra Punctorum Antiquitatem, nec ipſe Elias 172.173. quid ex illis poſſit concludi 175.176.
Tres ſententiæ de τῷ Keri Uketif 173.
An abſurdum ſit, Eſræ harum vocum punctationem adſcribere 177.180.
Utraque vox aliquando elegantem reddit ſenſum 179.
KIMCHII de Punctis ſententia 34.

L

Lectio vera Bibliorum an ſine punctis conſervari potuerit uſque ad Maſorethas Tiberienſes 362. & ſeqq.
Lectio ſcriptorum Rabbinicorum ſine punctis, & Scriptorum Sacrorum, longè diverſa; in Scriptura, Stylo, Rebus, & Mediis diſcendi 369.370.371.
Lectio firma certáq; ſtatuenda in Scriptura 425.
Lectio & punctatio vera an ſemper, & certò, ex antecedentibus, conſequentibus, ſcopo authoris, & totâ ipſius ſcripti contexturâ, haberi poſſit 432.
Liber Legis, quem in Synagogis aſſervant Judæi, cur punctis careat 40.41.42.46.47.48.49.
Sanctitatis gradus inter libros legis univerſos, & ſingulos 38.39.
Liber Legis punctatus, eſt prophanus 40.
Licentia corrigendi textum Hebræum Judæis ſcandaloſa 302.
An illi, quibus Lingua Hebræa eſt vernacula, opus habeant ad librorum ſacrorum lectionem, punctorum & accentuum apiculis 196.197.198.
Lingua Hebræa an Judæis tempore etiam Eſræ promiſcuè fuerit vernacula 198.
Lingua Hebræa ab aliis differentia 213.219.242.
Linguæ aliæ quoque geminas habent nonnullarum Vocalium figuras 214.
Lingua unaquæque ſuam habet ὀρθογραφίαν & ὀρθοέπειαν 218.
Linguarum principia duo; Αναλογία & Uſus 347.
De Literis Hebræorum 110.111.112.
Literæ Begad Kephat & Reſch, vocatæ ſunt Literæ Duplices, ob duplicem pronuntiationem à multis retrò ſæculis 227. & ab omnibus Grammaticis 228.
Loca difficilia & dubia in Textu Hebræo an adeò pauca 374.
Lyranus ex perpetua Hieronymianæ verſionis, cum punctatione hodiernâ, convenientiâ, concludit, Translationem Veterem La-

tinam, poſt excogitatā à Judæis punctationem, factam eſſe 155.
Lyra, in Judaiſmo, vocabatur R. Schelomoh Hallevi 155.

M

Mappik 234.
Maſora initium ſuum habet inde ab Eſdra 410.
Maſora ab Hebræis approbata 412.
Maſorethærum ars, & notæ, arguunt Puncta eſſe antiquiora 339. *& ſeqq.*
Maſorethica ars, & Inventio Punctorum, quare à nobis conjungantur 410.417.
Differentia inter Maſoram, & Punctationis opus 411.
Maſorethærum punctatio, an pro arbitrio illorum excogitata rectè ſtatuatur 432.
מסורת *vel* מסורות *quid ſignificet in locis Talmudicis* 83. 103.106.
Matres lectionis, *quæ; & quomodo ex illarum defectu in libris Biblicis, arguatur Punctorum antiquitas* 356. *& ſeqq.*
Uſus harum literarum quando natus videatur 359.
Miſchnæ olim fuerunt Punctis & Accentibus notatæ 78.79.
Moſes cur fortaſſis non addiderit puncta libro Legis 50.
Muſicæ artis uſus apud veteres erat magnus & inſignis 360.361.
argumentum præbet antiquitatis accentuum ibid.

N

Neceſſitas rei vel facti alicujus, eſt varia & multimoda 210.
A Nominum novitate non licet argumentari ad novitatē rei 193.
Nomina Literarum cur conſtantius hæſerint & permanſerint, quàm Vocalium & Accentuum 193. 194.
Notæ orthographicæ, non propter neceſſitatem duntaxat, ſed & ob commoditatem, elegantiam, euphoniam, aliaſq; ob cauſas excogitantur 222.

O

Onkelos rarò à punctatione noſtra recedit 136.
Origenis ſcripta optima perierunt 167. *in Homiliis ſequutus eſt* L X X. *in Diſputationibus Hebraicam veritatem* ibid.

P

Patres Græci & Latini cur Punctorum, vel Punctatorum codicum, non meminerint? 166.167.168
Patres illi etiam, qui poſt Maſorethas Eliaños vixerunt, non faciunt mentionem punctorum 168.
Pauſator, המפסיק, *quis ſit Aben Eſræ* 17.
Peraphatum & Dageſſatum 230.
D. Hieronymi tempore an jam notæ fuerit

fuerit litera Pe pronuntiatio apud Hebræos 230.

De Punctorum Antiquitate Sententiæ tres 304. Sententia eorum, qui illa ad Adamum referunt 305. & ſeqq. Puncta cur adeo raro uſurpata olim fuerint 307. Sententia eorum, qui illa ad Moſen referunt 312. Sententia eorum, qui illa ad Eſram referunt 313. Eſram quid huc permoverit? 313. Punctorum antiquitas quomodo dijudicanda 317. Conſenſus Judæorum circa Punctorum antiquitatem univerſalis 318. 319. Conſenſus iſte cujus ſit ponderis ac momenti 320. 321. qualis 324.

Diſſenſus Hebræorum circa Punctorum antiquitatem qualis 321.

Teſtimonia Hebræorum pro Antiquitate punctorum, an ſuſpecta eſſe debeant, ceu domeſtica 321.

An quidam Hebræorum Eliæ ſententiæ faveant 323.

Recentia Judæorum pro Antiq. teſtimonia an jure rejiciantur 324.

Teſtimonia pro Antiquitate Punctorum, quam antiqua 327.

Inventio punctorum & Accentuum an recte ad ſtudium Criticum referatur? 400. 403.

Punctorum Vocalium multitudo, indicium ac teſtimonium diligentiæ, accurationis & prudentiæ 215.

Punctorum Nomina quàm ſint antiqua 183. occurrunt in antiquis libris Maſorethicis, & in primis Grammaticis 189. potuerunt variare pro ratione temporum, authorum, terrarum, & gentium 190. cur pauca illorum nomina in Maſora occurrant 190. omnia poſſunt ad origines & formas Hebraicas reduci 192.

Punctorum & Accentuum maxima pars an citra neceſſitatem excogitata, & meram Inventorum ſapiat moroſitatem, ſcrupuloſitatem, & ſuperſtitionem 200.

Alia ratio Inventionis & Adſcriptionis Punctorum; & Punctatorum jam codicum correctionis & collationis. 408.

A' Punctatione hodiernâ codicum Bibliorum Hebraicorum, an liceat recedere, nec ne 276. 277. 288. 289. 290. 291. 294. 295. 430. 431. &c. D. Capelli de hac quæſtione ſententia, 277. 278. quæ ejus ſint fundamenta 280.

Punctationis Biblicæ univerſalis receptio & approbatio arguit ejus antiquitatem 334. 335.

Punctatio, ſi recens, debuiſſet conſenſu & approbatione Judæorum fieri 413.

Punctationis & Accentuationis apud Hebræos, & notularum

Spirituum & Accentuum apud Græcos, longè diverſa ratio 375.

R

Raphe *lineola* 231. *ejus neceſſitas* 232. *a quo inventa, & iterum expuncta è libris Sacris* ibid.

Reſch duplex, Lene & Raphe 228.

S

Scheva Hebræi veteres vocabant Servum, *&* Servum ſervorum 203. *impropriè ei datur Vocalis Nomen* 204. 219.220.

Scheva ſimplex & compoſitum 216.

Scheva compoſiti ratio & cauſa. ibid.

Scheva an uſum habeat, adeoq; ſit neceſſarium 217.218. *cur illi peculiaris aſſignata figura* 219.

Scheva quid ſit revera 218. *unde ſic dictum* 219.

Cur noſtri Grammatici ex Scheva faciant vocalem breviſſimam 220.

Pronuntiatio τῦ Scheva 220.

Scheva compoſito cur triplex aſſignata figura 220.

Schin literæ gemina pronuntiatio, quæ, & an olim nota & uſitata fuerit 234.235.236. *cur eam LXX. & Hieronymus confuderint* ibid. *an Hieronymus eam ignorârit* 238.

In Scripturæ locis, variam punctationem, & cum hac ſenſum varium admittentibus, an perinde ſit, quem quis teneat & ſequatur ſenſum? 421.432.

Ex Septuaginta Græcorum verſione an argumentum duci poſſit, pro Punctorum novitate 117.118. *& ſeqq. Potuerunt non punctatis codicibus uti, cùm tamen puncta eſſent* 119.120. *diſcrepantiæ inter LXX. & Hebræos codices in quibus conſiſtant* 121. *quas harum cauſas reddat Hieronymus* 122. *quæ aliæ eſſe poſſint* 125.126. *&c. multorum doctorum virorum judicio verſio illa perperam LXX. ſenioribus adſcribitur* 122. *eſt corrupta* 122.123.*&c. Authenticum exemplar periit, cùm Bibliotheca Ptolemæi combureretur a Pompeji exercitu* 125. *juxta quoſdam ex Chaldæo exemplari fecerunt ſuam verſionem* 126.127. *&c. Septuaginta potuerunt melius veram legendi rationem ſcire, quam Maſorethæ* 134.

Silentium Hiſtoriæ Hebraicæ de Punctatoribus Tiberienſibus, arguit Punctorum antiquitatem 377.

Superſtitio Judæorum circa ſcribendam Legem 357.

T

טעם Taam, *nunquam ſumitur de nudo ſono vel tono* 82.

Talmudis antiquitas 68.
Talmudis conſcripti hiſtoria an apud Hebræos certa 396.397.
In Talmud *cur nulla expreſſa & ſpecialis punctorum mentio fiat* 76.77. *An in Talmude nulla unquam fuerint expreſſa figura Punctorum & Accentuum* 77. 78.
In Talmud nullius Puncti & Accentus nomen occurrit 79.
In Talmud an nulla, nec explicita nec implicita, Punctorum mentio 80. *Loca Talmudica, in quibus Punctorum & Accentuum mentio, producuntur, explicantur, vindicantur* 80.81. 82. *& ſeqq.* *Loca illa, an de ſono, an de figura, an de utroque intelligenda* 81. *&c.*
Talmudici quædam loca exponunt habita ratione Accentuum 87.
Talmudicorum tempore, Lex & Talmud cantu fuerunt lectitata 94.360.
Talmudicum Axioma, אל תקרא כך אלא כך, Ne legas ſic, ſed ſic, *explicatur* 97. *an ex dubitatione vel contentione & diſceptatione profectum* 98.
Talmudicum axioma, יש אם למקרא יש אם למסורת Eſt mater Scripturæ, eſt mater Maſoræ, *explicatur* 103.
Tetragrammaton nomen cur ab initio ſcribatur per Scheva ſimplex, non per Chateph pathach 59.
Tetragrammato quis puncta hodierna adſcripſerit? & an hac ſcribendi ratio ſit abſurda? 186.
Thau raphatum & Dageſſatum 230.
Tiberienſes Maſorethæ qui? 6.
Tiberienſes unde ab Hebræis commendentur 23.24.25.
Tiberienſes cur appellati Punctorum inventores D. Cappello? 381. 401.402.
Tiberienſes an initium fecerint Punctationis? 383.
Tiberienſium ſtudium circa Sacræ Scripturæ inſtaurationem commendatum ab Hebræis 390.

V

Variantes veterum Interpretum verſiones, an ſint teſtimonium variarum in codicibus Hebraicis lectionum? 283.284.286.
Verba ſunt ex mente loquentis exponenda 423.
Viri Synagogæ magnæ, & illius ſæculi, an opus habuerint punctis? 363.364.
Vocalium longarum & brevium figura, an ſine neceſſitate excogitata 200.201. *&c.* *Vocalium in longas & breves diſtinctio eſt Chriſtianorum, non Hebræorum ibid.* *Vocales quibus ab Hebræis veteribus appellentur nominibus* 202. *Veteres Grammatici tantùm ſeptem numerabant Vocales* 202.

eos appellarunt Reges, ibid.
Vocales a poſterioribus Grammaticis diviſæ in Magnas & Parvas 203. quo ſenſu ſic diſtinxerint 203 204.205.
Vocalium ſingularum geminæ figuræ cur excogitatæ 206.207. 208. uſque ad 215.
Vocalibus ſingulis an geminus poſſit attribui ſonus 206.207. 208,209.349.
Vocalium antiqua, vera, & genuina pronuntiandi ratio corrupta & amiſſa 207.208.209.
Voces Hebraicæ, etiam in Orationis ſerie collocatæ, variam admittunt lectionem 420.
An ex Vocum punctis nudarum ſerie & ſtructura, certò dignoſci poſſit, quibus punctis ſint legendæ; quid ſignificent, ubi cola, commata, &c. figenda, neque aliter legi vel diſtingui poſſit? 425.426.
Uſus & utilitas rei alicujus multiplex 211.

Z

De libri ZOHAR antiquitate 68. 69.70.71.

LECTORI.

Cùm è re judicarent Amici quidam, ut Indices adderentur huic Tractatui, tùm Authorum & Librorum, tùm Rerum præcipuarum, atque ad hos conficiendos eum percurrerem, præter jam ſuperius annotata ſeu operarum, ſeu etiam mea παροράματα, paucula quædam alia ſe obtulerunt, de quibus Lectorem benevolum commonefacere, eundemque, ut hæc, & ſi quæ fortè ſuperſint alia, benignè corrigere, & velo charitatis tegere non dedignetur.

Paginâ 39. lege; Si duos integros Pentateuchos *habeas*. Pag. 190. lin. 35. pro *abſque*, lege, *atque*. Pag. 266. lin. 7. pro, *notaverunt*, lege, *mutaverunt*. Paginâ 267. lin. 16. pro *operibus*, lege, *operis*. Pag. 319. dele, *unquam*, ab initio lineæ. Pag. 323. lin. 28. lege, *ſententiæ*. Pag. 344. pro *abſolutam*, lege, *abſolvendam*. Pag. 359. lin. 18. lege, *nullæ*. Pag. 411. lin. 9. lege, ויעש. Pag. 415. lege, *ad* licentiam eam.

Pag. 380. in Paragrapho, qui lineâ 29. incipit; 3. *Multum à prio-*

à priore ſua ſeveritate remittit Revelator, &c. & deſinit pag. 381. lin. 8. fatendum mihi, animum meum peregrè fuiſſe, & aliud egiſſe, cum illa ſcriberem. Non enim id dicit Angoniſta meus, quod eum ibi dicere facio. Itaque totus ille Paragraphus, ceu ſuperfluus, obelo configendus & jugulandus. In ejus verò locum, ut numerus ille ſuppleatur, ſequens ſubſtitui poteſt ratio;

3. Quod dicitur; *Eliam fortaſſis falſum fuiſſe in loci deſignatione; Inde tamen non continuò ſequi, illum etiam falſum fuiſſe in reliquis circumſtantiis, adeoq; in Temporis aſſignatione, quod fuerint Talmude poſteriores*; obſervet Lector, nullo modo probabile eſſe, illum ex errore aliquo Tiberienſes nominaſſe, quia pro Loci deſignatione expreſſum ac diſertum adducit teſtimonium ex Aben Eſra, ubi *Tiberienſium*, non aliorum, meminit; quamvis in reipſa nullo modo Eliæ faveat illud Teſtimonium, uti viſum: Pro *Temporis* verò deſignatione, *quòd puncta ſint inventa demùm poſt Talmud abſolutum*; nullum prorſus profert teſtimonium. Aben Eſra in loco illo adducto nullius Temporis meminit. Itaque licet daremus, quod nullo modo tamen facimus, Aben Eſram voluiſſe dicere, Tiberienſes Maſorethas eſſe authores punctorum, cur non æquè benè hoc intelligi poſſet de quibuſdam ante-Talmudicis? ſicut Galatinus dicit, Ben Aſcher & Ben Naphtali eſſe authores Punctorum, & tamen eos ipſo Chriſto facit antiquiores. Sic nec reliqui ab Elia producti authores, Coſri, Kimchius, liber Tzach-Sephataiim, mentionem faciunt ullius temporis articuli. Annon itaque longè probabilius eſt, Eliam falli potuiſſe, & falſum eſſe, in Temporis potiùs, quàm in Loci deſignatione? Et, ſi fortaſſis falſus fuit in Loci deſignatione; quomodo lib. 1. cap. 2. §. 2. poſt adductum Aben Eſræ teſtimonium ſcribit Revelator; *Nihil dici poteſt expreſſius pro noſtra & Eliæ ſententia. Nam Maſorethas Tiberienſes authores dicit Punctationis. Non eſt ergo à Moſe, aut Prophetis, neque verò ab Eſra; ſiquidem eo (Aben Eſra) teſte eſt à Tiberienſibus Maſorethis.*

FINIS.